THEOLOGIAE MORALIS

INSTITUTIONES

EX SACRIS SCRIPTURIS CANONIBUS

AC SS. PATRUM SANIORUMQUE DOCTORUM SENTENTIIS COLLECTAE

PASCHALIS FULCO

INSIGNIS COLLEGIATÆ, AC PRIMIGENIÆ PAROCHIALIS ECCLESIÆ
S. JOANNIS MAJORIS NEAPOLIS CANONICI

EDITIO NOVISSIMA

IN QUA AD UTRIUSQUE JURIS RECENTIORES SANCTIONES, PLURIMA ADDITAMENTA
TRACTATUM DE MONIALIBUS, APPENDICES DE MATRIMONIO,
DE ECCLESIIS RECEPTITIIS, DE TITULO IN ORDINATIONE REQUISITO,
DE REGULIS JURIS CANONICI EC.

NUNC PRIMUM

accesserunt doctrinæ theorico-practicæ


EX OPERIBUS DEPROMPTÆ

S. ALPHONSI M. DE LIGORIO

OPERA ET STUDIO

IOSEPHI ROMANI PRESB. NEAP.

IN ARCHIEPISCOPALI LYCEO UTRIUSQUE JURIS ANTECESSORIS SUBSTITUTI





TOM. I.



Neapoli

EX TYPOGRAPHEO AD SIGNUM ANCORÆ

MDCCCXLIV

Charitatem habe, et fac quod vis: si corrigis, corrige cum charitate, si parcis, parce cum charitate. **Augustinus de Doctr. Christ.**





PRÆFATIO

Dum Institutiones hae Theologico-Morales, benevole Lector, tibi exhibentur, noli aspero murmure temerarii inanisque laboris me insimulare; utpote, qui voluerim acta agere, et quibus tot illustrium virorum frequentia redundant volumina, denuo illa exscribere, et typorum medio ad remotiores aures personum reddere nomen meum: noli, inquam, ita me insimulare; quoniam ad hasce lucubrandas non captandae gloriae studium, sed mens non morandi imperium adegit. Dum enim Eminentissimus Archiepiscopus fecilis recordationis Sersalius ad Ecclesiasticae juventutis disciplinam, onus exponendi, ac practice simul enucleandi moralis Theologiae elementa, eorumque collationes habendi tum domi meas, tum in suo nupero Clericorum Convictu, me persolvere satagebat; mihi perdifficile statim animadverti ingrediendum iter ob innumeros pene sacrae moralis doctrinae Auctores tam diverse inter se persentiscentes, ut vix alter alteri accedat, neque amplius Moralis doctrinae expeditam, sed implexam reddant expositionem: operae proinde pretium putavi, si recedens a quibusdam sententiis, quas Probabilismus invexerat, vel morum corruptio, ex probabilissimis Doctoribus conformiores Scripturis sanctis, sacrisque Canonibus sententias seligens, quasdam veluti Institutiones efformarem, easque scribendas auditoribus meis dictarem, ut si forte copia librorum carentes, vel voluntate, aut facultate omnes illos perlustrandi, sine labore ea

omnia acciperent, quae ad recte vivendum, et ad sacras collationes habendas, accuratamque excipiendi Sacramentales Confessiones methodum necessaria essent. Haec ergo in elucubrandis hisce Institutionibus prima mens mea fuit. Ut autem illae ex diuturno usu in multorum manus inciderunt doctrinae, auctoritatis, morumque laude praecellentium, qui mecum familiariter, ac benigne utebantur, ut eas publici juris facerem, pro Ecclesiasticorum commodiore usu, ac laborum, vel expensarum parsimonia in eis exscribendis, in animum meum inducere conati fuere, non deficientibus etiam, ad stomachum usque, meorum auditorum assiduis postulationibus. Ego autem nihil minus decrevi, quam illorum votis obsequi; ratus ex Plinii sensu, magni discriminis esse aliquid hujusmodi in manus hominum porrigere: qui ut rigido supercilio aliorum scripta pervolvere solent, ita satis superque districta sententia ea indicare volupe habent. At quod illi in annos plures nunquam consequi potuere, tandem Eminentissimi Archipraesulis Zurlo, cujus jussa, et mihi et cunctis capessere fas est, supremum exegit imperium; proinde, ut huic litarem statim, summum operae pretium reputavi, ita scriptiones meas licet imperitas illico Typographo tradidi, quandoquidem valetudo jugiter infensa, et exactae obedientiae stimulus ei secundas curas opponere denegabant. Non habes ergo, humanissime Lector unde scriptitandi cacoëthe me arcessas. De stylo quidem confiteor, quod arguere possis, nisi advertas, quod simplici, atque brevi sermone eas exponere volui, habens pro comperto ab experientia, prolixiori rerum tractatione, aç verborum selectione, et implexu adductos, auditores lectoresque, alio se convertere. Verumtamen non ita brevitati, ac simplicitati vacasse invenies, ut per solam adfirmationem, negationemve jejune, et exiliter omnia tradiderim, et res sine ullo nexu proposuerim. Quantum in me fuit, quae ex clarissimis Doctoribus delegerim breviter quidem, sed qua potui claritate litteris commendavi; numquam tamen a rationibus adducendis deficiens. In difficilioribus diutius immoratus; quae faciliora visa fuere, minusve utilia, vel silentio litavi, vel si generalia principia, quasi viarum capita indicaverim, satis superque egisse visus fui. Sententias Doctorum dissimiles aliquando retuli, sed censorio supercilio non judicavi. Definitiones (si forte non mavis dicere descriptiones rerum) ac divisiones, sine quibus res non parum obnubilantur subtexui. Casus per principia enodatos conscripsi, ut qualis sit principiorum usus Tyrones addiscant.

Nexus autem argumentorum, quae in hisce Institutionibus exponuntur, facilior, et clarior adhibitus est; et re quidem vera, quoniam Theologiam Moralem, te non praeterit, totam in dirigendis moribus versari; hinc jure factum esse credidi, si primo tibi Tractatum de actibus humanis offerrem, et hunc sequeretur tractatus de regulis morum. Et propterea quod actus humani, vel hisce regulis dissoni sunt, et peccata dicuntur, ideo curavi, ut accederet tractatus de peccatis; vel consoni sunt, et actus virtutum dicuntur, et ideo volui, ut primo tractatus de virtutibus Theologicis, deinde de Moralibus, et breviter de ceteris, prolixius de Religione et Justitia subsequerentur. Cum autem contra legum transgressores poenae Canonicae statutae sint, ideo apposui tractatus de Censuris, et Irregularitatibus. Post haec adnexus est tractatus de Sacramentis, quae sunt media, quibus sanctificantur actus humani; at breviter disserendo de ceteris; de Poenitentia vero, ac de Matrimonio prolixius. En tota ratio harum, quae tibi offeruntur, Institutionum. Si in eis comparandis me nihil, aut saltem aliquid puerile fecisse putabis, id sentis, quod ego ipse sentio; non enim laborum meorum amore abreptus aliquid magnum molitus fuisse videor, sed quidquid egerim, commodo Fratrum meorum, et jussu dominorum meorum fecisse profiteor: quare dum voluntatem meam aequi, bonique consulas oro, verba D. Augustini lib. 3, de Trinit. tamquam si mea essent tibi meditanda, subnecto: *Sane in omnibus litteris meis non solum pium lectorem desidero, sed etiam liberum correctorem, verumtamen sicut lectorem meum nolo mihi esse deditum, ita et correctorem nolo sibi .... Illi dico, noli meas litteras ex tua opinione, vel contentione, sed ex divina lectione, vel inconcussa ratione corrigere. Si quid in eis veri comprehenderis, existendo non est meum, at intelligendo, et amando et tuum sit, et meum. Si quid autem falsi conviceris; errando fuerit meum, sed jam cavendo nec tuum sit, nec meum. Vale.*

Datum Neapoli pridie Idus Septembris MDCCLXXXIV.



INSTITUTIONES

THEOLOGIÆ MORALIS

TRACTATUS I.

DE ACTIBUS HUMANIS

Cum in moribus, sive actibus humanis juxta rectae rationis normam comparandis Ethica christiana, seu Moralis Theologia versetur, regulas edocendo, quibus instructus adimplere valeat homo per gratiam Dei id, quod sibi praeceptum est, et quod ex statu, vel munere suo sibi convenit; et ita per opera bona certam suam vocationem, et electionem facere, ac ad ultimum finem suum, Deum nempe perpetuo fruendum pervenire satagat: abs re non esse putatum est, quod Moralibus hisce Institutionibus viam sternat Tractatus iste, in quo et Actuum humanorum ratio, eorumque adjuncta enucleantur.

CAPUT I.

De natura, et distinctione Actuum humanorum.

Q. Quid est actus humanus?

R. Actus humanus, sive officium humanum est ille, qui ex deliberata voluntate procedit. Voluntas autem dicitur deliberata; quando ex praevia intellectus cognitione actualiter, vel virtualiter advertentis in actione singula, an scilicet cum recta ratione conveniant, vel disconveniant objectum, finis, ac circumstantiae actionis ponendae, vel non ponendae, ipsa se libere ad agendum, vel non agendum determinat. D. Thomas, Antoine.

Quare ad efformandum actum humanum duo concurrunt, intellectus nempe advertentia, et voluntatis liberae consensus. Si horum alterutrum desit, actus humanus non est, sed hominis (1).

(1) Profecto ex eodem D. Thoma 1. 2. q. 1. a. 1. *illae solae actiones vocantur proprie humanae, quarum homo dominus est: est autem dominus suorum actuum per rationem, et voluntatem. Illae ergo actiones proprie humanae dicuntur, quae ex voluntate deliberata procedunt*: et ipse Angelicus (1. 2. q. 75 art. 2. corp.) *duo in illis requirit, rationem scilicet advertentem, et voluntatem libere operantem.*

Q. Differtne actus humanus ab actu hominis, et ab actu naturali?

R. Maxime; et 1. differt ab actu hominis; quia actus humanus procedit a voluntate deliberata, et hujus actus homo dominus est. Actus autem hominis fit absque voluntatis deliberatione, et hujus actus homo dominus non est. Hinc actus hominis definitur: est ille, qui licet regi posset agentis consilio, et arbitrio; hic, et nunc tamen ponitur, sine voluntatis deliberatione, uti est motus primo primus concupiscentiae, confrictio manuum inadvertenter facta etc. 2. Differt etiam ab actu naturali, quia actus naturalis est ille, qui non ab Animae imperio procedit, ut actus humanus, sed a corporis organo, et a naturae necessitate, et cujus homo dominus non est; talis est nutritio, sanguinis circulatio, ciborum digestio etc.

Q. Actus humanus differtne ab actu morali?

R. Licet aliqui stricte loquendo velint, actum humanum ab actu morali distinctum; communiter tamen Theologi cum D. Thoma promiscue accipiunt actum humanum, et moralem.

Q. Quotuplex est actus humanus?

R. Duplex, *elicitus* nempe, et *imperatus*. Primus est ille, qui a voluntate immediate procedens, ab ipsamet voluntate perficitur, sine adjutorio alterius potentiae, uti amor, odium etc. Imperatus (qui et exterior dici solet, quatenus completur extra voluntatem) est ille, qui ex imperio voluntatis ab alia potentia sive interna, v. g. intellectu, sive externa v. g. manu completur. Hinc meditatio alicujus veritatis, quae imperatur a voluntate, et ab intellectu perficitur: aut epistolae scriptio, quae voluntate jubente, manu fit, actus imperati dicuntur.

Q. Quaenam sunt principia actuum humanorum?

R. Principia actuum humanorum, ea scilicet quae ad actus humanos efficiendos accedunt, alia sunt intrinseca, uti voluntarium, et liberum; alia sunt extrinseca, uti objectum, finis, et circumstantiae.

CAPUT II.

De Voluntario

Q. Quid est voluntarium?

R. Est illud, quod procedit a principio intrinseco, cum cognitione finis. Dicitur: *a principio intrinseco*: scilicet a voluntate, quae intrinseca est homini agenti. Dicitur; *cum cognitione finis*; hoc est cum cognitione illius, quod debet voluntas amplecti, vel respuere, accepta ab intellectu praelucente, sive repraesentante.

Quare nota 1., ut aliquod dicatur voluntarium, requiritur, ut procedat a voluntate, tamquam a principio intrinseco; et ut procedat cum advertentia rationis, seu intellectus actuali, vel virtuali circa illud, quod voluntarium dicitur.

2. Actio, vel omissio actionis, quae fit per vim, non est voluntaria, quia non procedit a voluntate, sed a principio extrinseco vim inferente: Item motus primo primi; actus somniantium, amentium etc. Actus naturales, uti nutritio, sanguinis circulatio, non dicuntur voluntarii; quia deficit rationis advertentia.

3. Voluntarium non est idem, ac volitum, nam, ut aliquid dicatur voluntarium, debet procedere, ut dictum est, a propria voluntate agentis cum cognitione. Ut autem dicatur volitum, sufficit, ut voluntas in eo sibi complaceat; et in illud feratur. Sic possum velle pluviam, et dicitur mihi volita: sed non voluntaria, quia non procedit a voluntate mea, licet de pluvia complaceam mihi.

4. Voluntarium non est idem ac spontaneum, vel naturale. Nam voluntarium stricte sumptum oritur ab appetitu rationali, scilicet a voluntate cum advertentià intellectus. At spontaneum stricte sumptum procedit ab appetitu pure sensitivo, sine ulla cognitione finis, vel saltem cum cognitione aliqua materiali, et imperfecta, ut est amor canis erga dominum suum. Et naturale oritur ex innata inclinatione, nulla praecedente cognitione, nec etiam materiali, et imperfecta; uti est motus gravium corporum versus centrum.

Q. Quotuplex est voluntarium?

R. Multiplex: nam primo aliud est *perfectum*, et aliud *imperfectum*. Perfectum est illud, quod a voluntate procedit cum plena ejus propensione seu consensu, et perfecta rationis cognitione, hoc est, cum plena advertentia circa id, quod fit, circa ejus media, ac circa ejus circumstantias. Imperfectum vero est, quod procedit cum semipleno consensu, vel semiplena cognitione; sive advertentia; uti actus semidormientis, semiebrii, amentis, furiosi, fatui etc. in quo aliquis rationis radius apparet.

2. Vel est *necessarium,* vel *liberum*. Necessarium est, quod a voluntate ad unum antecedenter determinata procedit; ita ut ab eo voluntas, vel absolute, vel hic et nunc abstinere nequit, uti amor Beatorum in patria, qui cum perfectissimam habeant summi Boni clare visi, et possessi cognitionem, voluntarie illud amant, et necessario, cum non possint non amare. Liberum vero est illud, quod procedit a voluntate sine antecedenti determinatione ad unum, sed cum plena indifferentia, et libertate; et ita procedit ut possit non procedere; vel possit in oppositum procedere: hujusmodi est omnis actus ab homine in hac vita deliberate positus.

3. Vel est *actuale*, sive *formale*; vel *virtuale*. Actuale est quod a voluntate procedit, quae hic et nunc vult; virtuale illud, quod a voluntate libera imperatum virtute perdurat, et in successivo operandi actu persistit.

4. Vel est *expressum*, vel *tacitum*, seu *interpretativum*. Expressum est, quod expresse a voluntate procedit, et cum voluntario directo convenit. Tacitum vero, sive interpretativum est illud, quod licet non sit expresse, et positive volitum, ex aliquo tamen facto, vel omissione, perpensis circumstantiis, colligitur esse volitum.

5. Vel est *voluntarium in se:* vel *voluntarium in alio* seu *in caussa*. Primum est illud, quod quis immediate vult; et etiam cum voluntario directo convenit. Secundum est illud, quod est volitum non immediate, et in se; sed mediate, et in sua causa. Sic quis vult se inebriare, praevidens in ebrietate blasphematurum; si revera ebrius blasphemat, ebrietas fuit isti voluntaria in se; blasphemia vero voluntaria in caussa.

6. Vel est *directum*, vel *indirectum*. Directum est illud, in quod voluntas positive influit, sive immediate, cum scilicet quis immediate agit, quod

vult; sive mediate, cum quis agit per mediam personam, cui dedit mandatum, consilium, consensum: uti si quis vel ipse propria manu occidit hominem, vel mandatum, consilium, consensum tribuit efficacem ad hominem occidendum. Indirectum vero est illud, in quod voluntas tantum negative influit, cum scilicet agens non impedit, vel non tollit illud quod ipse impedire, vel tollere debet, et potest.

Hic tamen notandum, quod voluntarium tacitum seu interpretativum, voluntarium in caussa, et voluntarium indirectum a plerisque indiscriminatim accipiuntur.

Q. Quaenam conditiones requiruntur, ut voluntarium interpretativum, sive in caussa, sive indirectum imputetur ad culpam?

R. Hae: prima, ut agens, vel omittens agere, communi saltem, et confusa cognitione praevideat, vel praevidere possit, ac debeat, effectum pravum ex sua actione, vel omissione oriturum; nam nil volitum, quia praecognitum sit. Secunda, ut agens, vel omittens agere, possit pravum effectum praevisum vitare, et nolit; nemo enim peccat in eo, quod vitare non potest; neque Deus impossibilia jubet. Tertia ut caussam pravi effectus tollere ex lege teneatur, vel non ponere; ubi enim non est lex; ibi non est praevaricatio, ait Apostolus. Vide D. Thomam 1.2. q. 6. art. 3. Juveninum dissert. 2. cap. 1.

Q. Contra quam virtutem peccat ille, qui effectum pravum impedire potest, et tenetur, et tamen non impedit?

R. Peccat contra illam virtutem, ex qua tenebatur effectum impedire. Quare si ex imminenti naufragio navim liberare negligant Navarchus, et Vector, cum uterque possit sine periculo vel magno incommodo, Navarchus peccat contra justitiam, quia ratione officii sui ex justitia tenebatur; et Vector contra caritatem: primus proinde ad restitutionem tenetur non vero secundus.

Q. Quodnam est gravius peccatum, illud quod est voluntarium in se, et directe: vel illud, quod est voluntarium in caussa, vel indirecte?

R. Ceteris paribus, gravius est peccatum illud, quod est voluntarium in se, quia est magis voluntarium quam illud, quod est volitum in sua caussa, et indirecte. Hinc culpabilius est homicidium directe commissum, quam illud commissum in ebrietate, licet praevisum.

CAPUT III.

De Libero

Q. Quid est liberum?

R. Est illud, quod fit a voluntate, quae sua libertate potitur, seu quae suorum actuum domina est; unde ita fit, ut possit non fieri, vel ejus oppositum fieri.

Q. Differtne liberum a voluntario?

R. Maxime: nam liberum semper omnem necessitatem excludit; voluntarium autem aliquando necessitatem aliquam admittit. Sic Beati voluntarie amant Deum, quatenus eorum amor maxima cum voluntatis inclinatione, ac praevia intellectus clarissima cognitione procedit, at simul necessario

amant illum, quatenus eorum voluntas a summo illo Bono clarissime cognito ad illius amorem ita determinatur, ut ab amando abstinere non possit. Hinc voluntarium latins patet, quam liberum; nam omne liberum est essentialiter etiam voluntarium, at non e converso.

Q. Quid, et quotuplex est libertas?

R. Libertas generaliter accepta ex D. Bernardo lib. de gratia, et libero arbitrio, cap. 3. triplex est: nempe *libertas gratiae* quae a peccato et concupiscentiis carnalibus nos liberat, et sanctos reddit. *Libertas gloriae*, quae miserias omnes a nobis eliminat, et beatos reddit: unde solis Beatis in Coelo convenit. *Et libertas naturae*, quae coactionem, et necessitatem removet, et nobis in statu viae positis convenit. De hac postrema sermo redit, ac definitur: *Expedita facultas; positis omnibus ad agendum requisitis, agendi, vel non agendi, vel hoc, aut oppositum, vel diversum agendi.* Quae libertas duplex est: a necessitate, et a coactione. Antoine dissert. de Actibus humanis num. 152.

Ut autem clarius intelligatur haec divisio; nota, quod *Coactio* est vis exterior alicui reluctanti illata ab agente extrinseco taliter eum determinante ad aliquid contra propriam illius inclinationem actualem, vel virtualem, ut coactus nullo modo in tale opus videatur iufluere. Antoine loc. cit. n. 154.

Necessitas autem hoc loco est quidam interior ineluctabilis motus voluntatem ita determinans ad unum, ut ab eo minime recedere possit. Antoine loc. cit. n. 156.

Quare differunt coactio, et necessitas; quia coactio oritur ab agente extrinseco impellente patientem ad aliud contra ejus voluntatem, et proinde tollit tum liberum, tum voluntarium. Necessitas autem procedit a principio intrinseco, seu a voluntate ipsa, et ideo non tollit voluntarium, sed solum liberum stricte sumptum; illud nempe, quod ex electione agentis fit. Purchotius.

Q. Quid est libertas a coactione?

R. Est immunitas ab omni vi externa contra voluntatis inclinationem illata, qua voluntas sponte, et lubenter agit quidquid agit. Hujusmodi libertate Beati in patria amant Deum, quia nullo cogente, et lubentissime illum amant, et homo in hac vita bonum generatim amat, et malum generatim odit. Antoine dissert. de Actibus humanis n. 157.

Q. Quid est libertas a necessitate?

R. Est ab omni necessitate tum exteriori, seu coactionis, tum interiori, sive naturae immunitas, qua voluntas non solum sponte agit, sed etiam cum pleno suorum actuum dominio; ita ut procedat ad agendum cum possit peraeque non procedere, vel in contrarium procedere. Haec libertas dicitur a Divo Thoma, vis electiva, hoc est, potentia eligendi unum e pluribus oppositis, quae sunt in potestate eligentis, altero recusato; dicitur etiam liberum arbitrium, et libertas indifferentiae, et electionis. Collet (1).

(1) Sapienter Augustinus (epist. LXXXIX.) Pelagianos ita compescit: « desinant » ergo sic insanire, et ad hoc intelligant habere quantum possunt, liberum arbi- » trium, non ut superba voluntate respuant adjutorium, sed ut pia voluntate invo- » cent Dominum. Haec enim voluntas libera tanto erit liberior quanto sanior, tanto » autem sanior quanto divinae misericordiae gratiaeque subjectior. » Et lib. de gratia, et lib. arb. cap. XVI. idem Doctor « certum est, inquit, nos velle cum volumus.

Q. Quotuplex est libertas a necessitate?

R. Duplex: contradictionis, scilicet, et contrarietatis, vel diversitatis. Libertas contradictionis, quae et libertas exercitii dicitur, est potestas, et indifferentia ad agendum, et non agendum, v. g. ad scribendum, et non scribendum. Libertas contrarietatis, et diversitatis, quae et libertas specificationis dicitur; est potestas, et indifferentia ad ponendum circa idem tum hanc, tum actionem contrariam, v. g. amorem, vel odium; tum hanc, tum actionem diversam, v. g. locutionem, vel scripturam.

Q. Habetne homo libertatem a necessitate, seu liberum arbitrium?

R. Maxime: uti patet ex Genes. cap. 4., ubi Deus Cainum sic alloquitur: *Sub te erit appetitus. . Et tu dominaberis illius*; et Eccles. cap. 15. *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui.* Supra quae verba D. Thomas 2. 2. q. 104. art. 1. ait: *Reliquit illum in manu consilii sui, non quia liceat ei facere omne, quod velit sed quia ad id, quod faciendum est, non cogitur necessitate naturae, sicuti creaturae irrationales, sed libera electione ex proprio consilio procedente.* Quare jure optimo Concilium Tridentinum sess. 6. can. 5. ait: *Si quis liberum hominis arbitrium, post Adae peccatum amissum, et extinctum esse dixerit; aut rem esse de solo titulo; imo titulum sine re; figmentum denique a Satana invectum in Ecclesia; anathema sit* (1).

Q. Quaenam libertas requiritur in homine in statu naturae lapsae ad merendum, vel demerendum?

R. Non sufficit libertas a coactione, sed requiritur libertas a necessitate Probatur ex Eccles. cap. 31. *Beatus . . . qui potuit transgredi, et non est transgressus; facere mala, et non fecit; ideo stabilita sunt bona illius in Domino.* Quae verba satis ostendunt, rationem meriti, et virtutis inde profluere, quod quis, cum potuerit mandata Dei transgredi, non sit transgressus, sed illa custodierit sine ulla necessitate naturae. Patet etiam ex tertia Jansenii propositione tamquam haeretica ab Innoc. X. damnata. *Ad merendum, vel demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.* Denique probatur ex hac Baji propositione ab Ecclesia etiam proscripta: » *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necesssario facit.*

Q. Circa quae habet homo in statu viae sui arbitrii libertatem?

R. Circa objeta particularia, in quibus tota ratio bonitatis evidenter non relucet; et quae media videntur ad finem ultimum, seu beatitudinem generatim sumptam; sed cum ista non sunt necessario connexa. Scilicet circa

» nos facere cum facimus, sed ipse facit, ut velimus bonum, de quo dictum est:
» Deus est qui operatur in nobis et velle, et ille facit, ut faciamus, praebendo vires
» efficacissimas voluntati, qui dixit: faciam, ut in justificationibus meis ambuletis.

(1) Addesis illud *Num.* (30. 14.) *in arbitrio viri erit sive faciat, sive non faciat.* Item Moyses Israelitas sic alloquitur (*Deuter.* 30. 19.): *testes invoco hodie Coelum, et terram, quod proposuerim vobis vitam; et mortem, benedictionem, et maledictionem. Elige ergo vitam, ut vivas.* Demum *optio vobis datur*, inquit Josue (24. 15): *eligite hodie quod placet, cui servire potissimum debeatis.* Quare Augustinus (*lib. de vera relig. c. 14.*) *Usque adeo*, ait, *peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium. . . . . . et quoniam peccari dubium non est, ne hoc quidem dubitandum video habere animas liberum voluntatis arbitrium.*

objecta illa, quae possunt apprehendi modo bona, modo mala, ac proinde digna, quae eligantur, vel respuantur.

Hinc humani arbitrii libertas non extenditur ad finem ultimum, seu ad Beatitudinem generice sumptam, hoc est, non determinatam ad aliquod objectum particulare, neque circa ea, quae cum ipso fine ultimo necessariam habent connexionem, et sine quibus ipsa Beatitudo obtineri non potest, uti est esse, et vivere saltem ipsius mentis: haec enim necessario volumus. Ut ostendit D. Thomas 1. 2. q. 10. art. 2.

Q. Potentia peccandi pertinetne ad essentiam libertatis humanae?

R. Minime: quia libertas humana, sive liberum hominis arbitrium cum sit ex D. Thoma 1. part. q. 62. art. 8. facultas mediorum electiva, servato ordine finis; posse peccare est turbare ordinem finis, et proinde est potius defectus liberi arbitrii, quam perfectio. Hinc D. Anselmus lib. de liber. arbitr. cap. 1. » Nec libertas, inquit, nec libertatis pars est posse peccare. Collet, Antoine.

Q. Quaenam libertas requiritur ad rationem liberi arbitrii, libertas contrarietatis, an contradictionis?

R. Libertas contrarietatis non requiritur ad liberi arbitrii rationem, quia sine ista concipi potest liberum arbitrium, seu vis electiva voluntatis. Sane, cui unicum in mensa appositum est ferculum, is liber est libertate electionis, quia potest ex illo edere, et non edere; etsi non possit unum ferculum prae alio assumere. Quare D. Thomas contra Gentes cap. 47. ait: *Spiritualis substantia domina est actus sui, quia in ea existit agere, et non agere.* Sola igitur libertas contradictionis sufficit ad rationem liberi arbitrii.

Q. Undenam libertatis radix, et origo repetenda est?

R. 1. Ex Animae rationalis inexplicabili amplitudine; ipsa enim, cum ceteris creatis bonis nobilior sit; ac nullum bonum, nisi summum, aeternum, et clare visum, valeat ipsi absolute satisfacere: fit quod singula possit perlustrare bona, et modo unius, modo alterius pertaesa, aliud deinde, et aliud quaerat. 2. Ex summa ejusdem Animae cognoscendi facultate; nam nihil est in hac vita, quod non possit ipsa cognoscere, et in quo ita rationem boni concipiat, ut non possit etiam rationem mali, sive defectus saltem apparentis deprehendere, ac proinde cum indifferentia ad amplectendum, vel respuendum. Gaudin, Stampò, Purchotius.

CAPUT IV.

De Involuntario

Q. Quid est involuntarium, et quotuplex?

R. Involuntarium est illud, quod fit per vim, vel ignorantiam. Cum enim ad voluntarium duo necessario requirantur: scilicet intellectus cognitio, et voluntatis inclinatio, hinc est, quod quando aliquid fit vel citra cognitionem, vel contra inclinationem, involuntarium dicitur.

Duplex est: Aliud negativum, et aliud positivum. Primum est, quod voluntas non vult, quod velle posset. Secundum, quod et contrarium dicitur, est illud, quod non solum non est volitum, imo etiam est a voluntate rejectum, et contra actualem ejus affectum.

Q. Quotuplex est involuntarium positivum?

R. Duplex: involuntarium *simpliciter*, et involuntarium *secundum quid*. Primum est illud, quod omnibus consideratis est nolitum, seu a volontate rejectum, ut contra actualem ejus inclinationem, ut est illud, quod fit per vim absolutam, vel per ignorantiam invincibilem. Secundum est illud, quod a voluntate quidem nunc est volitum; nolitum tamen esset, et rejectum, si quaedam circumstantiae removerentur. Sic cum quis metu mortis fidem Christi denegat, quam denegare nollet, si metus mortis abesset; denegatio illa est *secundum quid* involuntaria, nam spectata uti necessaria ad mortem removendam eligitur; alioquin rejiceretur. Hoc proinde involuntarium vocatur mixtum, quia ex voluntario, et involuntario coalescit, quatenus voluntas illud vult, sed cum aliqua renitentia.

Q. Num involuntarium differt a coacto, violento, et necessario?

R. Maxime: nam involuntarium de solo agente rationali dicitur. Coactum, sive invitum dicitur de agente animato tum rationali, tum irrationali. Violentum dicitur de agente inanimato. Necessarium vero dicitur de agente libero. Unde involuntarium opponitur voluntario; coactum spontaneo; violentum naturali; et necessarium libero.

Q. Qua ratione voluntarium tollitur, minuitur, vel augetur?

R. Tollitur omnino voluntarium, et efficitur involuntarium simpliciter per vim absolutam, et ignorantiam invincibilem. Minuitur voluntarium, et efficitur involuntarium *secundum quid*, per metum, ignorantiam vincibilem non affectatam, et per concupiscentiam antecedentem. Augetur voluntarium per ignorantiam affectatam, et per concupiscentiam consequentem.

CAPUT V.

De Vi, et Metu.

Q. Quid est Vis?

R. Vis, quae et *violentia*, et *coactio*, dici solet aliquando est, ex Paulo Jureconsulto. L. 2. ff. *quod metus caussa: Majoris rei impetus, qui repelli non potest.*

Q. Quotuplex est vis?

R. Duplex: Alia *absoluta*, *sive efficax*: Alia *secundum quid*, et *inefficax*. Prima est illa, cui totis viribus interius, exteriusque repugnatur. Secunda est illa, cui non efficaciter, et non omnino resistitur.

Q. Quid requiritur ad efficiendam vim efficacem, et absolutam?

R. Duo requiruntur: 1, ut motio, seu impetus procedat ab extrinseco; 2. ut qui vim patitur, interius contraria inclinatione repugnet, et exterius quoad ejus fieri poterit, positivo, et exteriori conatu resistat vim inferenti: uno verbo, resistentia ex parte voluntatis, et resistentia ex parte membrorum requiritur.

Q. Potestne humana voluntas vim pati, seu cogi ad actus suos ponendos?

R. Si sermo sit de actibus elicitis, aut de actibus imperatis interioribus, qui scilicet interiori potentia, v. g. intellectu, perficiuntur, humana voluntas vim pati non potest pro illis; quia voluntas cum agat semper pro arbi-

trio suo, ut nunquam contra suam inclinationem, si vim pateretur pro his actibus, videretur simul velle, et nolle: velle, quatenus ageret; nolle, quatenus ageret, se repugnante omnino. Praeterea vis cum sit ab exteriori, non potest afficere partes interiores, scilicet voluntatem, vel alias interiores potentias ad ponendos actus suos. Si autem sermo sit de actibus imperatis exterioribus, voluntas pati potest violentiam, quatenus per violentiam exteriora membra impediri possunt, ne imperium voluntatis exequantur, quod autem ipsum proprium actum voluntatis spectat, non potest ei violentia inferri; ita D. Thomas 1. part. q. 82. art. 1. et 1. 2. q. 6. art. 4. (1).

Q. Vis tollitne voluntarium; ita ut, quae fiunt per vim dicantur involuntaria?

R: Maxime; semper ac vis est absoluta, et ita efficax, ut ei resisti non possit; hujusmodi enim vis tollit voluntati suam indifferentiam, et libertatem, quae voluntario proprie dicto hominis convenit. Dixi: *Si vis est absoluta, et efficax;* nam si vis sit inefficax, et secundum quid, non tollit voluntarium, quia tunc concurrit ad actionem aliquis consensus voluntatis, licet cum aliqua displicentia.

Hinc vis absoluta excusat a peccato, quod per hujusmodi vim committitur; quia non est voluntarium: et peccatum non est, quod absolute involuntarium est. Hinc, si puella defloretur per vim absolutam, nempe ipsa interius, exteriusque, quoad ejus fieri potest, reluctante, non peccat: imo ei castitas duplicatur ad coronam.

Q. Quid si quis per vim ad illicita adactus, interius omnino reluctans, exterius omittat resistere, clamare etc. et permissive se habeat ad malum pro vitanda morte, infamia, scandalo, quod habebitur certo, si resistat clamet etc.?

R. A peccato non excusatur, quia cessante exteriori resistentia, ac reluctatione ad vitandam mortem, infamiam, etc. non dicitur amplius vim absolutam pati, quae a peccato excusat; sed metum, qui non excusat, quando actio est intrinsece mala. Praeterea non resistendo, et non clamando, cum possit, censetur in malum ipsum consentire, et cooperari.

Q. Quid est metus, et differtne a vi?

R. Est instantis, vel futuri periculi causa mentis trepidatio, L. 1. ff. *de eo, quod metus:* et id dicitur metu fieri, quod aliquis declinandi alicujus mali causa fecit, alioquin non facturus.

Differt autem a vi; nam metus minuit voluntarium, sed non tollit, uti vis: metus afficit potentias interiores; vis vero etiam potentias exteriores.

Q. Quotuplex est metus?

R. Multiplex est: et primo alius est ab intrinseco; alius ab extrinseco. Ab intrinseco dicitur, cum metus oritur ab ipsomet timente, qui ad evitandum malum sive ex causa naturali, v. g. tempestate, sive ex quocumque alio infortunio imminens, ultro medium eligit, quod alioquin non eligeret; ut si nauta metu naufragii; vel peregrinus metu praedonum; primus merces ab-

(1) Jure novissimo Cod. LL. Civ. contrahentium consensum per vim extortum nullum prorsus esse cautum, ideoque hujusmodi contractus rescindendos esse sancitum art. 1063: sive ab ipso contrahenti illata vis fuerit, sive ab aliis, sive ipsi stipulanti, sive ejus uxori, ascendentibus, vel descendentibus: art. 1067.

jiciat, secundus votum emittat, ut incolumis iter agat. Ab extrinseco dicitur, cum metus ab extrinseca persona directe incutitur ad aliquid extorquendum, puta consensum, rei traditionem, votum etc.

2. Metus ab extrinseco potest esse justus, et injustus. Justus dicitur, quando suscipitur ex malo sibi debito, quod alter jure inferre potest. Hinc metu justo dicitur premi, si quis sponsalia contraxit, et nullam postea habens justam resiliendi causam, a Judice compellitur sub aliqua poena ad matrimonium contrahendum, quod ipse contrahere nollet. Injustus est, quando ex malo indebito, quod alicui quis ex mera injuria inferre vult, excitatur; unde si pater defloratori filiae suae minetur mortem, nisi matrimonium cum illa contrahat, metus iste injustus dicitur, quia pater non habet jus occidendi filiae defloratorem.

3. Metus alius est gravis, et alius levis. Gravis est ille, qui ex malo sive absolute, sive respective gravi futuro, et probabiliter eventuro excitatur; et dicitur etiam probabilis, et justus. Levis est ille, qui ex malo levi, vel ex malo gravi, sed remoto, aut non probabiliter futuro excitatur, et dicitur etiam vanus, injustus, improbabilis.

4. Metus gravis alius est absolutus, et alius respectivus. Absolutus est cum provenit a malo, quod respectu omnium grave est, uti est mors, mutilatio, diuturna verberatio, longum exilium, captivitas, carcer durus, triremes, amissio notabilis bonorum, infamia magna, injusta depositio a dignitate, violenta defloratio, et alia hujusmodi, sive haec immineant sibi, sive suis intime conjunctis, uti parentibus, filiis, fratribus, conjugi etc. Et hic metus dicitur etiam cadens in virum constantem. Respectivus est cum oritur a malo, quod respectu hujus censetur grave; respectu alterius, reputatur leve (1).

Q. Quaenam conditiones requiruntur, ut efficiatur metus gravis.

R. Plures: 1. ut malum, quod timetur, sit grave vel saltem ita reputetur; et sit majus eo, quod metus caussa suscipitur, ac prudenter judicetur imminere; nam vir constans non est, qui ex levi incommodo quatitur, vel majus, malum eligit ad vitandum minus, aut ex levi conjectura mali turbatur. L. *metum* 5., et 6. *ff. quod metus.* Quare metus etiam mortis non censetur gravis, si agatur de peccàto etiam veniali committendo, cum majus malum sit peccatum etsi veniale quam ipsa mors. 2. ut metum incutiens possit, et soleat minas exsequi, quia non est viri constantis minis terreri cujusque; et illius praesertim, qui facile minatur, sed facilius a minarum executione desistit. L. *famosi* ff. ad Legem Juliam Majestatis. 3. Ut metum passus modum non habeat effugiendi malum sibi imminens; nam inconstantis viri est metuere de malo, cui facile potest occurrere.

5. Metus alius est antecedens; alius concomitans. Antecedens est ille, qui movet metuentem ad agendum, ita ut actio dicatur posita ex metu. Concomitans est ille, qui actioni conjungitur, sed non est caussa actionis, et dicitur actio facta cum metu.

(1) Jure Civili mala gravia censentur mors, mutilatio membrorum, exilium, captivitas, vincula, stuprum. L. 4. 7. 8. § 1. D. L. 4. C. h. t. Illud vero heic animadversione dignum, rite quod metus gravitas, vel levitas ex personarum indole, aetate, et qualitate arguenda sit: quod enim pueros, et mulieres vehementer concutit, id profecto viros ne leviter quidem tangit.

Metus antecedens vel est totalis, et est ille, quo sublato, actio non fieret; vel partialis, et est ille, qui simul cum alia caussa ad agendum urget; unde metu ablato, adhuc actio poneretur, quamvis non tunc, vel non ita prompte. Advertendum tamen, quod hoc loco gravem, antecedentem, et totalem metum intelligimus, cum de metu gravi fit mentio.

Q. Quid dicendum de metu reverentiali?

R. Metus reverentialis est ille, quo quis timet offensam majorum; v. g. Filius offensam patris, pupillus offensam tutoris; subditus offensam Superioris. Hic metus per se levis est, et talis in foro externo reputatur. Fit gravis in foro conscientiae, si huic metui accedant minae, vel preces importunae, et imperiosae; vel si offensa majoris credatur esse nimis duratura, damnosa, irreconciliabilis.

Q. Metus gravis tollitne, vel minuit voluntarium?

R. Posset dari casus, in quo metus gravis ita mentem perturbaret, ut usum rationis omnino tolleret, et tunc libertas adimeretur, et voluntarium. At excepto hoc casu, metus non tollit voluntarium; nam qui agit ex metu gravi, licet aliquo modo retinens, consulte agit, existimat enim inspectis hic, et nunc circumstantiis occurrentibus, bonum sibi esse, quod agit, et hoc sufficit ad rationem voluntarii. Minuit autem voluntarium metus gravis, quatenus illud, quod fit ex tali metu, eligitur cum tali aversione actuali voluntatis, ut sublata metus circumstantia, non eligeretur. Quare quod fit ex metu gravi est absolute voluntarium, sed involuntarium conditionate, scilicet, si abesset metus: patet ex *L. mulier ff. de eo quod metus caussa,* ibi: ***Si metu coactus adii haereditatem, puto me haeredem effici, quia quamvis, si liberum esset, noluissem, tamen coactus volui.*** Antoine Dissert.

Q. Quid ad regulam IV. Juris: ***Velle non creditur, qui obsequitur imperio Parentis, vel domini.*** Cum ex hac regula arguatur, quod si metus reverentialis tollit voluntarium, a fortiori metus gravis?

R. Hic Textus intelligendus est, quod velle non creditur plene, quatenus non habet voluntatem plenam, sed diminutam, qui ob imperium Parentis, vel domini aliquid agit. Colligitur ex Glossa in cap. ***Sacris,*** de iis, quae vi: metusque caussa etc.

Q. Num metus gravis excuset a peccato?

R. Si actio, quae fit ex metu gravi, est per se mala, aut talis fit per accidens, seu ex aliqua circumstantia, v. g. si incutiatur metus ad aliquod agendum contra bonum publicum, vel in contemptum Religionis, Fidei, vel legislativae potestatis, vel ad praestandum influxum directum in peccatum alterius; metus gravis a peccato non excusat, quia quod est intrinsece malum, aut tale fit per superadditam circumstantiam, nulla de caussa cohonestari potest, et nullo in casu poni. Hinc non excusatur a peccato gravi, qui procurat abortum, duellum acceptat, vel offert, Sacramentum simulate ministrat etc., licet id faciat ex metu gravissimo, quia haec per se mala sunt.

Si autem actio, quae oritur ex metu gravi, non est intrinsece mala, sed mala solum, quia prohibita, metus gravis a peccato excusat, quia prohibitio ista non obligat cum gravi incommodo, et damno notabili subditi; quare a peccato excusatur, si quis ex metu gravi missam die festo non audit. Antoine.

Q. Metus gravis excusatne ab adimpletione praecepti Juris naturalis?

R. Minime, quando praeceptum juris naturalis in tali circumstantia viget, scilicet jubet, vel vetat aliquid: et ratio est, quia lex naturalis non precipit, nec prohibet nisi id, cujus omissio, vel commissio dedecet naturam rationalem, et est intrinsece mala. Quod autem intrinsece malum est, nec etiam ad vitandam mortem fieri potest, etiam si malum illud leve sit: ex capite, *Ita ne*, *caussa* 32. quaest. 5. Antoine de legibus, quaest. 5.

Dixi, si praeceptum juris naturalis in tali circumstantia viget; nam in quibusdam casibus adveniente metu gravi jus naturale obligare desinit, quando scilicet, malum quod timetur revera gravius est eo malo, quod committitur; ideoque aliquo modo cohonestatur; vel quando adimpletio praecepti licite potest differri. Hinc a peccato excusatur si quis in extrema necessitate aliquid surripit in ea mensura, qua tali die vitam suam servet; item si quis ad defendendam vitam suam, injustum aggressorem occidat cum justo moderamine; si quis etiam non potest restituere, nisi cum magna sua infamia rem ablatam. In his enim, et similibus casibus jus naturale non urget, et proinde metus gravis excusat.

Q. Excusatne metus gravis aliquem ab adimpletione praecepti Juris positivi divini?

R. Minime: quando hoc praeceptum versatur circa id, quod a Deo praecipitur, ut medium absolute necessarium ad salutem Animae consequendam; salus enim aeterna rebus omnibus temporalibus est praeferenda. Hinc metus gravis amittendi regnum, non excusat Principem infidelem a suscipiendo baptismate, licet interne credat Christianae Fidei. Item nullus metus gravis excusat, si praeceptum Juris divini positivi respiciat bonum commune Ecclesiae, vel Religionis, quia hujusmodi bonum praevalere debet cuicumque bono particulari. Quare non excusatur Sacerdos, si ex metu gravi in administrandis Sacramentis, debita non utatur forma, ac materia, vel non servet sigillum sacramentale, vel non sub utraque specie consecret etc.

Quod si praeceptum Juris Divini positivi bonum tantum particulare respiciat; non vero medium absolute necessarium ad Animae salutem, aut bonum commune Ecclesiae; tunc metus gravis excusat, dommodo contemptus formalis non accedàt, quia censetur Deum, cujus jugum suave est, in tali casu remittere obligationem: ut constat ex Matthaei cap. 12. ubi Christus adprobavit factum Davidis 1. Reg. 12. qui ne inedia cum suis conficeretur, comedit panes sacros, quibus jure divino positivo prohibebatur vesci laicus. Hinc ex metu gravi excusatur quis ab integritate materiali confessionis, ab observantia diei festi etc.

Dixi: dummodo non accedat contemptus formalis; quia si hic aderit, metus non excusat: praevalet enim tunc praeceptum naturale de vitando contemptu sive fidei, sive Religionis, sive legis, sive potestatis legislativae; quia cum haec omnia nonnisi a Deo sint, his contemptis, contemnitur Deus. Cuniliati, Antoine.

Q. Metus gravis excusatne ab observantia praecepti juris humani?

R. Maxime: quia leges humanae non obligant cum gravi incommodo; unde cap. 4 de regulis juris habetur: *Quod non est licitum in lege, ne-*

cessitas facit licitum. Et cap. 2. de Jejunii observatione statuitur, *infirmos immunes esse a jejunio, cum non subjaceat legi necessitas.*

Excipe tamen 1. Si adimpletio legis, vel praecepti omitti non potest sine contemptu legitimae potestatis, Religionis, Fidei, aut sine gravi scandalo proximi, quia tunc praevalet jus naturale obligans ad tuendam, et defendendam ab injuria Religionem, et potestatem publicam, ac ad advertendum grave proximi scandalum. 2. Si praecepti adimpletio necessaria est ad bonum commune: nam hoc debet praevalere bono privato. Sic Sacerdos tenetur obedire praecepto Episcopi, si deputetur, mortuo Parocho, vel Vicario ejus, ad assistendum Paroeciae tempore pestis. Item miles tenetur servare stationem, vel irruere in hostes ex praecepto ducis etc. In his enim casibus licet habeatur imminens periculum mortis, praevalet tamen bonum commune, quod urget.

Q. Num metus gravis, et injustus tollat obligationem juramenti promissorii?

R. Minime, quando res promissa licita est, et alteri non noxia; quia juramentum per metum gravem, et injustum extortum, verum juramentum est, ideoque ex Religionis virtute obligationem pariens. Patet ex cap. *si vero* de Jurejurando: *Non est tutum, quemlibet contra juramentum suum venire, nisi tale sit, quod servatum vergat in interitum salutis aeternae.*

§ Neque obstant caput: *Cum contingat* de Jurejurando, et caput: *Quamvis de pactis,* in quibus habetur, quod juramentum servandum est, dummodo tamen extortum non sit per vim; vel per dolum. Non obstant, inquam, quia hi textus loquuntur de juramento, quod adjicitur actui a lege infirmato principaliter favore jurantis; quem actum vult Pontifex juramento firmari; dummodo jurans per vim, et dolum non ediderit juramentum. Hinc textus citati non loquuntur de juramento per se stante, seu solum obligante ex virtute Religionis; nam hoc juramentum ex vi Religionis erga Deum in testem adductum, semper obligat, quomodocumque emissum sit, sive sponte, sive per metum; dummodo res promissa licita sit, et tertiae personae non noxia. Antoine.

Q. Valetne votum per metum emissum?

R. Si metus est gravis ab alio injuste incussus ad extorquendum votum, non valet; quia Deus non videtur acceptare tale votum per injuriam extortum; cum nec homo prudens acceptet quidquid sibi per metum gravem injuste incussum promittitur. Cap. *Perlatum* 1. *de his quae vi metusque caussa* etc. Et licet ibi agatur de professione religiosa, DD. tamen illud extendunt etiam ad votum simplex. Si vero metus est gravis, sed ab intrinseco, seu sponte susceptus ratione alicujus mali imminentis; v. gr. naufragii, infirmitatis etc., aut metus est ab extrinseco, sed juste incussus; aut est omnino levis, invalidum non reddit votum, quia est simpliciter voluntarium, et absque ulla injuria emissum.

Q. Contractus celebrati per metum sunt ne validi?

R. Jure naturae omnes valent, quia ad eos accedit sufficiens consensus, cum metus voluntarium non tollat. Idem dic Jure positivo, quibusdam contractibus exceptis. Patet ex L. ultima C. *de iis, quae vi, metusque caussa etc.* ubi habetur: *Venditiones, donationes, transactiones, quae per*

potentiam extortae sunt, praecipimus infirmare. Unde ex hoc textu colligitur, quod hae pactiones non sunt a principio irritae, sed tunc solum, cum Judex eas irritas declaraverit. Idem colligitur ex Cap. 2. *Abbas: de iis, quae vi, metusve caussa, ubi* habetur: *quae metu, et vi fiunt, de jure debent in irritum revocari.*

Dixi: *quibusdam contractibus exceptis*, quoniam sunt aliqui contractus, qui per metum gravem injuste incussum ab extrinseco extorti, jure positivo irriti sunt, et continentur hoc versiculo a Glossa relato in cit. capit. *Abbas*.

Tutor, Judicium, Dos, Sacrum, Copula, Votum.

Tutor, scilicet auctoritas tutoris, vel Curatoris extorta per metum gravem ex L. 1. *Quamquam*, et ex L. 2. de auctoritate, et consensu Tutoris:

Judicium hoc est absolutio a censuris, vel earum quaecumque revocatio: Cap. unico, *absolutionis*, de his, quae vi, metusve caussa in 6. Imo habetur ex hoc capite, quod metum incutiens ad hujusmodi effectum, excommunicationem ipso facto incurrit. Item per ly judicium intelligitur etiam quaevis jurisdictio per metum gravem obtenta. L. 2. ff. de judiciis.

Dos, nempe promissio, vel solutio dotis L. 21. ff. *de eo, quod metus caussa*, §. *Si dos:* nam dos, cum sit accessoria ad matrimonium, plenam libertatem requirit.

Sacrum, scilicet promissio vel traditio rerum Ecclesiae; nam si hujusmodi promissio, vel traditio non valet si sine solemnitatibus fiat, a fortiori valere non debet, si fiat per metum gravem. Cap. *Pervenit* 2. de jurejurando.

Copula, videlicet matrimonium; com enim sit indissolubile ejus vinculum, totam requirit libertatem ne injuria aliqua accidat, quae postea prorsus tolli non possit: Cap. *cum locum:* de sponsalibus. Item sponsalia de futuro, secundum aliquos: nam sunt via ad matrimonium contrahendum, ac proinde plenum exigunt consensum.

Votum, nempe Professio religiosa. Cap. I. *Perlatum, de his, quae vi, metusve caussa.* Et ratio est, quia vinculum indissolubile ex parte professi contioet, ac proinde, non secus ac matrimonium, plenam requirit libertatem profitentis.

Q. Quid efficit metus in contractibus illis, quos de iure positivo non irritat?

R. Si metus est ab extrinseco injuste incussus ad extorquendum contractum, et est levis, ac contractus est rescindibilis, efficit, ut contractus possit rescindi in foro conscientiae tantum, ne multiplicentur lites in foro externo. Qood si hujusmodi metus est gravis, efficit, ut contractus in utroque foro rescindatur. L. 9. ff. *de eo, quod metus caussa.* Efficit 2., ut qui metum sive gravem, sive levem, injuste incussit, teneatur in conscientia tollere,et resarcire injuriam,et omnia incommoda inde orta,et laesum in priorem statum libertatis adducere, ante Judicis sententiam; atque etiam compensare omnia damna, quae metum passo evenerunt, quia ipse fuit injusta eorum caussa: *cap. ult. de injuriis.* 3. Si nolit metus passus contractum rescindere, metum incutiens teuetur stare contractui, nam jus rescindendi tribuitur solum metum passo, 4. Si res per metum injustum extorta in ma-

nu tertii possessoris reperiatur; tenetur iste rem illam reddere, si metum passus repetat L. 14. D. *de eo quod metus caussa*; quia metum passus habet actionem non solum in personam, quae metum incussit, sed etiam in rem suam, ad quemcumque pervenerit.

Ubi nota, quod haec, quae dicta superius sunt, valent; sive metus processerit ad altero contrahente, sive a tertia persona, quia semper verificatur, quod consensus fuerit per injuriam extortus.

Q. Metus gravis excusatne a censuris?

R. Si actio, quae ex metu gravi fit, excusatur a peccato, excusatur etiam a censura, ubi enim deest culpa, debet deesse etiam poena tali culpae adnexa; et censura sine culpa non contrahitur. Si autem actio non est a peccato immunis, nec etiam immunis est a censura tali peccato adnexa, quia adest omne id, quod requiritur pro incurrenda censura, scilicet peccatum, et contumacia; peccatum, quatenus injuste violatur lex; contumacia, quatenus fit contra Ecclesiae mentem. Ecclesia namque, cum suum censurae praeceptum adjungit legi, intendit homines potentius et efficacius retrahere a violatione legis; quando ergo haec violatur, mens Ecclesiae frustra est; Patet ex capite, *Sacris:* de iis, quae vi, metusve etc. ubi habetur: ***Si quis per coactionem adstrictus communicet cum excommunicato, non credimus excommunicatione teneri, cum magis pati, quam agere convincatur. Si per metum inductus, excommunicationis labe credimus inquinari, cum pro nullo metu debeat quis peccatum mortale incurrere.*** Patet etiam ex propositione tertia a Benedicto XIV. damnata: ***Non incurrit ecclesiasticas poenas contra duellantes latas Dux, vel officialis militiae acceptans duellum ex gravi metu amissionis famae, vel officii.***

Q. Metus gravis excusatne a reservatione?

R. Si actio, quae oritur ex metu gravi; est intrinsece mala, metus sicut a peccato non excusat: ita nec a reservatione excusat, quae ob peccatum, vel ob censuram fertur. Vel actio est solum mala, quia prohibita, et tunc sicuti metus gravis excusat a peccato, et a censura, ita et excusat a reservatione, quae nonnisi supra peccatum, vel reservationem cadit.

CAPUT VI.

De Ignorantia

Q. Quid est Ignorantia, et quotuplex?

R. Ignorantia est privatio scientiae eorum, quae quis aptus natus est scire, ita D. Thomas 1. 2. q. 56. art. 2.

1. Ignorantia respectu rei, quae ignoratur, seu objecti, primo, triplex est. Alia, quae dicitur purae negationis, ac reperitur in subjecto non apto pro eo tempore, et statu ad sciendum; et dicitur ab aliis nescientia, vel ignorantia late sumpta: talis est ignorantia mysteriorum Fidei in infante perpetuo amente etc. Alia est ignorantia privationis, et est carentia cognitionis debitae earum rerum, quas quis potest, et debet scire; et dici solet ignorantia stricte sumpta: hujusmodi est ignorantia mysteriorum Fidei in adulto mentis compote, qui ignorat ea, quae cum potuerit, et debuerit; vel nunquam didicit, vel si aliquando didicit, oblitus est. Alia denique est ignorau-



tia pravae dispositionis, estque carentia cognitionis debitae conjuncta cum errore huic opposito; talis est ignorantia mysteriorum Fidei in Judaeo, haeretico etc:

2. Ignorantia ex eodem respectu alia est juris, alia facti, alia poenae. Prima est, qua quis legem, vel praeceptum, aut legitimam consuetudinem ignorat. Secunda, qua quis ignorat factum, seu rem particularem, aut qualitatem, seu circumstantiam ejusdem rei esse juxta, vel contra legem, vel praeceptum. v. g. quis ignorat, hunc diem esse diem veneris: vel quod comedit, ignorat, esse carnem. Tertia est qua quis ignorat poenam a lege latam contra legis violatores, v. g. ignorat, percussioni Clerici injuste adnexam esse excommunicationem.

Respectu actus, qui fit ex ignorantia, alia est antecedens; alia concomitans; alia consequens. Antecedens est illa, quae nec directe, nec indirecte est voluntaria; et qua absente, actio non fieret; unde est caussa volendi id, quod agens alioqui non vellet; tali ignorantia dicitur laborasse venator, qui omni morali diligentia adhibita, ne hominem occideret, credens occidere feram, fratrem suum occidit. Dicitur antecedens, quia prior est ignorantia, quam voluntas agendi.

Concomitans est illa, non ob quam, sed cum qua fit actio; quae adhuc fieret, si talis ignorantia abesset? Quare concomitans dicitur ignorantia Venatoris, qui credens occidere Cervum, inimicum occidit, quem occidisset, etiam si scivisset illum esse inimicum. Dicitur concomitans, quia non est caussa actus, sed comitatur actum.

Consequens est illa, quae a voluntate agentis directe, vel indirecte procedit; quatenus poterat, et debebat agens illam repellere, et directe, vel indirecte noluit. Dicitur consequens, quia sequitur voluntatis determinationem, qua agens id, quod tenebatur scire noluit, cum poterat. Hinc consequens est ignorantia Venatoris; qui dubitans, an sit fera, vel homo umbra illa, quam vidit, nullam volens adhibere diligentiam, vel negligens, contra umbram ballistam igneam explodit, et hominem occidit,

Respectu personae, Ignorantia vel est invincibilis, vel vincibilis, Invincibilis est illa, quam quis, adhibita, juxta sui status conditionem, morali diligentia, ac studio, vincere, et superare non potest, ac proinde involuntaria, inculpabilis, et antecedens dicitur. Vincibilis vero est illa, quam quis adhibita morali diligentia, vincere et superare potest, ac debet; ac proinde voluntaria, lata, culpabilis, et consequens vocatur.

Q. Quotuplex est ignorantia vincibilis?

R. Duplex: Alia crassa, seu supina, et alia affectata. Prima est, cum quis ex quadam pigritia vel non curat vel parum curat scire ea, quae tenetur scire; et dicitur indirecte voluntaria. Secunda, seu affectata est, cum quis consulto non vult scire ea, quae tenetur scire, ut habeat excusationem in peccatis, vel ut a peccato non retrahatur; et dicitur directe voluntaria.

Demum ignorantia vel est habitualis, vel actualis. Habitualis est illa, quae consistit in habitu, seu est permanens necessariae scientiae defectus. Actualis est debitae cognitionis actualis privatio, et dicitur alio nomine inadvertentia, inconsideratio, et oblivio.

Q. Num ignorantia tollit voluntarium?

R. Ignorantia antecedens et invincibilis tollit voluntarium, et efficit actum

involuntarium simpliciter; quia quidquid fit per bujusmodi ignorantiam, fit contra voluntatis inclinationem, et ipsa ignorantia est caussa volendi.

Ignorantia consequens, et vincibilis indirecte voluntaria, seu crassa, et supina non tollit voluntarium, sed minuit: non tollit, quia voluntatis determinationem sequitur; minuit vero, quia actio per ignorantiam crassam posita, minus efficaciter intenditur, et contra aliquam voluntatis inclinationem; unde efficitur involuntaria secundum quid, et non est caussa actus. Ita D. Thomas 1. 2. q. 76. a 3., et 4.

Ignorantia consequens affectata, cum sit directe voluntaria, auget voluntarium; nam ex intentione voluntatis ad peccandum provenit, quod aliquis vult subire ignorantiae damnum propter libertatem peccandi: ita D. Thomas loc. cit.

Ignorantia concomitans non efficit actum voluntarium; quia cum tali ignorantia non habetur cognitio finis, seu objecti in agente. Neque efficit actum involuntarium, quia id, quod fit, non est contra voluntatis inclinationem; efficit ergo actum non voluntarium. Ita D. Thomas, 1.2.q.6.a8.

Q. Num ignorantia concomitans fiat aliquando etiam consequens?

R. Maxime, quando scilicet ignorantia nullatenus ad operandum inducit; ita ut etiam ipsa seclusa, opus fieret: sed moralis diligentia, quae poterat, et debebat adhiberi ad vincendam ignorantiam, non praecessit: v. g. occidit quis inimicum in silva latentem, dum credebat occidere feram, sed si scivisset esse inimicum, etiam occidisset; attamen ante jactum sagittae, qua occidit, neglexit circumspicere, an esset fera, vel homo umbra illa, contra quam sagittam dirigebat. Ubi nota, quod de hac ignorantia mixta ex concomitanti, et consequenti eodem modo loquendum, ac de ignorantia absolute consequenti. Antoine.

Q. Ignorantia excusatne a peccato formali?

R. Ignorantia antecedens, et invincibilis excusat a peccato formali; quia hujusmodi ignorantia reddit actionem absolute involuntariam: ideoque a culpa immunem.

Hic tamen advertendum, quod ignorantia non dicitur absolute invincibilis, et inculpabilis, quia agenti tempore actionis nulla ratio, nullum dubium, nullus scrupulus occurrit de ignorata difformitate moralis actionis; vel omissionis, ut aliqui volunt; sed invincibilis, et inculpabilis dicitur, quando nulla ratio dubitandi, nullus scrupulus, nullum dubium circa jus, aut factum, vel circumstantiam ignoratam occurrit agenti: qui ad discenda ea, quae scire tenebatur, et poterat, illam praemisit moralem diligentiam, quam in simili adhibere solent viri prudentes, unde talis ignorantia introducta videatur praeter omnem culpam, et non jam per praeambulam culpam. Antoine.

Ignorantia consequens, et vincibilis non excusat a peccato, quia sicut hujusmodi ignorantia voluntaria est, ita et actio peccaminosa, quae ex tali ignorantia fit.

Hic tamen notandum, quod ignorantia consequens non affectata, sicut minuit voluntarium, ita et minuit culpam; at non ita minuit, ut ex mortali faciat illam venialem, quando negligentia addiscendi gravis fuit. Dixi non affectata, quia, si affectata est, non solum non minuit; sed etiam auget voluntarium, et proinde malitiam peccati.

Ignorantia concomitans excusat a peccato, si cum ignorantia invincibili

conjuncta est: quia ubi non est scientia ejus, quod agitur; ibi non est voluntarium, et proinde neque culpa. Quare si quis adhibita morali diligentia, invincibiliter ignorat, hominem inimicum esse, quem occidit, et si sciret, etiam occidisset, is non vult ea actione homicidium committere, unde non peccat homicidii peccato. Layman, Stapò.

Ubi advertendum, quod cum ignorantia concomitanti invincibili potest haberi peccatum, quando scilicet cum tali ignorantia conjungitur prava actualis affectio animi, v. g. si in actu, quo credebat feram occidere, optabat occidere inimicum, vel si postquam occidit pro fera inimicum, et advertit; de perpetrata caede laetetur. Si autem ignorantia concomitans mixta est cum consequenti, non excusat a peccato, quia indirectum voluntarium continet, ut supra notatum est.

Q. Ignorantia invincibilis Juris naturae excusatne a peccato formali eum, qui ex tali ignorantia illud Jus violat?

R. Maxime; quia quod fit ex ignorantia invincibili omnino involuntarium est, etiamsi fiat contra legem naturalem; quod autem involuntarium est, culpa vacat. Quare merito haec propositio ab Alexandro VIII. proscripta fuit: *Tametsi detur ignorantia invincibilis Juris naturae, haec in statu naturae lapsae operationem ex ipsa non excusat a peccato formali.*

Q. Daturne ignorantia invincibilis Juris naturae?

R. Jus naturae sub triplici respectu considerandum est. Primo enim adveniunt prima, et universalia principia recte agendi, ut: *Quod tibi non vis, alteri ne feceris. Bonum faciendum, malum vitandum est: Deum adorandum, et amandum.* 2. Sequuntur conclusiones proxime, et immediate deductae clare, et faciliter ex illis primis principiis; uti *non occides: non furaberis.* 3. Denique habentur conclusiones remotiores mediate, et per discursum descendentes ab illis primis principiis, uti sunt praecepta ipsa Decalogi secundae tabulae, sed variis implicata circumstantiis: uti *non furaberis in gravi necessitate; non occides ad conservandam famam* etc.

Si sermo sit de primis, et universalibus principiis; de his non datur ignorantia invincibilis; quia cum sint prima, et universalia morum principia, per se nota sunt; et a corde rationalis creaturae deleri non possunt, ut ait D. Thomas (1). Si loquatur de conclusionibus proximis, et immediate deductis ex primis principiis, et de his, nec etiam datur ignorantia invincibilis, quia hujusmodi conclusiones naturaliter, et facile deducuntur; et, si aliquando reperiatur de his conclusionibus ignorantia, haec dicenda est vincibilis, et volita in sua caussa; oritur enim ex pravis consuetudinibus; atque vitiis, quae homo potest, et tenetur repellere adjutorio Gratiae divinae. Si loquatur denique de conclusionibus remotioribus, datur ignorantia invincibilis de his, quia non omnes adulti sive defectu scientiae sibi non debitae, sive mentis hebetudine, efformare possunt tale ratiocinium, ut ex primis principiis recta via ad conclusiones remotiores descendant.

Q. Daturne ignorantia invincibilis Juris positivi divini novi, scilicet legis evangelicae?

(1) Sapienter ad rem Tullius (orat. pro Mil.) *Est haec Lex non scripta, sed nata: quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus.*

R. Jus positivum divinum novum tria praeceptorum genera complectitur; moralia scilicet, caeremonialia, et credibilia. Praecepta moralia eadem sunt, ac praecepta Juris naturae, vel saltem ad ea revocantur, quae proinde Cristus Dominus non instituit, sed clarius explicavit. Caeremonialia vocamus, quae pertinent ad Sacramentorum confectionem, vel administrationem, quaeque Christus instituit, abrogatis iis, quae ex mosayco ritu praescripta erant. Credibilia denique sunt, quae continent mysteria Fidei, quae prius umbris, et figuris involuta, fuerunt postea a Christo reserata, explicata, et proposita nobis credenda.

Circa praecepta primi generis, recole ea, quae superius dicta sunt. Quoad praecepta secundi, et tertii generis, dicendum, quod possit dari ignorantia invincibilis. Potest enim fieri, ut ait D. Augustinus libr. de natura et Grat. quod alicui sufficienter annunciatum non sit Evangelium Christi, a quo jus divinum positivum novum oritur; ac proinde hoc invincibiliter ignoretur. Unde ait Apostolus ad Rom. 10. : *Quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine praedicante?* Quare D. Thomas 2. 2. qu. 10. a. 1 ait; *Infidelitas negativa in iis, qui nihil audiverunt de Fide, non habet rationem peccati, sed magis poenae.* Unde recte proscripta fuit thesis 68 Baji ab Urbano VIII. *Infidelitas negativa in iis, in quibus Christus non est praedicatus, peccatum est.*

Neque huic doctrinae obstant verba Apostoli Epist. ad Rom. cap. 10. *Numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum.* Ex quibus verbis apparet, quod in omni mundi regione notitia habeatur de Evangelio, et Fide, et proinde eorum ignorantia invincibilis non est. Neque obstant ejusdem Apostoli verba Epist. ad Hebr. cap. 11: *Sine Fide impossibile est placere Deo:* quoniam placere quis posset Deo sine Fide, si daretur ignorantia invincibilis mysteriorum Fidei, cum talis ignorantia non sit peccatum.

Non obstant, nam ad primum, Verba Apostoli ad Romanos citata videntur esse prophetica tractum successivum habitura usque ad finem mundi, quatenus, antequam finis mundi adveniat, in omnem terram notitia Christianae Fidei advenerit. Insuper ad veritatem illorum verborum sufficit fuisse Christi Evangelium praedicatum in omnibus Provinciis, earumque principalioribus Civitatibus, atque ideo potuerunt esse oppida, et loca ignobilia, quae Evangelii notitia caruere.

Ad verba Apostoli ad Hebr., dicendum: quod verum est, neminem sine fide posse placere Deo, et salvari. Sed infideles, qui mysteria fidei, ac jus divinum positivum novum invincibiliter ignorant, damnantur quidem propter alia peccata; quae sine fide remitti non possunt: non autem damnantur ob infidelitatis peccatum: ita D. Thomas loc. citat. Aut damnantur vel vitio originis, vel additamento propriae voluntatis, ait D. Augustinus ad Xistum Epist. 194. Vide Berti de Theologicis disciplinis lib. 21. cap. 10.

Q. Daturne ignorantia invincibilis juris positivi humani?

R. Maxime, nam impossibile est, moraliter loquendo, quod quisque sciat omnes leges, et praecepta humana, sive civilia, sive ecclesiastica, ut proinde ignorantiam illorum vincat. Hic tamen notandum, quod in ordine ad leges, et praecepta, quae proprium statum, et officium respiciunt, raro ignorantia potest dici invincibilis, nam facile cuilibet apparet dubitandi ratio de iis.

Q. Num peccat ille, qui ex ignorantia legis legem non servat?

R. Si ignorantia est invincibilis, non peccat; quia cum haec ignorantia voluntarium tollat; tollit etiam peccatum, quod sine voluntate commissum est. Si vero ignorantia vincibilis est, peccat, quia habetur violatio legis indirecte voluntaria; nam poterat, et debebat legem scire, et neglexit. Hinc ait Augustinus lib. 3, de libero Arbit. cap. 19. *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quaerere, quod ignoras.*

Neque huic doctrinae obstat regula Juris 23, in 6. *Ignorantia facti, non vero Juris excusat;* nam haec regula locum habet in foro exteriori, in quo non praesumitur aliquis ignorasse inculpabiliter ea, quae tenetur scire; non autem in foro conscientiae, in quo praesumptio cedit veritati. Antoine de peccatis cap. 4. q. 5.

Q. Ignorantia legis excusatne a poena per legem ignoratam imposita?

R. Si ignorantia legis excusat ab omni culpa, excusat etiam ab omni poena, quia ista non nisi ob culpam imponitur; cum ergo deficiat culpa; deficit etiam et poena; unde cap. 2. de Constitutione sic habetur: *Rem, quae culpa caret, in damnum vocare non convenit.* Hinc si ex ignorantia inculpabili quis legem violavit, nulli poenae obnoxius esse debet, ita ut si a Judice poenae addictus sit quia suam ignorantiam probare non potuit, potest poenam declinare, modo id faciat sine scandalo, vel aperta vi. Si vero ignorantia talis sit, ut tantum a culpa gravi excuset, non vero a veniali, ignorantia tunc excusat a poena gravi, non autem a poena levi, quia poena commensuranda est cum culpa, juxta illud Deuter. 25: *Pro mensura peccati erit et plagarum modus:*

Si denique ignorantia nullatenus excusat a culpa, quatenus vincibilis est, regulariter loquendo, nec etiam excusat a poena, quia cum haec ignorantia sit indirecte voluntaria, non tollit culpam, et proinde nec poenam. Collet. Antoine.

Dixi regulariter loquendo, quia si in lege habetur particula: *Scienter*, vel *temere*, aut *praesumptuose,* vel alia bujusmodi, tunc ignorantia vincibilis, et graviter culpabilis dummodo tamen non fuerit affectata, excusat a poena; quia lex talem particulam apponendo requirit, ad poenam inferendam, talem scientiae, contemptus, vel praesumptionis modum, ut videatur violatio legis processisse ex temeritate, et ex certa scientia. Collet. Antoine.

Dixi: dummodo non fuerit affectata: quia ignorantia affectata aequiparatur scientiae; et cum sit directe voluntaria, nullam tribuit delinquenti excusationem, ut ex capit. *eos qui* de tempore ordination. in 6.

Q. Ignorantia solius poenae excusatne a poena?

R. Regulariter loquendo non excusat; quia ignorantia haec non tollit culpam, et proinde nec poenam. Dixi: *regulariter:* quia si loquatur de poena censurae, ejus ignorantia excusat a censura, quippe quae fundatur in contumacia, qua caret, qui censuram ignorat.

Q. Num excusatur a poena, si quis actum, quem scit esse prohibitum jure naturali, vel divino, ignorat tamen invincibiliter esse prohibitum jure humano, et quidem sub poena?

R. Regulariter loquendo, non excusatur, quia cum habeatur vera legis violatio, ac proinde culpa, legislator humanus hanc punire intendit. Praeterea notitia poenae, posita culpa, non est necessaria ad incurrendam ipsam poenam.

Dixi, *regulariter loquendo*; quia ab hac doctina excipienda est censura, quae non incurritur nisi ob contumaciam; contumacia autem non habetur, quando invincibiliter ignoratur lex Ecclesiae, quae id prohibet sub censura. Item excipienda est poena extraordinaria, et exorbitans; nam sicut istius invincibilis ignorantia minuit contemptum legis, et proinde culpam, ita et minuit poenam, et sic, si non excusatur transgressor a tota poena; excusatur saltem a rigore poenae, quae ei minuenda est.

Q. Ignorantia invincibilis legis irritantis excusatne ab illa, hoc est impeditne irritationem?

R. Minime: quando irritatio actus posita est a jure directe ob bonum commune, quia haec lex irritans non respicit culpam puniendam, sed bonum commune statuendum; propterea non fundatur in praesumptione facti, sed periculi, ne aliquid fiat contra bonum commune; quare semper ac periculum hoc existit, existit etiam in suo robore lex. Hinc nullum est Testamentum sine solemnitatibus substantialibus conditum: professio religiosa ante legitimam aetatem emissa, vel nondum completo anno probationis; matrimonium celebratum sine Parocho, et testibus, licet haec ex ignorantia invincibili posita sint.

Q. Quid si irritatio actus apposita sit in vindictam culpae et ignoratur invincibiliter?

R. Si ignorantia hac excusat etiam a culpa, excusat ab irritatione, quia cum culpa sit caussa irritationis, cessante caussa, cessat effectus. Hinc si ex ignorantia invincibili, vel oblivione inculpata beneficiarius omittat horas canonicas aliquo die, non irritatur fructuum acquisitio illius diei. Si autem ignorantia non excusat a culpa, nec etiam excusat ab irritatione, licet haec invincibiliter ignoretur, quia existente caussa, nempe culpa, existere debet etiam ejus effectus, scilicet irritatio.

Q. Valetne collatio beneficii ecclesiastici per simoniam facta, si provisus invincibiliter simoniacam ignoraverit pravitatem?

R. Talis collatio ipso jure irrita est, quia licet non peccaverit provisus, peccavere tamen electores, vel collatores, aut mediatores; ideoque ex eorum culpa irritatur provisio. Ita ex cap. 27 *nobis fuit*; de simonia.

At valida erit, primo si ille, qui commisit simoniam promittendo, vel solvendo pretium simoniacum, fecit hoc malitiose, et per fraudem in dispendium illius, qui eligendus erat; et ratio est, quia alterius odio et malitia quis praegravari non debet. Ex eodem citat. capit. *nobis fuit.*

2. Si eligendus praevidens ante collationem, simoniam fore committendam, ipse pro virili parte conatus est eam avertere; sed postea credens simoniam non fuisse commissam, bona fide beneficium recipit per simoniam secreto ab alio commissam, et sibi incognitam, quia nihil sibi debet imputari ad culpam, et poenam, quando ipse expresse simoniam prohibuit. Ita ex cap. *sicut tuis*: de simonia.

Q. Daturne casus, in quo etsi provisus conatus sit ante collationem beneficii avertere simoniam, provisio tamen simoniace sibi facta ignoranter, adhuc irrita est?

R. Maxime: et est casus, quando provisus a voluntate, qua exhorrebat simoniacam provisionem, recessit; vel quia postea sciens, simoniace sibi beneficium comparatum, illud acceptavit; vel quia pecuniam promissam

solvit, vel solutam reddidit; tunc enim videtur adprobare Simoniam, ac proinde ratihabitio retrotrahitur, ac habetur tamquam mandatum. Glossa in citat. cap. *sicut tuis.*

Q. Teneturne ad restitutionem damni ille, qui damnum alteri ex ignorantia intulit?

R. Si ignorantia fuit antecedens, seu invincibilis, non tenetur: quia obligatio restitutionis oritur ex culpa justitiae commutativae opposita sive theologica sit, sive juridica, quae cum hujusmodi ignorantia non habetur. Si autem ignorantia fuit consequens, seu vincibilis, tenetur ad restitutionem, quia habetur illa culpa, quae talem obligationem parit. Si denique fuit concomitans ignorantia; et videndum, an actum, vel omissionem, unde damnum ortum est, praecesserit moralis, et conveniens diligentia ad damnum praecavendum, vel non: si praecessit, non tenetur, quia contra justitiam commutativam nulla adfuit effectiva culpa; si non praecessit, tenetur ad restitutionem; quia adfuit revera culpa sufficiens tum affectiva, tum effectiva, nempe omissio diligentiae.

Q. Potestne ignorantia alicui prodesse ad praescribendum?

R. Si ignorantia vincibilis est, certe non prodest, quam hujusmodi ignorantia adversatur bonae fidei, quae ad praescribendum omnino necessaria est. Si vero est invincibilis, distinguendum est. Si est ignorantia juris, et quidem dari non prodest ad praescribendum, quia beneficium praescriptionis habetur a Jure positivo. Jus autem positivum excludit praescriptionem, accedente ignorantia solius Juris. Si vero est ignorantia invincibilis facti, prodest ad praescribendum; nam quaevis praescriptio in facti ignorantia fundatur, quare enim quis praescribit alienum, nisi quod illud suum esse censet? Hinc L. 4. ff. de juris, et facti ignorantia habetur: *Juris ignorantia in usucapionibus negatur prodesse: facti vero ignorantiam prodesse constat*: et L. 2. ff. pro emptore: *Si a pupillo emerem sine Tutoris auctoritate, quod puberem esse putem; dicimus usucapionem sequi. . . . quod si scias pupillum esse, putes tamen pupillis licere res suas sine Tutoris auctoritate administrare, non capies usum, quia Juris error nulli prodest.* Layman lib. 3. tract. 1. cap. 8. § 11.

Q. Ignorantia excusatne a censura?

R. Si ignorantia, sive juris sit, sive facti, invincibilis est; excusat a censura; quia hujusmodi ignorantia impedit contumaciam, quae ad incurrendam censuram requiritur. Si vero ignorantia est vincibilis, crassa, vel supina, regulariter loquendo, non excusat; quia cum sit indirecte voluntaria, contumaciam sufficientem continet. Patet ex cap. 2. de constitut. in 5. ibi: *ut Animarum periculis obvietur, sententiis, per statuta quorumcumque Ordinariorum prolatis; ligari nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina.*

Dixi: *regulariter loquendo*; quia si censura lata sit contra eum, qui scienter, consulto, temerario ausu, audacter etc. aliquid fecerit, vel omiserit, vel praesumpserit aliquid facere, vel omittere, tunc quavis ignorantia, praeter affectatam, excusat; nam Legislator, qui hujusmodi particulis usus est, exigit in violatione suae legis, vel statuti pleniorem contumaciam; quae per ignorantiam crassam vel supinam impeditur. Dixi *praeter affe-*

ctatam : quia ignorantia affectata aequiparatur certae scientiae ex cap. *eos, qui*, de tempore ordinat. in 6.

Q. Quid si ignorantia sit vincibilis, sed levis: quae scilicet est in eo, qui aliquam, sed non omnem adhibuit diligentiam in inquirendo?

R. Si negligentia fuit graviter culpabilis, non excusat a censura, quia habetur gravis culpa, et sufficiens contumacia; si vero fuit leviter culpabilis, excusat a censura; nam ad hanc requiritur culpa gravis, quae pro tali negligentia non habetur. Collet.

Q. Num ignorantia concomitans sive juris, sive facti excusat a censura?

R. Si ignorantia concomitans est simul invincibilis, quatenus agens omnem adhibuit diligentiam antequam ageret haec excusat a censura, quia, si culpa adest, tota est interior, et affectiva, quae non influit in actionem externam procedente revera ab ignorantia, Si vero hujusmodi ignorantia est simul vincibilis, quatenus agens sufficientem in agendo non adhibuit diligentiam ; non excusat a censura, quia habetur culpa, et contumacia interior simul, et exterior, sive affectiva, et effectiva, quatenus influxum in talem actionem praebuit ignorantia per inquisitionis omissionem.

Q. Num ignorantia invincibilis solius censurae excusat a censura?

R. Licet aliqui dicant, quod, si censura lata sit per legem Pontificiam, aut Canonem universalem, ignorantia isthaec non excusat; secus vero, si lata sit per statutum particulare, et probant ex citato capite: *Ut Animarum.* Cum communiori tamen dicendum, quod ignorantia invincibilis solius censurae excusat ab omni censura, quia tunc dicitur vere contumax quis, quando praemonitus de lege Ecclesiae, et de poena legis violatori imposita, adhuc ipse legem violarit; praemonitus autem de censura non dicitur, qui censuram invincibiliter ignoravit; ergo nec contumax: desumitur ex Canones 2. *Proposuisti*, dist. 82. in prima parte Decreti. His adnecte, quae supra dicta sunt in quaestione: » an ignorantia excusat a censura.

Q. Ignorantia invincibilis reservationis excusatne a reservatione?

R. Si casus est reservatus Episcopo sive per jus commune, sive per proprium statutum, ignorantia invincibilis solius reservationis non excusat, quia hujusmodi reservatio, cum adnectatur peccato, adimit Confessario jurisdictionem absolvendi ab eo ; neque ignorantia privata poenitentis potest eam supplere. Si vero est casus reservatus Summo Pontifici; ignorantia invincibilis hujus reservationis excusat ab ea, qui Summus Pontifex reservat plerumque sibi casus non ratione peccati, sed ratione censurae ; quare siculi ignorantia invincibilis excusat a censura, ita et a reservatione ei adnexa.

Dixi, quod *plerumque Summus Pontifex reservat ratione censurae sibi casus;* nam aliquando etiam reservat eos sibi ratione solius peccati. Hujusmodi est casus, in quo quis falso, et per calumniam accusat Confessarium vel Sacerdotem innocentem de sollicitatione apud Judicem Ecclesiasticum, sive per se, sive per alios, ut ex Bulla : *Sacramentum Poenitentiae*, Benedicti XIV. Item casus, in quo quis a Regularibus utriusque sexus munera recipit, ultra valorem decem scutatorum monetae : uti ex Constitutione Clementis VIII.; Urbani VIII. et demum Bened. XIV. in sua Constitutione: *Pastor Bonus*, edita anno 1744.

Q. Quid si casus Episcopo reservatus sit cum censura, et quis invincibiliter ignorans tum reservationem, tum censuram, in illum offendat?

R. Immunis est a censura, quia deficit requisita contumacia ratione ignorantiae; sed remaneat reservatio, quae adhaeret peccato, quod commisit.

Q. Ignorantia invincibilis solius irregularitatis excusatne ab irregularitate?

R. Minime, sive Irregularitas sit ex defectu, ut omnes fatentur; sive sit ex delicto, ut tenet communior sententia; quia irregularitas cum non sit poena medicinalis, sed tantum inhabilitas a jure statuta ad indignos a sacris functionibus repellendos, non exigit sui cognitionem, et contumaciam, sed sufficit, si habeatur defectus, vel delictum, cui irregularitas aduexa est.

CAPUT VII.

De Concupiscentia

Q. Quid est Concupiscentia?

R. Concupiscentia (quae hic non accipitur pro propensione ad malum homini ingenita, quaeque solet dici etiam sensualitas, fomes peccati, lex carnis, lex membrorum, sed accipitur pro actu appetitus sentientis) definitur: » Appetitus sensitivi commotio objectum aliquod prosequentis.

Q. Quid est appetitus sensitivus, et quot ejus partes?

R. Est Animae inclinatio in bonum aliquod particulare quae sensuum cognitionem sequitur, ita D. Thom. 1. par. qu. 59. art. 1. in corp.

Partes, seu species appetitus sensitivi sunt Irascibilis, et Concupiscibilis: Ita D. Thom. 1. 2. qu. 56. art. 4. in corp. et pr. p. q. 81. art. 2. in corp. ibi: *Appetitus sensitivus est inclinatio consequens apprehensionem sensitivam; ideo necesse est, quod in parte sensitiva sint duae appetitivae potentiae; una per quam Anima simpliciter inclinatur ad prosequendum ea, quae sunt convenientia secundum sensum, et ad refugiendum nociva; et haec dicitur Concupiscibilis. Alia vero, per quam Anima resistit impugnantibus, quae convenientia impugnant, et nocumenta inferunt, et haec vis vocatur Irascibilis.* Ita D. Thom. Ubi tamen notandum, quod nomine concupiscentiae veniunt hic motus tum potentiae concupiscibilis tum irascibilis.

Q. Quotuplex est concupiscentia?

R. Duplex: Antecedens, et consequens. Prima est illa, quae vel ex dispositione corporis, vel ex cognitione, aut imaginatione sensibilis objecti exurgens, omnem voluntatis determinationem praecedit: uti est desiderium aquae exurgens homini sitienti, cui insperato occurrit aquae fons. Secunda est quae voluntatis actionem consequitur quatenus voluntatis arbitrio excitatur, vel excitata fovetur; ut ad promptiorem operationem inserviat, uti est desiderium vini in eo, qui vini colorem, saporem etc. cogitat, et meditatur, ut ferventius ad bibendum feratur.

Q. Concupiscentia tollitne voluntarium?

R. Nulla concupiscentia tollit voluntarium. Non concupiscentia antecedens,regulariter loquendo;quia actionem ex tali concupiscentia ponendam praecedunt ea, quae ad rationem voluntarii requiruntur, nempe cognitio

intellectus, et voluntatis coocursus. Ita D. Thomas 2. 2. quaest. 8. art. 7. Dixi *regulariter loquendo*; quia si coocupiscentia sit tam vehemens ac repeotina, ut omoem ratioois usum penitus absumat, uti accidit, quaodo motus est primo primus; tuoc coocupiscentia illa voluntarium tollit, et per consequens peccatum. Non item concupiscentia consequens tollit voluotarium, quia hujusmodi concupiscentia voluntatis motum sequitur.

Q. Concupiscentia antecedens minuitne, vel auget voluntarium?

R. Si loquamur de voluotario simplici, et naturali, quod denotat inclioationem, et propensionem voluntatis in objectum, coocupisceotia antecedeos auget voluntarium; quia sicut intellectus a coocupisceotia excitatus attentius apprehendit objectum delectabile; ita et voluntas ferventius fertur in illud; ita D. Thomas 1. 2. qu. 6. art. 7. Si autem loquamur de voluotario libero, quod indifferentiam judicii postulat, coocupisceotia antecedens minuit voluntarium. Ista enim, ut impedit intellectum, ne clare cognoscat in actione singula, quae cognosceoda sunt, ita alliciens voluntatem, minuit ejus indifferentiam, et in suas partes fortius eam pertrahit, quam io adversas. Quare hic oota, quod concupiscentia antecedens minuit malitiam peccati, sicut minuit indifferentiam voluntatis, nam quo minus libera est actio, eo minus meritoria, vel demeritoria censetur. D. Thomas 1. 2. qu. 77. art. 6.

Q. Quotuplicis generis sunt concupiscentiae antecedentis motus, et suntne peccaminiosi?

R. Sunt triplicis generis: Alii dicuntur primo primi, et sunt illi qui omnem ratioois advertentiam, et voluntatis coosensum anteceduot. Et quoniam isti, iovito homioe iosurgunt, et proinde iovoluntarii, carent omni culpa. Neque sub praecepto: *Non concupisces* caduot, ut ex Coocilio Tridentioo sess. 5. cao. 5, et ex proposit. 75. a Pio V. proscripta: *Motus pravi concupiscentiae sunt pro statu hominis vitiati prohibiti praecepto: non concupisces*. Hoc eoim praecepto, ait D. Thomas 2. 2. qu. 122. oon primi concupiscentiae motus prohibentur, qui homioi iovoluotarii sunt, sed voluntatis assensus, qui est io opos, vel delectationem; voluntas namque his motibus resistere, eosque, quoad ejus fieri poterit, reprobare teoetur.

Alii dicuotur secuodo primi; et sunt ii, qui aliquam semipleoam advertentiam, et semiplenum consensum sibi adsciscunt. Et isti, quia non ex plena, sed ex aliqua advertentia, et consensu semipleno prodeuot, veniali tantum culpae obnoxii sunt; etiam si de materia gravi agatur. Quod si his motibus plena postea tribuatur deliberatio, et coosensio voluntatis, supposita re gravi, peccatum certo grave erit.

Alii deoique dicuntur plene deliberati, et sunt illi, qui ponuntur cum plena advertentia, et pleno consensu, atque isti a peccato gravi, si circa rem gravem versantur, immuoes non sunt (1).

Q. Concupiscentia consequens minuitne, vel auget voluntarium?

(1) S. Ligorius nonnulla media proponit ad resistendum tentationibus. 1. Cogitatio de Passione J. C. vel de poenis Inferni, vel de morte, vel de cruciatu remorsus, quem patitur anima post peccatum patratum. 2. Oratio: castitas enim, ut etiam Salomon testatur (Sap. 8. 21. 3) *nonnisi e Deo precibus obtinetur: et ut scivi quod aliter non possem esse continens, nisi Deus det, adii Dominum, et deprecatus sum:* 3. Fervens amoris actus in Deum cum proposito mortem potius subeundi, quam peccandi. Homo apost. de act. hum. Cap. o. § 43.

R. Auget voluntarium, quia ex tali concupiscentia voluntas majori intensione fertur ad actum ponendum. Hinc ex tali concupiscentia augetur etiam peccati malitia, quia fit majori libidine, uti ait D. Thomas 1. 2. q. 77.art.6. Item peccatum ex consuetudine voluntarie comparata, vel retenta commissum, majoris est malitiae, utpote quod provenit ex concupiscentia consequenti, a qua consuetudo fovetur; unde D. Thomas. 1. 2. q. 78. art. 2. *Manifestum est, quod quicumque peccat ex habitu, peccat ex certa malitia.*

CAPUT VIII.

De moralitate actuum humanorum

Q. Quid est moralitas actus humani?

R. Moralitas, quae a more dicitur, et mos aliud non est, nisi repetitus operandi modus, ex D. Thoma definitur: *quidam respectus, et ordo, quem habet actus humanus; vel ejus objectum, ac circumstantia ad rectam rationem, ut ejus regulis conformitas actionis, vel difformitas decernatur*. Juven. de actib. humanis quaest. 2.

Q. Quaenam sunt regulae hujus moralitatis?

R. Primaria est Lex Dei aeterna, et dicitur remota. Secundaria, quae et proxima dicitur, est mentis ratio, sive conscientia. D. Thomas. 1. 2. q. 71. art. 6.

Q. Quotuplex moralitas in actu humano dignoscitur?

R. Duplex, altera fundamentalis, seu objectiva; et altera actualis, sive formalis. Fundamentalis, seu objectiva est objecti appetendi, vel respuendi conformitas, vel difformitas, ad rectam rationem. Actualis, sive formalis est conformitas, vel difformitas, quam habet actus humanus ad regulas morum.

Q. Moralitas actualis, sive formalis quotuplex est?

R. Duplex: Altera tantum materialis; altera materialis simul, et formalis. Si actus congruat rectae rationi, vel ab hac discrepet, et ex aliqua caussa actus non imputatur agenti ad meritum, vel culpam; actus tunc dicitur bonus, vel malus tantum materialiter, et proinde moralitas materialis. Si vero actus non solum regulis morum congruit, vel discrepat, sed etiam imputatur agenti ad praemium, vel poenam, tunc dicitur actus bonus, vel malus non solum materialiter, sed et simul formaliter, et proinde moralitas materialis simul, et formalis.

Q. Quaenam sunt species moralitatis?

R. Si moralitas consideretur relate ad opus, ejus species sunt Bonitas, Malitia, et Indifferentia: opus enim ex genere suo est vel bonum, uti actus virtutis, et illud lex imperat; vel malum, uti actus vitiosus, et illud lex prohibet; vel indifferens, uti pergere rus, et illud lex permittit. Ita D. Thomas 1. 2. qu. 2. et qu. 18. art. 8. Si autem moralitas consideretur relate ad operantem, ejus species sunt bonitas, et malitia. Nam actus morales, qui ab agente consulto ponuntur, aut regulis morum conformes sunt, et ideo boni; aut difformes, et ideo mali.

Q. Quotuplex ne bonitas, vel malitia in actu humano considerari potest?

R. Duplex: physica seu naturalis, et moralis: bonitas physica est concursus eorum omnium, quae actui conveniunt juxta ejus naturam; sic imago dicitur naturaliter, seu physice bona si ad eam concurrunt ea omnia requisita, quae ars pingendi in illa desiderat. Quod si omnia illa requisita deficiant, vel aliquod eorum; imago dicitur naturaliter, vel physice mala; nam malitia naturalis, sive physica est deficientia omnium, vel alicujus eorum, quae actioni debentur secundum ejus naturam.

Bonitas moralis est concursus totius rectitudinis actui humano debitae juxta regulas morum; cum scilicet in actione reperiuntur omnia, quae recta agendorum ratio postulat; nempe bonitas objecti, bonitas finis extrinseci, et circumstantiarum rectitudo. Quod si actus humanus his omnibus careat, vel aliquo istorum, actus dicitur moraliter malus; nam malitia moralis est privatio sive totius, sive alicujus rectitudinis, quam homo in agendo servare debet juxta regulas morum.

Q. Quaenam sunt principia moralitatis?

R. Sunt actionis objectum, finis, et circumstantiae.

Q. Quid est objectum actionis, et quotuplex?

R. Objectum est illud, circa quod actio versatur. Sic Deus est objectum charitatis; res aliena est objectum furti.

Duplex est: materiale, et formale. Materiale est ipsum objectum in se spectatum, prout est materia actionis; sic vita hominis est objectum materiale homicidii. Formale est ratio, seu motivum, sub quo actus tendit in objectum, quod et finis operis, et finis intrinsecus dicitur; sic destructio vitae hominis, est objectum homicidii formale. Antoine in Dissertatione *de actibus humanis*.

Q. Quid est finis, et quotuplex?

R. Finis est illud, cujus gratia aliquid fit. Dicitur *illud*, scilicet bonum, sive verum, sive apparens, quia objectum voluntatis est bonum; dicitur *cujus gratia*, hoc est cujus amore; et fruendi desiderio agitur; hinc finis distinguitur a medio: medium enim est illud, quod ab agente eligitur in ordine ad aliquod aliud consequendum. Dicitur denique, *aliquid fit*, ut intelligatur, finem esse cujusque actionis humanae caussam. Habert de actibus humanis cap. 6.

Finis duplex est: alter intrinsecus, qui et finis operis dicitur, alter extrinsecus, qui et finis operantis vocatur. Primus est ille, ad quem opus ex sua institutione dirigitur, et proinde convenit cum objecto formali operis. Sic maceratio carnis est finis intrinsecus jejunii, quia propter illam jejunium comparatur. Secundus est ille, quem agens ex suo arbitrio sibi proponit: sic si quis ad captandam vanam gloriam jejunaret, vana gloria diceretur finis extrinsecus jejunantis. Besombes.

Item finis alius est intermedius, et alius ultimus. Primus est ille, ad quem operans intendit ad hoc, ut per eum ad alium finem perveniat. Secundus est ille, quem ita intendit operans, ut in eo sistere, et quiescere velit, nec eum ad alium referat. Sic si quis doleat de peccatis, ut remissionem eorum a Deo consequatur, et vitam aeternam; remissio peccatorum est finis intermedius doloris, et vita aeterna finis ultimus.

Denique finis ultimus vel est respective ultimus, vel absolute ultimus. Primus est, dum agens sistit, et quiescit in eo, non quia debet, sed quia

vult, uti est pecunia respectu avari. Secundus habetur, dum agens in eo ideo sistit, et quiescit, quia in eo sistere, et quiescere debet, qualis est solus Deus. Collet.

Q. Omnis ne actus humanus ponitur propter finem?

R. Maxime; quia omnis actus humanus est actus voluntatis. Voluntas autem semper habet pro objecto finem, scilicet aliquod bonum vel verum, vel saltem apparens, in quod tendit.

Q. Num homo agit semper propter ultimum finem?

R. Propter ultimum finem respectivum, sive generice sumptum semper agit homo; tum quia omnis homo agit, quia vult esse beatus, et beatitudo nonnisi in consecutione ultimi finis sita est; tum quia aliter daretur processus in infinitum in finibus ab homine agente intentis. Habert. Concina. Propter ultimum finem absolutum, et determinatum, qui Deus est, utinam et ageret semper homo. Sed non ita fit: quot enim sunt homines, qui agunt, sed non propter Deum? Frui voluptatibus nobis summum bonum, et ultimus finis est, aiebant Epicurei: frui bona mente nobis summa, et ultima quies est, dicebant Stoici: et ad haec toto tendebant impetu. Imo S. Augustinus lib. XIX. de Civit. numerat ex Varrone ducentas octoginta octo diversas hominum sententias circa ultimum hominis finem, ad quem quisque pro modo suo tendebat. Habert de actibus humanis cap. 6.

An homo teneatur dirigere omnia opera sua ad Deum, tamquam ultimum finem, videbitur in tractatu de Virtutibus Theologicis, et quidem de Charitate.

Q. Quid est circumstantia?

R. Est quaedam particularis qualitas, quae actum humanum ita afficit, ut sine ea actus humanus subsistere potest, verum ea aliquid aliud actui confert ad ejus moralitatem. Hinc inferas cum D. Thoma, quod circumstantia quae nullo modo influit in moralitatem actus, circumstantia moralis non est dicenda.

Q. Quot numerantur communiter circumstantiae?

R. Septem, hoc versiculo contentae:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Quis, significat conditionem status; et qualitatem ipsius agentis, v. g. an fuerit pauper, vel dives, qui fecit eleemosynam; an uxoratus, vel solutus, qui culpam carnalem habuit.

Quid, denotat non tantum objectum actionis, sed et objecti conditionem, qualitatem, quantitatem, v. g. si redemit a captivitate Infidelium adolescentem, vel senem; si occidit laicum, vel clericum; si pauperibus distribuit necessaria sibi, vel superflua; si furatus sit decem, vel centum.

Ubi, denotat locum, in quo fit actio, qualitatem; v. g., an furtum commissum sit in Ecclesia, vel in foro; an oratio, vel poenitentia facta sit in Ecclesia, vel in occulto; an eleemosyna in propria Dioecesi distributa sit, vel in aliena; an blasphemia, vel turpiloquium prolatum sit in pubblico, vel in occulto loco.

Quibus auxiliis, significantur media, quibus completa est actio; v. g.; homicidium an fuerit commissum veneno, vel ense, vel veneficio; an virgo erepta fuerit a periculo peccandi, admonitione, pecunia, ope Judicis etc.

Cur denotat extrinsecum finem operantis, v. g., an dederit eleemosynam ad captandam gloriam: vel ad inducendam virginem pauperem ad tur-

pia vel ad eam eripiendam e manu impii; vel ad eam inducendam ad Sacramenta recipienda.

Quomodo, denotat peculiarem agendi modum: v. g., an egerit ex passione, ignorantia, vel malitia; an ex casu, vel consuetudine, vel ex naturali inclinatione; an remisse, vel intense.

Quando, denotat conditionem temporis, quo actio commissa est; v. g., si omiserit jejunium voto promissum, vel ab Ecclesia praeceptum eo die, quo debebat jejunare; aut jejunavit eo die, quo duros labores sustinebat, vel aegrotabat: si fornicationem commisit in nocte Nativitatis Domini; die Paschatis etc. Item denotat durationem temporis, quo persistit in actione; v. g., in odio proximi integro mense, anno etc. vel retinuit rem alienam restituendam mense, anno etc.

Q. Quotuplicis generis sunt circumstantiae?

R. Triplicis generis. Aliae enim sunt aggravantes, quae scilicet non immutant speciem actionis, sed solum ejus malitiam, vel bonitatem augent: hujusmodi est tempus longius in duratione peccati: major, et intensior affectus in peccato committendo: major cordis pietas in Deo laudando; major quantitas in eleemosyna tradenda etc.

Aliae sunt minuentes, quae scilicet bonitatem minuunt, vel malitiam actionis: talis est remissio, vel tepiditas in agendo; ignorantia crassa, vel supina, ex qua peccatur; mora brevis, vel distractio mentis in operando.

Aliae denique sunt mutantes speciem, quae scilicet afferunt actui humano novam moralitatis speciem, ac diversam ab ea, quam habet ex objecto. Quod dupliciter accidit. Primo; si relicta in actu bonitate, vel malitia ex objecto, adjungatur alia bonitas, vel malitia ex circumstantia; v. g., dat eleemosynam ob devotionem Passionis Christi, vel furatur in loco sacro. 2. Si auferatur bonitas objecti, et inducatur malitia circumstantiae; uti si quis det eleemosynam puellae, ut eam ad turpia inducat: in quo casu destruitur bonitas eleemosynae, et infertur malitia turpitudinis.

Hic tamen adverte; quod ubi circumstantia mutat speciem, non habet rationem circumstantiae proprie dictae relate ad actum tali nova specie affectum, sed habet rationem objecti, et proinde fit essentialis actui. Ita D. Thomas. 1. 2. q. 18 art. 10.

Q. Quandonam circumstantia dicitur addere novam speciem bonitatis, vel malitiae ita ut sit circumstantia mutans?

R. Quando circumstantia addit actioni aliam rationem virtutis, vel vitii; diversam ab ea, quam actio habet ex objecto; sive quia actio, et circumstantia dependent a diversa virtute, vel diversae virtuti opponuntur, sive quia dependent ab eadem virtute, vel eidem virtuti opponuntur per diversum modum, et respectum. Hinc si quis jejunat pro suffragio Animarum purgantium: hoc jejunium praeter bonitatem temperantiae, habet aliam bonitatem charitatis ex circumstantia finis. Item si quis votum, quod posset ubilibet persolvere vult in Ecclesia, et quidem coram Sanctissimo Eucharistiae Sacramento, devotionis ergo, persolvere: haec actio, praeter voti bonitatem, habet bonitatem etiam devotionis; quia, licet utraque a virtute Religionis oriatur, per diversum tamen respectum, et modum. E contrario, quis, ut aliquem occidat, veneficium committit; ejus peccatum habet diversam difformitatem; unam, quae opponitur Religioni ex objecto;

aliam quae opponitur justitiae ex circumstantia finis. Similiter, quis alium occidit, ut eum expoliet; hoc suum peccatum babet diversam differentiam, sive malitiam, alteram homicidii, et alteram furti, quia licet utraque opponatur justitiae; opponitur tamen per diversum modum, et respectum.

Q. Undenam est repetenda bonitas, vel malitia moralis actionis humanae?

R. Repetenda est primo ex objecto. Nam, ut ait D. Thom. 1. 2. q. 18. art. 2.: sicut res naturalis babet speciem ex sua forma; ita et actio habet speciem ex suo objecto. 2. Repetenda est ex fine extrinseco, qui inter circumstantias primum locum tenet; quia, etsi finis non sit de substantia actus, est tamen caussa actus principalissima, in quantum movet agentem ad agendum: unde et maxime actus moralis speciem babet a fine. D. Thomas ibid. qu. 18. art. 4. 3. Repetenda est ex circumstantiis; nam ut ait D. Thomas ibid. qu. 18. art. 3. sicuti in rebus naturalibus non invenitur tota plenitudo perfectionis ... sed multum superadditur ex supervenientibus accidentibus; ita etiam in actione: nam plenitudo bonitatis ejus non tota consistit in sua specie, sed aliquid additur ex his, quae adveniunt, tamquam accidentia quaedam; et hujusmodi sunt circumstantiae debitae; unde si quis aliquid desit quod requiratur ad debitas circumstantias, erit actio mala.

Q. Daturne casus, in quo actus humanus primariam sumat bonitatem, vel malitiam moralem a fine, vel circumstantiis?

R. Maxime: et primo accidit quando actus humanus est ex objecto indifferens, nam tunc a fine bono, vel malo sumit primariam, et essentialem bonitatem; aut malitiam; sic, si alter studet ad munus suum explendum; et alter ad aliquod turpe sciendum; studium primi bonum erit ex fine; et studium secundi erit ex fine malum. Accidit 2. quando actus humanus ex objecto bonus, comitante fine malo, vel alia mala circumstantia ponitur. Hinc si quis recitet v. g. Rosarium B. Virginis ad captandam vanam gloriam, aut recitet oscitanter, et voluntarie distractus, evanescit honestas, quae haberetur ex objecto; et malitiam accipit illa recitatio ex fine, et modo.

Q. Potestne in eodem actu reperiri duplex bonitas, vel malitia moralis, una scilicet ex objecto, altera ex circumstantiis?

R. Maxime; quia cum bonitas, et malitia moralis actionis humanae desumatur a conformitate, vel difformitate cum recta ratione; facile fieri potest, ut unus, idemque actus diversis modis rectae rationi conformetur, vel repugnet. Sic D. Thomas ibid. qu. 18. art. 4. et 6.

Q. Quid requiritur, ut actus humanus bonitatem, vel malitiam moralem trahat ex circumstantiis?

R. Ut trahat ex circumstantiis bonitatem actus humanus, requiritur, ut circumstantiae praevideantur aliquo modo, et intendantur ab agente, et sic influant in illum actum. Ita D. Thomas ibid. qu. 19. art. 7. Hinc qui dat eleemosynam Sacerdoti et non attendit ad circumstantiam personae sacrae, non ponit actum Religionis, sed solum actum charitatis. Ut autem trahat malitiam, requiritur, ut circumstantia mala sit saltem interpretative voluntaria male agendi; sic peccat non solum contra justitiam, sed etiam contra Religionem qui percutit Sacerdotem, quem poterat, et debebat advertere, esse Sacerdotem, et culpabiliter in percussione non advertit ad circumstantiam personae sacrae. Habert de actib. human. cap. 5. Antoine.

Q. Quid si objectum, ac finis, et circumstantiae actionis discrepent inter se specie moralitatis, ita ut objectum sit bonum, sed finis, vel alia circumstantia mala sit?

R. Actus est malus in genere moris, nam bonum ex integra caussa, malum ex quocumque defectu. Sic si quis Sacramenta recipiat ad conciliandam sibi bonam famam; actus iste malus erit; nam bonitas ex objecto inficitur ex fine vano.

Q. Num finis, vel alia circumstantia leviter mala tollit totam actionis bonitatem, quam habet ex objecto?

R. Minime; nam si ita esset, vix haberetur aliquis actus moraliter bonus, etiam in viris piis. Quis enim licet cautus, et vigilans in bono exercendo in aliquam levem circumstantiam malam non labitur, sive distractionis, sive impatientiae etc.? Excipe tamen si finis, vel circumstantia leviter mala sit caussa, propter quam opus bonum fiat, et in actionem influat, quia tunc circumstantia licet leviter mala, totam vitiat actionem. Collet de actib. human. sect. 2. artic. 2.

Q. Actus malus potestne ex fine bono operantis cohonestari?

R. Minime, tum quia opus bonum debet esse integrum, scilicet bonum ex objecto, ex fine, et ex circumstantiis; tum quia non est faciendum malum, ut eveniat bonum, ut ait Apostolus ad Rom. cap. 13. Hinc *etiam ad acquirendam vitam aeternam nullus ducendus est opitulante mendacio*, dicebat D. Augustinus contra mendac. cap. 31.

Q. Actus bonus ad malum finem positus retinetne bonitatem?

R. Minime, quia, ut dictum est bonum ex integra caussa. Hinc D. Thom. 1. 2. q. 19. art. 7. ad 2. Voluntas non potest dici bona, si sit intentio mala caussa volendi.

Nota tamen ex eodem D. Thoma qu. 22. de malo art. 4. quod idem actus potest esse successive bonus, et malus, et e contrario. Sic bona erit eleemosyna, si fieri incipiat ad Dei gloriam, at mala fiet, si postea adjungatur inanis gloria. Et e contrario mala erit eleemosyna, si fieri incipiat ob inanem gloriam; at bona fiet ejus continuatio, si dans eleemosynam, inanem gloriam detestatus illam velit prosequi ad Dei gloriam.

Q. Actus exterior affertne actui interiori novam malitiam, vel bonitatem, an vero solum eam auget?

R. Quando actus exterior est cum actu interiore conjunctus, nullam affert novam malitiam vel bonitatem; quia ut ait Divus Thomas 1. 2. q. 17. art. 4. imperium voluntatis, et actus imperatus sunt unus actus humanus. Verum ejus malitia augetur indirecte, et occasionaliter, quatenus per exteriorem executionem actus interior diutius continuatur, augetur magis, fitque intentior. Ita D. Thomas. 1. 2. q. 10. art. 4.

Hine actus malus externus est in Confessione explicandus, ut integrum peccatum Confessarius cognoscat, atque discernat, an contracta sit censura aliqua, vel reservatio, vel restitutionis obligatio, quae nonnisi ex actu externo incurruntur. Quare merito ab Alexandro VIII. proscripta fuit propositio 25. *Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis praecepto dicens: commisi grave peccatum cum soluta contra castitatem, non explicando copulam.*

Q. Quid est actus indifferens, et quotuplex?

R. Actus indifferens est ille, qui nec bonus est, nec malus moraliter. Duplex est: Alius in specie, et objective; alius in individuo. Primus est ille, qui versatur circa objectum nec bonum, nec malum; uti ambulatio, lectio etc. ac proinde spectatur seorsim a fine, et reliquis circumstantiis non est bonus, neque malus. Secundus dicitur ille, cujus objectum bonum non est, neque malum; et proinde, licet deliberate fiat, neque bonus tamen est, neque malus.

Q. Daturne actus humanus indifferens?

R. Actus humanus objective, seu in specie indifferens datur; sunt enim multae actiones humanae, quae sua natura nec bonae sunt, nec malae. Hinc D. Hieronymus epist. 89. Bonum est continentia, malum est luxuria; inter utrumque indiffereus ambulare. Ita etiam D. Thomas 1. 2. qu. 18. art. 9.

Actus humanus in individuo indifferens non datur; quia, quando agit homo deliberate, operationem suam ad finem honestum ordinare debet, qui in Dei gloriam cedat, juxta D. Pauli praeceptum ep. 1. ad Corint. 10. *sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in Dei gloriam facite.* Quare qui actum in sua specie indifferentem consulte, et deliberate ponit, vel illum dirigit ad honestum finem, et actus erit bonus ex fine; vel non dirigit: et actus erit malus ex defectu honestae directionis, atque otiosus. Ita D. Thomas 1. 2. qu. 18. art. 9. Non desunt tamen alii aliud sentientes.

Q. Undenam actus indifferens accipit bonitatem, vel malitiam?

R. Ex circumstantiis, et praesertim ex fine; ita D. Thomas loc. cit. art. 9., et 10. quia istae induunt rationem objecti, et proinde bonitatem, vel malitiam tribuunt actioni.

Q. Quinam sunt effectus moralitatis actuum humanorum?

R. Sunt Meritum, et Culpa; nam actus humani, vel boni sunt, et merentur laudem, et praemium; vel mali, et digni sunt, qui culpae adscribantur, ac puniantur. De merito loqui, hujus Institutionis non est. De culpa autem dicetur alibi.

Q. Suntne dirigendi actus humani, et quibus regulis?

R. Sunt dirigendi quidem, quia voluntas humana, ex qua actus humani procedunt, in malum declinare potest; hinc indiget aliquibus regulis, quibus actiones suas tuto dirigat ad ultimum finem suum, aeternam nempe beatamque vitam consequendam. Hae autem regulae sunt Conscientia, et Lex; ut supra dictum est. Et haec de actibus humanis.

TRACTATUS II.

DE CONSCIENTIA

Quoniam ex D. Thoma 1. 2. quaest. 71. art. 6. regula proxima humanorum actuum Conscientia est; nemo non videt necessitatem hic exponendi ejus naturam et qualitates; ut clucescat, quomodo, et quando eidem nostras conformare debeamus actiones. Unde sit.

CAPUT I.

De Natura, et Distinctione Conscientiae

Q. Quid est Conscientia?

R. Est judicium actuale, et practicum dictans ex principiis universalibus contentis in Synderesi, quid in particulare agendum, vel omittendum est, vel erat. Layman, Habert.

Dicitur judicium actuale, ut ostendatur, quod conscientia non est habitus, sicut prudentia, sed actus intellectus. Dicitur practicum etc.: quia Conscientia ex principiis universalibus non solum cognoscit, sed etiam dirigit, non quidem generali modo, sed in particulari hic, et nunc actiones humanas. Sit exemplum: omne malum peccati est detestandum (*en principium universale in synderesi contentum*); sed perjurium est malum peccati, quia cum sit rectae rationi dissonum, a Deo prohibitum est: ergo (*en judicium actuale, et practicum, sive Conscientia*): ergo perjurium, quod volo committere, malum peccati est, ac proinde detestandum; vel perjurium, quod heri commisi, malum peccati fuit, ac detestatione dignum.

Q. Quid est Synderesis?

R. Est habitus naturalis intellectus, qui per prima et universalia principia agibilium nobis ingenita, praebet facilitatem cognoscendi, quid bonum, quid malum sit in genere moris; atque proinde nos inclinat ad bonum, et a malo retrahit. D. Thomas 1. p. q. 79. art. 12.

Q. Quaenam differentia inter Synderesim, et Conscientiam?

R. Haec est, 1: quia Synderesis est habitus: Conscientia est actus. 2. Synderesis dirigit mores generaliter, scilicet prima principia bene vivendi generaliter proponendo; v. g. *quod tibi non vis, alteri ne feceris; bonum est amplectendum, malum fugiendum; etc.* Conscientia vero dirigit in particulari, scilicet applicando illa prima principia ad particulares actiones. 3. Synderesis est regula infallibilis, quia versatur circa principia infallibilia; Conscientia vero errare potest; quia fieri potest, ut male applicentur principia certa, vel ad legem non satis advertatur.

Q. Quotuplex est Conscientia?

R. Multiplex; nam vel respicit tempus actionis; et alia est antecedens, et alia consequens. Prima est illa quae dictat quid agere, vel non agere de-

bes, antequam agas; et de hac nunc potissimum procedit sermo. Secunda est illa, quae ad mentem revocat quae egisti, quae si mala fuere dicitur remorsus Conscientiae; si vero bona, dicitur testimonium bonae Conscientiae.

Vel respicit obligationem; et alia est praecipiens, alia consulens, alia permittens. Prima est illa, quae dictat aliquod faciendum, vel omittendum ex praecepto. Secunda est illa, quae dictat quid ex consilio faciendum, vel non. Tertia est illa, quae dictat aliquod nec esse de praecepto, nec de consilio, sed dumtaxat esse permissum.

Vel respicit objectum actionis, et alia est recta, alia erronea.

Vel denique respicit dispositionem agentis, et alia est certa, alia probabilis, alia dubia, alia perplexa, et alia scrupulosa.

CAPUT II.

De Conscientia recta, et erronea

Q. Quid est Conscientia recta?

R. Est mentis nostrae practicum judicium legi conforme, quatenus judicat aliquod bonum esse, vel malum, licitum vel illicitum, quod revera in se tale est. Dixi, *Judicium legi conforme*; hoc est judicium latum juxta regulas prudentiae. Et hinc est, quod Conscientia recta differt a Conscientia vera, quae vera judicat quomodocumque. Cuniliati.

Q. Tenemurne sequi Conscientiam rectam?

R. Si Conscientia recta est praecipiens, tenemur illam sequi: quia ex D. Bonaventura in II. sententiarum dist. 39. art. I. *Conscientia recta praecipiens est sicuti praeco Dei; et Nuntius, et quod mandat, non ex se, sed mandat quasi ex Deo;* hinc sicuti tenemur parere Deo, sic et Conscientiae rectae, per quam loquitur Deus. Est insuper Conscientia recta nostrarum actionum regula interior; et proinde illi tenemur nostras actiones conformare.

Q. Quomodo peccat, qui agit contra Conscientiam rectam praecipientem?

R. Peccat graviter, vel leviter, prout materia gravis, vel levis erit; quia prout est materia, Conscientia dictat. Quod si Conscientia dictet generice, et confuse, esse peccatum aliter agere quam Conscientia dictat, abstrahendo a mortali, vel veniali, probabilius plerique tenent, peccare mortaliter, quia ita agens praesumitur velle illud malum, etiamsi grave sit. Aliqui tamen excipiunt virum probum, ac bene moratae vitae, quem dicunt peccare leviter, quia de isto non satis est recta praesumptio, quod velit malum, etiam si grave, sit, sed potius habetur praesumptio contraria, nempe, quod, ideo agit contra Conscientiam, quia praesumit, malum esse leve. Cuniliati.

Q. Tenemurne sequi Conscientiam rectam consulentem?

R. Minime; quia consilium spectat ea, quae sunt perfectionis; et proinde non cadit sub praecepto. Praeterea haec Conscientia ad bonum inducit, dictando fieri posse, vel omitti illud bonum, sed utilius esse, si fiat: et proinde non videtur velle ligare agentem. Collet.

Q. Quid est Conscientia erronea, seu falsa?

R. Est mentis nostrae judicium practicum, quod dictat licitum esse, quod revera lege prohibetur; vel esse illicitum illud, quod a lege permittitur. Collet.

Q. Quotuplex est Conscientia erronea?

R. Duplex: Invincibilis scilicet, et vincibilis. Prima est illa; quae procedit ex errore, qui omni adhibita diligentia vinci, et expelli nequit. Secunda est illa, quae procedit ex errore, qui adhibita diligentia vinci, et expelli potest. Antoine.

Q. Peccatne qui agit contra Conscientiam erroneam?

R. Maxime: sive Conscientia sit erronea invincibiliter, sive vincibiliter; nam voluntas ex D. Thoma 1. 2. qu. 19. art. 5. tenetur sequi dictamen rationis in agendo; et licet hoc dictamen aliquando sit falsum, ab agente tamen apprehenditur tamquam verum; unde voluntas a tali dictamine se elongando, contra dictamen rationis praesumitur velle agere, seu contra Conscientiam; et quod contra Conscientiam fit, peccatum est ex Apostolo epist. ad Rom. 14, *omne quod non est ex fide* (scilicet ex judicio Conscientiae) peccatum est, ergo etc. Insuper, qui agit contra Conscientiam, etsi vincibiliter erroneam, vult legis violationem, quia judicat actionem suam esse legi contrariam, et tamen eam ponit; at velle legis violationem nemo non novit esse peccatum. D. Thomas. loc. cit. (1).

Q. Peccatne ille, qui bonum aliquod agens, credit ex Conscientia erronea facere malum?

R. Maxime; quia agens in hoc casu vult illam actionem non ut in se est, scilicet bonam; sed ut illam apprehendit, scilicet malam, ideoque fertur ejus voluntas in objectum formaliter malum, ac proinde peccat contra legem divinam naturalem, quae prohibet omnem consensum, et affectum ad id, quod putatur malum etiam ex errore. Stampò.

Q. Peccatne ille, qui ex Conscientia erronea malum aliquod committit credens bene agere?

R. Si Conscientia est invincibiliter erronea, non peccat agens juxta illam, committendo malum, putans committere bonum; quia, cum error sit

(1) Ex S. Ligorio (Theol. mor. lib. 1. Tract. de Consc. cap. 1. §. 4. 5. et 6.) qui conscientiam vincibiliter erroneam habet, semper peccat, sive juxta eam, sive contra eam operatur. Peccat enim agendo contra eam eligendo malum, quod judicat esse malum: peccat vero juxta eam agendo, quia cum errorem debeat, et vincere possit, illum non deponendo, temere operetur.

Qui conscientiam invincibiliter erroneam habet non solum non peccat juxta eam operando, sed etiam aliquando tenetur illam sequi. Ratio utriusque est: non peccat, quia licet in se actio recta non sit, recta est tamen juxta conscientiam operantis: tenetur autem juxta eam aliquando operari, si conscientia, quae est regula proxima sic ei suggerit agendum.

Non solum autem qui operatur cum conscientia invincibiliter erronea non peccat, sed etiam probabilius adquirit meritum, ut recte sentit P. *Fulgentius Cuntliati de consc. c.1.n. 6.* cum aliis communissime. Ratio, quia ad dicendum aliquem actum bonum saltem inadaequatum, sufficit ut ille dirigatur per rationis, et prudentiae dictamen. Cum ergo operans prudenter agit, procul dubio mereri debet propter bonum finem, quo operatur, nempe gloriae Dei, aut charitatis erga proximum ec. sicut contra demeretur qui bonum opus facit, sed adprehensum ut malum propter malum finem, quo opus illud exequitur.

invincibilis: tollit voluntarium, sine quo non datur peccatum. Si autem Conscientia est vincibiliter erronea, peccat agendo juxta illam, quia cum error sit vincibilis, tenetur illum deponere, et proinde illum non deponendo, malum, quod committitur, est ei indirecte voluntarium. Hinc si quis ex conscientia erronea vincibili, credit esse sibi licitum pejerare ad succurrendum proximo, peccat, si pejeret; quia perjurium est sibi indirecte voluntarium. D. Thomas loc. cit.

Neque ex hoc inferas, quod qui laborat Conscientia erronea vincibili, sit in necessitate peccandi; quoniam peccat, sive agat juxta, sive agat contra Conscientiam vincibiliter erroneam; non hoc inferas, inquam: nam laborans tali Conscientia potest, et debet deponere illam, diligenter inquirendo veritatem. Si ergo non deponit; malum, quod committitur, est sibi indirecte voluntarium. Collet, Cuniliati.

Q. Quomodo peccat graviter, vel leviter; et contra quam virtutem ille, qui contra Conscientiam erroneam agit?

R. Peccat graviter, vel leviter; prout ipsum rationis dictamen proponit; et peccat contra illam virtutem, quam credit laedere; eo quia peccatum tale est, quale a voluntate agentis concipitur, et committi creditur. Hinc si quis ex Conscientia erronea credat, se ad proximi utilitatem teneri ad mendacium leve dicendum, credens simul, si illud omittat, esse peccatum grave contra fidem; graviter revera peccat contra fidem, si illud omittat; nam peccatum grave vult, et illam virtutem laedere. Ubi tamen nota, quod si Conscientia sit vincibiliter erronea, et dictet, esse veniale, quod per se mortale est, revera mortale committitur, quia non excusatur a gravi violatione legis per suum errorem vincibilem, quem potuisset, et debuisset deponere. Quare si quis turpem actum committat, quem ex errore vincibili credit esse peccatum leve, dum revera grave est, graviter peccat; quia non excusatur per errorem suum, quem facile deponere poterat, et debebat. D. Thomas loc. cit.

Q. Quid si dictamen rationis in genere proponit esse peccatum, dum quis contra Conscientiam erroneam agit, neque qualitatem peccati secernens, neque speciem?

R. Juxta plerosque peccat graviter iste: tum quia censetur velle peccatum, utcumque actioni suae conjunctum est, sive grave, sive leve; tum quia exponitur periculo peccandi graviter. Hoc autem peccatum est contra charitatem; quatenus haec virtus primario prohibet peccatum, tanquam Dei offensam, et malum suimet agentis. Antoine, Collet.

Q. Quid requiritur ut agens contra Conscientiam erroneam revera peccet?

R. Requiritur primo, ut Conscientia erronea sit antecedens, et revera erronea, seu quae habet judicium determinatum, licet falsum, et non sit scrupulus, vel animi anxietas. Secundo, ut Conscientia erronea sit praecipiens, vel prohibens, non autem consulens. Tertio, ut actio, vel omissio, quae fit contra Conscientiam erroneam, sit libera. Quare, si quis post actionem licitam incidat in Conscientiam erroneam, ex qua credit peccasse, vel fuisse mortale, quod erat veniale; hic nec peccavit in primo, neque mortale commisit in secundo casu; quia voluntas, et actio non informantur ex conceptu sequenti, sed praecedenti. Item si quis vinculis obstrictus credat pec-

care graviter, quia Missam die festo non audit, iste non peccat, quia talis omissio sibi libera non est. Antoine Dissert.

Q. Inciditne in poenas ille, qui ex Conscientia erronea, credit eas incurrere, dum poenae revera non adsunt?

R. Minime, quia poenae feruntur contra transgressores verae legis, non autem putatitiae. Hinc si quis expuit in Ecclesia, credens erronee incurrere excommunicationem, non fit excommunicatus. Sicut non fit excommunicatus, qui percutiens laicum erronee credat percutere clericum, licet peccatum sacrilegii committat ratione pravae intentionis in clericum. Ita pariter non fit irregularis, qui dum erronee credens se excommunicatum, actum Ordinis sacri exercet.

Q. Ad quid tenetur ille, qui laborat Conscientia erronea vincibili?

R. Tenetur illam deponere prudenter, et non temere. Deponit autem prudenter. 1. Si consilium petat a viris doctis simul, et timore Dei praeditis. 2. Si ad orationem confugiat, et deinde exacte disquirat negotium per vera, et sana principia generalia. 3. Si legat Auctores solide de illa re tractantes. Temere autem deponit, si rationibus levibus eam deponat, vel ex consilio cujusque, vel ex levitate animi contemnat.

Q. Quid si non suppetat tempus deponendi prudentem errorem suum, quia hic, et nunc tenetur agere?

R. Debet eligere actum contritionis, se poenitendo ignorantiae suae voluntariae, et illam assumere partem, quae sibi minus peccatum videtur; sic enim error pro illa circumstantia fit invincibilis, cum ejus caussa per poenitentiam sit retractata. Verum si ex tali actione sua alteri damnum inferatur, tenetur damnum compensare, quia licet retractaverit culpam, damnum tamen secutum dicitur ei voluntarium in caussa jam posita ante retractationem. Collet, Antoine.

Q. Ad quid tenetur Confessarius, si ad ipsum perveniat poenitens, qui Conscientia erronea laborat, sive ignorans est circa aliqua?

R. Si poenitens laborat Conscientia erronea vincibili, tenetur illum monere; quia cum Confessarius exerceat in confitendo etiam Doctoris munus, tenetur, dum opus est, poenitentem instruere, etiamsi cognoscat monitionem suam non esse profuturam. Imo si poenitens monitioni, et instructioni nolit adquiescere, est absolute ei deneganda absolutio; nam censetur indispositus, cum culpabiliter velit veritatem ignorare, et caussam peccati velit deliberate retinere.

Censetur autem error vincibilis, si poenitens dubitet de suo errore, vel ignorantia, aut Confessarium interrogat de re: vel si Confessarius cognoscat, illum de suo errore, et ignorantia aliquo modo a sua Conscientia redargui; aut si error, vel ignorantia sit circa principia juris naturalis etiam secundaria; aut circa ea, quae pertinent ad suum statum, vel officium.

Si autem poenitens laboret conscientia erronea invincibili, sive ignorantia invincibili, Confessarius etiam tenetur monere. 1. Quando affulget aliqua spes emendationis in poenitente. 2. Quando est a poenitente interrogatus. 3. Si versetur error circa ea quae sunt necessaria necessitate medii ad salutem, vel circa ea quae ad valorem Sacramenti Poenitentiae requiruntur; si enim haec ignorantur, etiamsi invincibiliter, poenitens est indispositus, ut apparet ex propositione 64. damnata ab Innocentio XI. *Absolutionis ca-*

pax est homo quantumvis laboret ignorantia mysteriorum Fidei. 4. Si error,vel ignorantia sit circa principia Juris naturalis etiam secundaria; tum quia haec ignorantia censetur vincibilis, tum quia monitus poenitens, in posterum rarius peccabit, et Conscientiae stimulis compulsus ad meliorem frugem redibit. 5. Si error,sive ignorantia cadat in damnum boni communis, vel in damnum grave tertiae personae. 6. Si sit in potestate poenitentis abstinere a peccato, circa quod est error, vel ignorantia. In his enim casibus, si nolit poenitens errorem tollere, et a peccato abstinere, censetur indispositus, et Confessarius tacendo errori, et peccato ejus videtur consentire.

Extra hos casus Confessarius non tenetur monere poenitentem invincibiliter ignorantem, quando correctio non erit profutura, vel a poenitente non interrogabitur, quia non expedit sine utilitate poenitentis, vel proximi, peccatum materiale fieri formale. Quare non est monendus poenitens de nullitate sui contracti matrimonii, si Confessarius prudenter timeat, quod alter conjux petat debitum, et poenitens non sine discordiis illud possit denegare, sed debeat ad conjugem petentem carnaliter accedere, aut praevideat, quod poenitens, quem in bona fide esse supponimus, uxorem sit dimissurus non sine scandalo, ac uxoris, vel prolis damno, si in malam fidem deveniat. Collet, Stampò. Verum quid agendum sit a Confessario, dicetur in Tractatu de Matrimonio.

CAPUT III.

De Conscientia certa, probabili, dubia, perplexa, et scrupulosa

§ I. *De Conscientia certa*

Q. Quid est conscientia certa?

R. Est nostrae mentis judicium practicum, quo prudenter, et firmiter judicamus hic,et nunc, aliquod esse bonum, vel malum, faciendum, vel omittendum, omnem, aut saltem, moralem formidinem excludens de opposito.

Ubi nota, quod hic non loquimur de certitudine supernaturali, quae oritur ex divina revelatione, neque de certitudine metaphysica, quae oritur ex rationibus evidentibus, neque de certitudine physica, quae oritur ex naturali experimento, vel naturalibus argumentis; sed loquimur de certitudine morali, quae oritur, ut ait D. Antoninus part. 3. tit. 3. ex probabilibus conjecturis grossis, et figurabilibus magis ad unam partem, quam ad aliam se habentibus, et excludit formidinem moralem, seu rationabilem peccandi; quae formido moralis habetur,cum intellectus in judicando concepit judicium suum posse esse falsum, eo quia apparet sibi aliquod grave motivum sic formidandi.

Q. Requiturne Conscientia moraliter certa de honestate actionis, vel omissionis, aut quis licite agere, vel non agere possit?

R. Maxime, et patet ex Apostolo ad Rom. cap. 14. *Omne quod non est ex Fide, peccatum est:* Ubi illud ex Fide intelligunt DD. ex certa persuasione, sive Conscientia rectitudinis. Praeterea sine hujusmodi judicio certo agens, sine prudentia quidem operatur; nam non praecavet morale peccandi periculum, quod in agendo evitandum est. Hinc Eccles. cap. 37. *Ante*

omnia opera tua verbum verax praecedat te, et ante omnem actum consilium stabile, hoc est Conscientia certa de honestate ejus. Antoine. Dissert.

§ II. *De Conscientia probabili*

Q. Quid est conscientia probabilis, et quid opinio probabilis?

R. Conscientia probabilis est judicium mentis practicum, quo ex gravibus rationibus, sed non omnino certis, prudenter judicatur, actionem aliquam hic, et nunc eliciendam esse licitam, vel illicitam cum formidine de opposito.

Opinio autem probabilis est judicium, quo mens ob motivum grave, sed fallibile, et proinde cum formitudine de opposito prudenter credit aliquid esse licitum, vel illicitum.

Ubi nota, 1. quod hic probabile dicitur illud, quod etsi non sit certe verum, est tamen verisimile. 2. Opinio probabilis differt a dubio, quia opinio probabilis adhaeret uni parti, dubium vero, suspendendo consensum, neutri parti adhaeret. 3. Opinio probabilis differt a scientia, et fide; quia opinio isthaec retinet formidinem de opposito; scientia vero, et fides formidinem excludunt, et certitudinem habent. 4. Conscientia probabilis, et opinio probabilis, licet plerumque confundantur, et indiscriminatim accipiantur, re tamen vera distinguuntur; nam opinio probabilis judicat aliquod esse licitum, vel illicitum in genere, praescindendo a praxi: Conscientia vero probabilis judicat de honestate actionis, vel inhonestate hic,et nunc ponendae, vel omittendae. Collet, Besomb. Antoine. Hinc ex opinione probabili oritur Conscientia probabilis.

Q. Quid requiritur, ut opinio dicatur probabilis?

R. Requiritur 1., ut judicium, quod fit, fundetur in gravi rationum fundamento, quod licet non sit evideuter certum, debet tamen tantae veritatis speciem praeseferre, ut vir prudens judicet esse verum. 2. Requiritur, ut judicium hoc non opponatur Divinae Scripturae, Traditioni, Conciliis, Sanctis Patribus, Summorum Pontificum decretis, communi Doctorum sententiae, et denique ipsi rationi. Antoine.

Hinc 1. opinio improbabilis, seu tenuis probabilitatis dicitur, quando mens ex motivo levi, et insufficienti credit, aliquod esse licitum, vel illicitum; quae opinio etsi sit intra fines probabilitatis, nunquam tamen est amplectenda, quia imprudenter agit qui huic opinioni se committit, uti constat ex propositione 3. ab Innoc. XI. proscripta: *Generatim dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.* Stampò, Collet.

2. Simplex auctoritas alicujus Auctoris, praesertim junioris, et moderni, etsi non appareat, eam fuisse ab Ecclesia proscriptam, non efficit opinionem vere probabilem; mera enim auctoritas unius non est motivum grave assentiendi, praesertim quando modernus est, et junior. Hinc merito proscripta fuit propositio 27. ab Alexand. VIII. *Si liber sit alicujus junioris, et moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constat rejectam esse a Sede Apostalica, tamquam improbabilem.*

Q. Quotuplex est opinio probabilis?

R. 1. ratione fundamenti, quo innititur. duplex est: probabilis scilicet ab intrinseco, et probabilis ab extrinseco. Prima est, quae fulcitur rationibus, sive hae petantur a natura rei, sive a Sacris Scripturis, sive a Conciliis, sive a Patribus. Secunda est, quae nititur in solo Doctorum consensu, et auctoritate. Et haec, si habeat pro se plures Doctores v. g. octo, septem etc. sed vere sensatos, ac graves, dicitur Communis; si habeat plures, quam septem, vel octo, dicitur Communior; si vero pauciores, dicitur minus communis. Besombes, Stampò, Collet.

2. Opinio vel est probabilis, vel probabilior, vel probabilissima. Probabilis dicitur illa, quae ex gravi fundamento adhaeret uni parti cum formidine de opposito. Probabilior est illa, quae graviori fundamento nititur, et proinde minorem continet formidinem. Probabilissima denique est illa, quae gravissimo fundamento fulcitur, et propterea levissimam praesefert formidinem. Cuniliati.

3. Opinio altera est tutior, altera minus tuta. Prima est, quae favet legi, magisque removet agentem a periculo peccandi. Secunda est illa, quae favet libertati, et minus removet a peccandi periculo. Hinc opinio tutior, et opinio probabilior differunt inter se; quia tutior dicitur a majori remotione periculi peccandi; probabilior vero a majori rationum gravitate. Quare fieri potest, ut opinio minus probabilis sit tutior, et probabilior sit minus tuta: sic tutior est sententia, quae docet hominem statim post peccatum mortale teneri ad confessionem Sacramentalem, licet sit minus probabilis, et opposita sententia, quam tenet D. Thomas, probabilior est, sed minus tuta. Collet, Antoine, Stampò.

Ubi nota, quod ex superius allata divisione nomen sortiti sunt Probabilistae, seu Benignistae: Probabilioristae, seu Rigoristae, et Tutioristae, seu Rigidiores. Primi sunt illi, qui docent, licite posse sequi opinionem vere probabilem etiam in concursu oppositae sententiae aeque probabilis, imo et probabilioris. Secundi sunt, qui defendunt ex opinionibus, regulariter loquendo, probabiliorem esse sequendam. Tertii sunt, qui tenent semper amplectendum esse illud, quod tutius est, quacumque probabilitate posthabita. Stampò.

Q. Num potest quis licite sequi opinionem vere probabilem?

R. Si opinio vere probabilis habeatur extra concursum, hoc est opinioni, quam quis vult sequi, alia opinio aeque probabilis non opponatur, agens potest eam sequi, quia potest efformare judicium moraliter certum de honestate actionis, et prudenter agit. Si autem opinio vere probabilis, quae faveat libertati, concurrat circa idem cum alia aeque probabili, quae faveat praecepto, tunc agens debet sequi opinionem, quae favet praecepto, posthabita ea, quae favet libertati: et ratio est, quia tunc Conscientia non dicitur amplius probabilis, sed positive dubia, cum mens suspensa remaneat inter illa momenta pro utraque parte aequalia. At in dubiis tutior pars est eligenda, ut ex cap. 4. de cleric. excom. ministr. et ex cap. 12. 18. et 24. de homic. Vide Concinam, Cunil; Collet, Genet, aliosque plurimos (1).

(1) S. Ligorius loc. cit. Cap. 3. § 42. et 53. inquit numquam esse licitum uti opinione probabili probabilitate *facti* cum periculo damni alterius, aut sui ipsius, quia hujusmodi probabilitas minime aufert periculum damni: si enim opinio illa est falsa, non evitabitur proximi, aut operantis damnum: nam si exempli gratia Ba-

Q. Quid si concurrat opinio probabilis pro libertate, et probabilior pro praecepto?

R. Multo minus licet sequi opinionem probabilem libertati faventem, relicta probabiliori pro praecepto; quia quisque tenetur vitare periculum peccandi, aliter peribit in illo. Qui autem probabilem amplectitur pro libertate, relicta probabiliori pro praecepto, non vitat periculum; quinimo periculo se exponit manifesto peccandi, quia in judicando adhaeret minori verisimilitudini, ac infirmiori fundamento, relicto majori, ac validiori. Item agens debet esse moraliter certus, quod actio sua licita sit, aliter peccat agendo. Hanc autem moralem certitudinem habere non potest qui relicta probabiliore pro praecepto, adhaeret probabili pro libertate. Vide citatos DD.

Q. Quid si concurrat probabilis pro praecepto, et probabilior pro libertate?

R. Potest quis, regulariter loquendo, sequi probabiliorem pro libertate, omissa probabili pro praecepto, quando, omnibus perpensis, opinio pro libertate est multo probabilior, quam sententia adversa, tunc enim prudenter agit, nam adhaeret parti, quae est magis veritati propinqua, atque efformat judicium prudens de honestate suae actionis, quoniam innititur motivis multo gravioribus, quam sunt motiva oppositae sententiae, quae quatenus levia relative, merito potest contemnere.

Neque dicas, quod sequendo probabiliorem, exponitur agens alicui periculo errandi, quia honestas actionis non apparet certa; quare ad hoc evitandum, non potest sequi probabiliorem pro libertate. Respondetur enim, quod hoc periculum est mere materiale,et contemnendum a viro prudente; quia honestas actionis licet non appareat certitudine physica, est tamen certa certitudine morali. Pro hac enim certitudine sufficit, si propter solidas rationes, atque motivos sententiae contrariae fortiores concludat, actionem suam esse honestam.

Hinc recte damnata fuit ab Alexandro VIII. haec propositio: *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.* Huius enim propositionis patroni, ad licite agendam, certitudinem physicam, vel metaphysicam honestatis requirebant; quae certitudo in singulis agibilibus impossibilis moraliter est. Collet, Stampò, Antoine.

Q. Num in omnibus possumus sequi probabiliorem pro libertate, omissa probabili tutiore pro praecepto?

R. Minime: nam opinio probabilior pro libertate, quam asserimus posse sequi, locum habet in quaestionibus, an aliquid possit licite fieri, seu circa actionis honestatem; nam in his sufficit agenti, ut a peccato excusetur, quod actio sit juxta regulas prudentiae posita, licet postea accidere possit, quod illa actio, quae credebatur licita, illicita deprehendatur. In quaestionibus autem, an aliquid valeat, vel an finis, qui procurandus est,

ptismus cum saliva collatus revera est nullus, ita ut infans sine Baptismo remaneat, probabilitas in oppositum non potest ulique efficere, ut sit validus.

Secus tamen dicendum de opinione, quae est probabilis probabilitate *juris*: tunc enim quisque licite uti potest opinione illa, formans sibi conscientiam moraliter certam de honestate suae actionis, quia tunc cum dubia sit lex, et non satis manifeste proposita, hujusmodi lex vel non est lex, vel saltem non est lex, quae obligat.

possit obtineri, hoc est in quaestionibus circa naturam, conditionem, et valorem actus, non est amplectenda opinio probabilior pro libertate, sed tutior pro praecepto; quia actus non desumit suam naturam, conditionem, et validitatem ex judicio nostri intellectus, etsi prudenti, sed desumit vel ex natura sua intrinseca, vel ex ordinatione, aut institutione extrinseca alterius; ac proinde ignorantia invincibilis, bona fides, et major probabilitas valorem, vel effectum actioni conferre non possunt. Besombes, Antoine, aliique.

Hinc inferas, quod non potest quis sequi probabiliorem pro libertate, sed tenetur sequi tutiorem pro praecepto:

1. Circa ea, quae sunt de necessitate medii ad salutem; iis enim quomodocumque omissis, sive inculpabiliter, sive culpabiliter, salus aeterna obtineri non potest. Hinc damnata propositio 4. ab Innoc. XI. *Excusabitur infidelis non credens ductus opinione minus probabili.* Antoine.

2. In Sacramentis conferendis; nam valor Sacramentorum non dependet a majori, vel minori probabilitate, sed ab institutione Christi. Hinc propositio prima ab Innoc. XI. damnata: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore.*

Quare Minister, qui relicta tutiore pro valore Sacramenti, opinionem minus tutam, etsi probabiliorem in Sacramentis conferendis amplectitur, peccat 1. contra Religionem, quia exponit Sacramentum periculo nullitatis. 2. contra charitatem proximi; huic enim tentat auferre subsidium ei certo profuturum, nempe Sacramentum validum. 3. contra justitiam; subtrahit enim proximo illud subsidium certum, ad quod habet jus. Besombes.

Nota tamen hic, quod si probabilior minus tuta pro libertate superat in verisimilitudine, et in rationibus oppositam tutiorem, ita ut haec improbabilis comparative ad illam videatur, tunc asserunt aliqui, fas esse probabiliori adhaerere etiam in hac Sacramentorum administratione, ne Minister nimis anxius reddatur. Cuniliati tract. de regul. morum cap. 1. §. 6. prope finem. Antoine tract. de Consc. cap. 4. not. 1. ad quaest. 1.

Q. Daturne casus, in quo Minister Sacramentorum potest uti opinione probabiliori, imo et probabili in Sacramentis conferendis?

R. Maxime: et est casus extremae necessitatis, in quo potest Minister Sacramenta necessaria necessitate medii administrare, nempe Baptismum, et Poenitentiam cum opinione probabiliori, imo, et probabili circa materiam, et formam, quando certam habere non potest; quia cum Sacramenta instituta sint propter homines, lex caritatis postulat, ut Minister Ecclesiae fidelibus auxilium praebeat eo meliori modo, quo potest juxta regulam a Scoto adductam. Si possibilitas adest, via tutissima est eligenda; si non adest possibilitas, via tutissima proxima est tenenda. Anacletus.

Q. Potestne quis uti opinione probabiliori pro libertate circa jurisdictionem pro administrandis Sacramentis requisitam, relicta tuta probabili pro praecepto?

R. Cum distinctione. Si Jurisdictio requiritur ad exteriorem Ecclesiae ordinem, et regimen, uti accidit in Sacramentis Baptismi, Confirmationis etc. Minister uti potest sententia probabiliori dictante pro se: nempe quod talem jurisdictionem habeat Sacramentum conferendi, quia prudenter agit,

eum graviori nitatur fundamento, neque alicui periculo nullitatis exponatur Sacramentum. Si vero jurisdictio requiritur ad validitatem Sacramenti, uti accidit in Sacramento Poenitentiae, cujus Minister jurisdictionem spiritualem habere debet, ut Sacramentum valide conferat, et in Sacramento Matrimonii, quod contrahendum est coram proprio alterutrius contrahentis Parocho, vel coram alio Sacerdote de illius facultate, ut validum sit; et tunc Minister uti non potest opinione probabiliori pro libertate, relicta tuta probabili pro praecepto; quia agitur de valore Sacramenti, pro quo semper tutius est sequendum, ne exponatur ipsum Sacramentum periculo nullitatis. Stampò.

Q. Potestne Confessarius conformare se opinioni, quae favet libertati, atque probabilior videtur poenitenti, licet sibi appareat minus probabilis?

R. Regulariter loquendo, non potest; nam ad Confessarium, tamquam Doctorem, et judicem spectat decernere, an aliquid poenitenti liceat; vel non; et poenitens tamquam discipulus, et reus adhaerere debet judicio Confessarii. Quin imo, si poenitens obfirmetur in sententia sua, indispositus est censendus, et absolutionis incapax; quia vult exponi periculo errandi, et frustrandi Sacramentum. Praeterea, si confessarius adhaereat poenitenti, agit contra Conscientiam, et contra munus suum. Dixi, *regulariter loquendo*; quia si poenitens est vir revera probus, atque ipso Confessario indubie doctior, tunc in illo singulari casu potest Confessarius adhaerere sententiae poenitentis, et mutare judicium suum antea efformatum, quia tunc prudenter agit. Cuniliati.

3. Medicus in curandis infirmis adhaerere debet sententiae tutiori, seu relictis medicaminibus probabilibus, debet infirmo praescribere medicamina tuta, si adsunt; his autem deficientibus, probabiliora; et his deficientibus, et necessitate urgente probabilia, et dubia; tum quia agitur de vita hominis; quae securiorem viam exigit, tum quia medicamina efficaciam non a rationibus, sed a natura repetunt.

4. Judex in judicando tenetur sententiam ferre secundum opinionem verisimiliorem, et juri conformiorem, quia Judex Minister est veritatis; unde eam inquirere debet eo meliori modo, quo potest, et secundum eam judicare. Praeterea Judicis officium est jus dicere, et quaestiones definire secundum leges, leges autem jubent, ut Judex secundum probabiliorem, et verisimiliorem sententiam definiat; uti patet ex regula 45. Juris in 6.: *Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius:* et ex L. 114. ff. tit. 17. de diversis regulis Juris antiqui: *In obscuris inspici solet, quod est verisimilius.* Hinc merito proscripta fuit ab Innocent. XI. propositio haec: *Probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.*

Q. Quid, si Judex cognoscat, aequalia esse litigantium jura; et rationes aequaliter pro utraque parte probabiles?

R. Si post diligentiorem rationum discussionem etiam aequalitas appareat, debet Judex vel de partium consensu arbitros statuere, vel compositionem imperare, vel pro medietate rem, vel jus, de quo lis agitur, litigantibus adjudicare. Hinc non potest Judex definire hujusmodi litem pro arbitrio suo; multoque minus pecuniam accipere, ut totum uni eorum adju-

dicet, uti patet ex propositione ab Alexandro VIII. damnata. *Quando litigantes habent pro se opiniones aeque probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius prae alio.*

Q. Quid si agatur de Judicio Criminali, et damnatione delinquentis?

R. Si nullum adest prejudicium tertiae personae, potest Judex sententiam dicere secundum opinionem probabilem in favorem delinquentis, relicta probabiliore, quae stat pro Lege. Ratio habetur ex L. *Si absentem*, ff. de poenis ibi: *Satius est impunitum esse facinus nocentis, quam innocentem condemnare*. Et ex regul. jur. in 6. *Cum sint partium jura obscura, reo favendum est potius, quam actori;* et insuper, quia cum judicio criminali agatur de vindicta publica, nulli infertur injuria, si reus juxta rigorem legis non condemnetur. E contrario maxima injuria inferretur innocenti, si hic sine crimine damnaretur; vel nocenti, si iste ultra id quod suum crimen postulat, puniretur.

Q. Potestne Advocatus suscipere patrocinium caussae probabilis, cum cognoscat probabiliora esse jura partis adversae?

R. Maxime, si causa sui clientis est vere probabilis; quia, munus Advocati est proponere sui clientis jura apud Judicem, non autem definire. Insuper fieri potest, quod caussa, quae in litis contestatione probabilis apparet, fiat in decursu caussae probabilior.

Tenetur tamen Advocatus primo sui clientis diligenter perpendere rationes, an sint vere probabiles; si enim improbabiles sunt, non potest patrocinium assumere sine peccato injustitiae, et sine restitutionis damnorum obligatione. Secundo, tenetur aperire Clienti probabilitatem suae caussae, et incertitudinem judicii: aliter peccat contra justitiam, et tenetur utriusque litigantium partis damna compensare. Tertio, si in decursu caussae rationes sui Clientis improbabiles dignoscantur, tenetur suum inducere Clientem, ut a lite desistat, aliter eodem peccato, et eadem obligatione, uti supra dictum est, tenebitur. Quod, si Cliens monitus desistere nolit, tenetur patrocinium relinquere, aliter peccat etiam contra justitiam, atque tenetur damna, quae parti adversae inferuntur, compensare.

5. Tutior pars tenenda est, quando agitur de victoria in bello obtinenda, quia non rationes graviores, sed media reipsa efficacia victoriam pariunt. Item quando tenemur sive ex justitia, sive ex caritate vitare damnum proximi, quia major probabilitas illud non impedit. Denique, quando pactum, votum, vel praeceptum ad tutiorem partem amplectendam nos ligat. Antoine.



ADDITAMENTA EX S. LIGORIO (1)

MORALE SYSTEMA

PRO DELECTU OPINIONUM, QUAS LICITE SECTARI POSSUMUS.

Dico I. quod si opinio, quae stat pro Lege videatur *certe* probabilior, ipsam omnino sectari tenemus: nec possumus tunc oppositum, quae stat pro libertate amplecti. Ratio quia ad licite operandum, debemus in rebus dubiis veritatem inquirere, et sequi: at ubi veritas clare inveniri nequit, tenemur amplecti saltem opinionem illam, quae proprius ad veritatem accedit, qualis est opinio probabilior.

Dico II. quod si opinio, quae stat pro libertate est tantum probabilis, vel aeque probabilis, ac altera, quae stat pro lege, nec etiam ipsam quis sequi potest, eo quod sit probabilis: nam ad licite operandum sola non sufficit probabilitas, sed requiritur moralis certitudo de honestate actionis juxta illud D. Pauli ad Rom. 14. 25. *Omne, quod non est ex fide peccatum est.* Dicitur *ex fide*, nempe ex certo dictamine conscientiae, ita ut homo in sua conscientia persuasum sibi habeat quod agendo recte agat prout explicant illud *ex fide* S. Chrysost., S. Ambros., et alii cum D. Thom. qu. 17. de verit. art. 5. Propterea falsum reputandum est effatum illud commune inter Probabilistas, nimirum: *qui probabiliter agit, prudenter agit.*

Dico III. quod duabus aeque probabilibus opinionibus concurrentibus, quamvis opinio minus tuta teneri non possit, quoniam, ut diximus, sola probabilitas (nota sola probabilitas) haud firmum praebet fundamentum ad licite operandum: tamen opinio illa, quae stat pro libertate cum aequali potiatur probabilitate, ac opposita, quae stat pro lege, grave quidem immittit dubium, an existat lex, quae actionem prohibeat, ac proinde sufficienter promulgata minime dici potest, ideoque dum eo casu promulgata non est, nequit obligare, tanto magis, quod *lex incerta non potest certum obligationem inducere.* Et haec est sententia D. Thomae, quam ego sequor, et quae certa mihi apparet, tum ob auctoritatem Theologorum, atque Patrum (Vide Christianum Lupum tom. XI. Diss. de usu sentent. probab., ubi congerit plures Patrum auctoritates) tum ob rationes intrinsecas, quae non jam fucatae sunt, sed certae, ac evidentes.

Theologorum princeps D. Thomas (1. 2. qu. 90. art. 1.) sic docet: *Lex quaedam regula est, et mensura actuum, secundum quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur: dicitur enim lex a ligando.*

(1) Theol. mor. lib. 1. tract. 1. de cons. cap. 3. §. 55. pag. 49. edit. Bassan. 1836. Illa omnia, quae Auctor doctissima quidem, sed prolixa dissertatione complexus est, nos heic compendiarie, prout instituti ratio patitur, ejus tamen verba retinentes, adferre duximus. Jam vero si quis est, qui paucis hisce non contentus, plura nosse aveat, is Auctorem adeat loc. cit.

*

quia obligat ad agendum. Hinc prosequitur S. Doctor ad docendum quod haec regula, et mensura, ut hominibus applicetur, ut ipsi ad eam servandam teneantur, debet eis promulgatione manifestari: ait ibidem: *Lex imponitur aliis per modum regulae, et mensurae: regula autem, et mensura imponitur per hoc, quod applicatur his, quae regulantur, et mensurantur. Unde ad hoc, quod lex virtutem obligandi obtineat (quod est proprium legis) oportet quod applicetur hominibus, qui secundum eam regulari debent. Talis autem applicatio fit per hoc, quod in notitiam eorum deducitur ex ipsa promulgatione. Unde promulgatio ipsa necessaria est ad hoc, quod lex habeat suam virtutem.*

Quod autem Lex nequeat subditos obstringere, nisi eis sit promulgata est axioma apud omnes compertum: *Leges tunc instituuntur cum promulgantur*, scribit Gratianus in can. in istis dist. 4. Ratio patet, quia lex tantum in mente legislatoris manens, non est, nisi mera cogitatio, sive intentio constituendi legem, non vero constitutio legis, quae subditos obligat. Hinc a D. Thoma lex definitur: *quaedam rationis ordinatio ad bonum commune promulgata* 1. 2. qu. 90. art. 4. . . . .

Lex vero ut obliget, non tantum promulganda est, sed etiam promulganda ut certa. Enimvero ex hujusmodi fundamento firmitatem haurit nostra sententia, nempe *non posse legem incertam certam obligationem imponere*. Dicimus igitur neminem ad aliquam Legem servandam teneri, nisi illa ut *certa* alicui manifestetur. Posito enim, ut vidimus, quod lex necessario est promulganda ut obliget, si promulgatur lex dubia, promulgabitur dumtaxat dubium, opinio, sive quaestio an adsit lex prohibens actionem sed non promulgabitur lex. Hinc omnes ad asserendum conveniunt quod lex ut obliget, debet esse certa, ac manifesta, debetque, uti certa manifestari, sive innotescere homini, cui promulgatur. Audiamus id quod communiter inquiunt Doctores super hanc sententiam; sive super hoc principium, quod inter alios maxime tradit Thomas', atque probat S. Isidorus inter conditiones legis, ut obligat ait legem debere esse manifestam. Ita habetur in Can. *Erit autem Dist. 4. Erit autem lex manifesta*. Idque certum est etiam in jure civili, ut patet ex Authent. *Quibus modis nat. eff. 9. natura*, ubi dicitur: *In dubio nullus praesumitur obligatus*.

D. Thomas loquens de Lege aeterna, et naturali docet quod ad hoc, ut ipsa possit esse nobis mensura, debet esse certissima, nobisque innotescere. Attendamus verba S. Doctoris. Ipse 1. 2. qu. 19. art. 4. ad 5. sibi objicit. *Mensura debet esse certissima* (nota) *sed Lex aeterna est nobis ignota: ergo non potest esse nostrae voluntatis mensura, ut ab ea bonitas nostrae voluntatis dependeat*. Et ita respondet. *Licet Lex aeterna sit nobis ignota secundum quod est in mente divina, innotescit tamen nobis aliqualiter per rationem naturalem, quae ab ea derivatur ut propria ejus imago, vel per aliqualem revelationem superadditam*. S. Thom. 1. 2. qu. 19. art. 4 ad 5. Ratio patet cur lex debet esse certa, quia lex juxta S. Doctorem sit mensura, et regula, qua homo mensurari, et regulari debet circa suas actiones, nequaquam ille recte regulari, mensurari potest, nisi mensura, et regula illa sit certa, ut obliget, quia et homini innotescat. *Lex enim*, scribit doctissimus Petrus Colet, ***ut obliget, debet dari ut regula, ac proinde innotescere; atqui lex non innotescit, nisi per promulgationem, cum per***

eam solam eo intimetur modo, quo obediendi necessitatem inducit. Colet Theol. mor. t. 1. de *leg. c. 1. art. 2. concl.* 2 Idem tradit Jo. Gerson dicens quod lex ut obligat, necessario debet homini manifestari, alias Deus eum obligare non potest ad illam servandam. *Necesse est* (valde notabilia sunt Gersonis verba) *dari manifestationem ordinationis, ac voluntatis Dei; nam per solam ordinationem, aut per solam suam voluntatem non potest Deus absolute creaturae imponere obligationem, sed ad hoc opus est, ut ei communicet notitiam unius, aeque ac alterius.* Gerson de Vit. *Spir. et Lect.* 2. Idem tradunt Gonet Clyp. t. 3. D. 6. art. 2. n. 37. in fin. Sylvius in 1. 2. qu. 90. art. 4. in fin. aliiq.

Ex omnibus his praefatis evidenter apparet moralis certitudo sententiae nostrae, vel potius sententiae D. Thomae, qui pluribus in locis eam docet. Signanter in Opusc. de verit. qu. 17. art. 3. hoc morale Principium absolute profert: *Nullus ligatur per praeceptum aliquod, nisi mediante scientia illius praecepti. . . . . .*

Hanc autem sententiam quod ubi praeceptum est vere, et stricte dubium non adest obligatio illud servandi sequuti suut communiter Auctores tam antiqui, quam recentes S. Raymundus scripsit (*lib. 3. de Poenit. §. 21*). *Non sis pronus judicare mortalia peccata ubi tibi non constat per certam Scripturam.* Lactantius scripsit (Lib.3.Instit. c. 21). *Stultissimi hominis est praeceptis eorum velle parere, quae utrum vera, aut falsa sint dubitatur.* Textus habetur in c.13. *Cum in jure de offic. et pot.Jud. deleg.*; ubi dicitur:*Nisi de mandato certus extiteris, exequi non cogeris quod mandatur...*Dominicus Soto scribit quod Lex cum ipsa sit regula actionum opus est ut homo eam *intueatur,* nempe quod cognoscat eam ut certam: *Qui regula utitur, eam intueri necesse est. De justit. l. 1. q. 1. art. 4.* Unde scripsit postea (Ibid. l. 6. q. 1. art. 6. circa fin.) *Quando sint opiniones probabiles inter graves Doctores utrumque sequaris, in tuto habes conscientiam.* Ita etiam Card. Lambertinus (qui postea ad Pontificatum evectus est sub nomine Benedicti XIV.) scripsit in suis Notificationibus (Notif. 15). Non *debbono imporsi legami, quando non vi è una manifesta legge, che gl'imponga....* Idem tenent alii plures, quos omittimus brevitatis caussa.

Posito igitur Principio a D. Thoma tradito, ac satis superque probato, nempe quod *Nullus ligatur per praeceptum aliquod, nisi mediante scientia illius praecepti*, quod idem est, ac dicere non posse Legem incertam certam obligationem inducere, necessario eruitur esse moraliter certum quod ubi opiniones aequalis ponderis concurrunt, non est obligatio sequendi tutiorem. Si quis autem de hujus sententiae certitudine rationem exposcat, breviter ei ex omnibus in hoc Monito probatis respondebitur, quia Lex dubia non obligat. Et si quaerere perget cur Lex dubia non obliget? respondebimus hoc succincto argumento: Lex non sufficienter promulgata non obligat: Lex dubia non est sufficienter promulgata (quia dum Lex est dubia, promulgatur sufficienter dubium, sive quaestio, sed non promulgatur Lex): ergo Lex dubia non obligat. Qui argumentum hoc inficiari vellet, probare deberet vel quod Lex etiam non promulgata obligat: vel quod Lex dubia est promulgata contra id quod expresse docet S. Thomas, et alii communiter, ut vidimus, sed numquam harum propositionum ullam probabit in aeternum. Haec tandem sit conclusio hujus sententiae: spectato pondere aequali utrius-

que opinionis, homo dubius maneret, neque operari posset: spectata autem vi Legis, cum ipsa eo casu non sit sufficienter promulgata, non obligat, nec ligat. Et ideo homo, utpote ab hujusmodi lege dubia non ligatus, redditur certus de sua libertate, et sic licite operari potest.

Constat autem ex ipso naturali dictamine licere nobis agere omne id, quod a Lege non prohibetur sicut scripsit Heinecius (Lib. Elementa Jur. Natur; et Gent. sic ajens: « Omnia libertati hominis permittit Deus, quae » non praecepit, vel prohibuit. Sic v. g. cum sola arbore scientiae boni, » et mali hominibus interdixisset Deus, recte omnino inferebant Protopla- » sti, licere sibi fructibus reliquis omnino vesci. Gen. 3. 2. Cessante enim » legis obligatione viget libertas. Id porro validius confirmatur textibus » Juris Civilis, et Canonici ». Nam Instit. *de jure person*. §. 1, dicitur : *Cuique facere libet, nisi id a Jure prohibetur. Item cap. autem 13. Cum in jure de offic. et pot. Jud. Deleg.* sic habetur: *Nisi de mandato certus extiteris; exequi non cogeris quod mandatur.* Quapropter S. Thomas docet id tenendum tamquam commune et certum Axioma in lege naturali sic scribens: *Illud dicitur licitum quod nulla lege proibetur. In 4. Sent. Dist. 15. q. 2. art. 4. ad 2.....*

Ex hac autem doctrina S. Thomae, nempe quod Lex non habet virtutem obligandi, nisi sit promulgata, et innotescat, duo Corollaria descendunt, quibus praefata nostra Dissertatio magis solidatur, primum quod lex dubia non obligat, secundum huic adnexum quod lex incerta nequit certam obligationem inducere. Hinc subdimus.

COROLLARIUM PRIMUM

Lex dubia non obligat

Ex principio autem tam firmiter, et multipliciter a D. Thoma probato, nempe quod Lex non promulgata non habet virtutem obligandi, certa descendit praefata prima Conclusio quod lex dubia non obligat. Hujusmodi Conclusio probatur ex eo, quod certum, et exploratum communiter est inter omnes Doctores, quod certitudo moralis alicujus sententiae si non probatur ex aliquo certo principio *Directo*, probetur tamen ex alio principio *Reflexo* pariter certo, ut probatur primo ex can. 4. *Quid culpatur 25. q. 1.* ubi S. Augustinus scribit: *Vir justus si forte sub Rege homine etiam sacrilego militet, recte potest illo jubente bellare, si vice* (alias *civicae*) *pacis ordinem servans quod sibi jubetur, vel non esse contra Dei praeceptum certum est, vel utrum sit, certum non est: ita ut fortasse reum faciat Regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendit ordo serviendi.* Quamvis igitur Subditus sit dubius de belli justitia, potest tamen licite militare ex jussu sui Principis, et qua ratione? innixus Principio reflexo, quo Princeps habet jus certum, ut semper ac de injustitia non constat, ei obtemperetur. Probatur pariter *ex cap. Dominus de Secund. nupt.*, ubi dicitur quod si vir dubitet de morte prioris viri suae uxoris, nequit debitum petere, sed tenetur reddere uxori, quae non dubitans in bona fide petit, et cur, ob certum principium reflexum quod cum uxor sit in bona fide, ipsa in dubio jus habet petendi debitum.

Hanc doctrinam ut certam habet. P. Jo: Laurentius Berti in sua Theologia (*tom. 2. lib. 21. c. 13. prop. 3. vers. Patroni*, aliique. . . . .

Sed deveniamus nunc ad rationes intrinsecas nostrae sententiae, pro quibus rem ex suis principiis, Angelico Doctore semper duce, sumamus. S. Thomas sic legem definit: *Lex quaedam regula est, et mensura actum, secundum quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur: dicit enim lex a ligando, quia obligat ad agendum*, 1. 2. quaest. 90, art. 1. Deinde idem S. Thomas docet hanc regulam, sive Legis mensuram, ad hoc ut subditi eam observare adstringantur debere eis esse per promulgationem manifestam; quapropter art. 4. quaesitum proponit; *Utrum promulgatio sit de ratione legis?* Et sic respondet: *Lex imponitur aliis per modum regulae, et mensurae, regula autem, et mensura imponitur per hoc, quod applicatur eis, qui regulantur, et mensurantur. Unde ad hoc, quod lex virtutem obligandi obtineat, quod est proprium legis, oportet quod applicetur hominibus, qui secundum eam regulari debent. Talis autem applicatio fit per hoc, quod in notitiam eorum deducimus ex ipsa promulgatione. Unde promulgatio ipsa necessaria est ad hoc, quod lex habeat suam virtutem.* Lex igitur ante promulgationem vim obligandi non habet: leges enim, ut scribit Gratianus in can. In istis dist. 4. tunc vim Legis adquirunt, et leges tunc proprie nuncupantur, et sunt, cum sunt promulgatae: *Leges tunc instituuntur cum promulgantur*. Hinc a S. Thoma alibi ita lex definitur: quaedam rationis ordinatio ad bonum commune promulgata. 1. 2. quaest. 90. art. 4. Notentur verba *ordinatio promulgata*.

Haec autem promulgatio est necessaria omnino ad obligandum nedum in humanis Legibus, sed etiam in divinis, et naturalibus prout idem S. Doctor tradit: nam in citato art. 4 ad primum hoc sibi objicit *Lex naturalis maxime habet rationem legis: sed Lex naturalis non indiget promulgatione: ergo non est de ratione Legis quod promulgatur*. Et sic respondet: *Dicendum quod promulgatio legis naturae est ex hoc ipso quod Deus eam mentibus hominum inseruit, naturaliter cognoscendam*. Itaque S. Thomas non negat Legem naturalem promulgatione indigere, dicit tantum legis naturalis promulgationem non fieri humano modo, sed naturali lumine, quod Deus in hominum mentes ingerit. Hinc doctissimus Cardinalis Gotti ait: *Ad hoc ut lex in actu secundo obligat, requiritur quidem indispensabiliter, ut Subditis promulgatione proponatur. Theol. com. 2. tract. 5. de lege quaest. 1. dub. 3. §. 3. num. 21.* Dicit, *in actu secundo*, quia Lex non adhuc promulgata habet in se vim obligandi in actu primo, scilicet ut ipsa actualiter deinde obliget, cum promulgata fuerit, sed ut in actu secundo, nempe actualiter obliget, requiritur indispensabiliter ejus promulgatio subditis facta: *Actualiter* (scribit Sylvius) *tunc lex unicuique promulgatur, quando cognitionem* (homo) *a Deo accepit dictantem quid juxta rectam rationem sit amplectendum, quid fugiendum.* In. 1. 2. quaest. 90. art. 4. in fin.

De hac promulgationis necessitate, ut lex obligat, Dominicus Soto rationem assignat, dicens: *Nulla Lex habet vigorem Legis ante promulgationem. Nullam exceptionem conclusio haec permittit. Et probatur ex natura ipsius Legis: est enim regula nostrarum actionum: regula autem nisi operantibus applicetur, vana est. Applicari autem nequit, nisi per ejus notitiam; nam qui regula utitur, eam intueri necesse habet:* (nota *intueri*).

Fit ergo consequens, ut ante promulgationem, qua Subditis innotescit, non eos obligando perstringat, sed tunc percipi quando promulgatur. Sot. de just. et jure lib. 1. quaest. 1. art. 4. Quapropter ait Joannes Gerson nec etiam Deum obstringere posse creaturam ad Legem observandam, nisi prius praeceptum, ac voluntatem suam Deus creaturae manifestat: *Necesse est dari manifestationem ordinationis, ac voluntatis Dei, nam per solam ordinationem, aut per solam suam voluntatem non potest Deus absolute creaturae imponere obligationem, sed ad hoc opus est, ut ei communicet notitiam unius aequi, ac alterius. Gerson de Vit. Spir. Lect. 2. col. 176.* Ex hoc P. Gonet argumentum ducit bene posse dari ignorantiam invincibilem etiam praeceptorum naturalium, quae a primis principiis valde sunt remota, sicque arguit: *Lex enim vim obligandi non habet, nisi applicetur hominibus per promulgationem: sed lex naturalis non promulgatur omnibus hominibus quantum ad omnia praecepta, quae sunt remotissima a primis principiis; ergo non obligat omnes quantum ad illa praecepta. Subindeque potest dari de illis ignorantia invincibilis, et excusans a peccato. Gon. in Glyp. theol. tom. 3. Disp. 1. art. 3. num. 47.* . . . .

§. II. *Alterum Principium: Lex incerta non potest certam obligationem inducere, quia hominis libertas anterius ad legis obligationem possidet.*

Erit autem Lex manifesta, ait. S. Isidorus in Can. *Erit autem. Dist. 4.* Hinc scripsit Panormitanus (*in Cap. fin. de Const.*): *ubi lex est dubia, excusatur quis a juris ignorantia.* Eadem quidem naturalis ratio dictat, neminem ad eorum praeceptorum, de quibus dubitatur utrum existant, an non, teneri observantiam, ut habetur in *Auth. Quibus mod. nat. 9 §. Natura* ubi legitur. *In dubio nullus praesumitur obligatus.* Hoc idem docet D. Thomas dicens, legem (et loquitur de lege divina, et aeterna) ut obliget, debere esse certam, *1. 2. q. 19. art. 4. ad 3.* Ibi S. Doctor sibi objicit. *Mensura debet esse certissima sed Lex aeterna est nobis ignota; ergo non potest esse nostrae voluntatis mensura, ut ab ea bonitas voluntatis nostrae dependat.* Et respondet: *Licet Lex aeterna sit nobis ignota secundum quod est in mente divina, innotescit tamen nobis aliqualiter per rationem naturalem, quae ab ea derivatur, ut propria ejus imago, vel per aliqualem revelationem superadditam.* Non negat igitur S. Thomas, legem divinam, prout est nostrarum actionum mensura, debere esse certam; dumtaxat, ait, non opus esse ut illa eodem modo a nobis, ac a Deo dignoscatur, sed sufficere ut nobis rationis naturalis lumine, aut speciali aliqua revelatione innotescat.

Sed hoc clarius, et firmius in alio loco statuit Magister Angelicus, ubi quaerit: *Utrum conscientia liget.* Et sic sermonem habet: *Ita se habet imperium alicujus Gubernantis ad ligandum in rebus voluntariis illo modo ligationis, qui voluntati accidere potest, sicut se habet actio corporalis ad ligandum res corporales necessitate coactionis. Actio autem corporalis agentis numquam inducit necessitatem in rem aliam, nisi per contactum coactionis ipsius ad rem, in qua agit. Unde nec ex imperio alicujus Domini ligatur aliquis, nisi imperium attingat ipsum, cui imperatur. Attin-*

git autem ipsum per scientiam. Unde nullus ligatur per praeceptum aliquod, nisi mediante scientia illius praecepti. Et ideo ille, qui non est capax notitiae praecepti non ligatur, nec aliquis ignorans praeceptum Dei ligatur ad praeceptum faciendum, nisi quatenus tenetur scire praeceptum. Si autem non teneatur scire, nec sciat, nullo modo ex praecepto ligatur. Sicut autem in corporalibus agens corporale non agit nisi per contactum; ita in spiritualibus non ligat, nisi per scientiam. De Verit. q. 17. art. 3. Nota illud: *Unde nullus ligatur per praeceptum aliquod, nisi mediante scientia illius praecepti.* . . . .

Instant adversarii, et dicunt. Qui tutiores opiniones amplectitur, tutius incedit. Respondeo. Nefas quidem est divinarum legum observantiam relaxare plusquam licet, sed non minus est malum divinum jugum plus quam oportet durum aliis reddere: « nimia enim severitas (scribit Cabassutius in « Praefat. » Theor. Juris) dum homines ad nimis ardua compellit, viam salutis aeter» nae praecludit: salvandos (ut ait D. Bonaventura) damnat, et conscios pro» priae infirmitatis ad desperationem adigit. Accidit enim, ut miseri homi» nes hac audita rigida doctrina, credant, vel dubitant inesse mortalem cul» pam, uti nulla est, sed tamen rei difficultate victi ex erronea conscientia mortaliter peccant, et damnantur ». Recte ergo D. Bonaventura (Comp. Theol. verit. l. 2. c. 32. n. 5). *Cavenda est conscientia nimis larga, et nimis stricta: nam prima generat praesumptionem, secunda desperationem: item prima saepe dicit malum bonum, secunda e contra bonum malum, item prima saepe salvat damnandum, secunda e contra damnat salvandum.* Hinc sapienter scripsit Jo: Gerson: « Doctores Theologi non de» bent esse faciles ad asserendum aliqua esse peccata mortalia, ubi non sunt » certissimi de re: nam per hujusmodi assertiones rigidas, et nimis strictas » in rebus universis nequaquam eriguntur homines a luto peccatorum, sed » in illud profundius, quia desperatius demerguntur. Quid prodest, immo » quid non obest coarctare plus justo mandatum Dei quod est latum nimis»? *De Vit. Spir. Lect. 4.* Optime nos instruit S. Chrysostomus: *Circa vitam tuam esto austerus circa alienam benignus.* Ita in Can. *Alligant* 26. p. 7. Addit P. Suarez, et ait: *Immo potius periculum animarum incurreretur, sit tot vincula in casibus dubiis injicerentur.* In 2. 2. q. 89. a. 7. Idque fusius Card. Pallavicinus scire explicat: « Per se spectatum effatum il» lud: *in dubio tutior pars est eligenda* verissimum est, si recte intelliga» tur: nam vel agitur de electione practica, et haec semper debet esse tutis» sima, quia debet esse evidenter licita, vel de electione sententiae specula» tivae, et circa eam quaerenda quidem est major securitas sententiae, non » major securitas actionis. Si induceretur opinio, quod semper teneremur fa» cere actionem quae securior est, etiam a transgressione materiali, haec » opinio non esset tutior, sed maxime exposita periculo frequenter tran» sgressionis formalis: quare tutior est opposita. Pallav. in 1. 2. disp. 9. » c. 4. a. 11. n. 12 ». . . . .

Caeterum protestor quod sicut Confessarios illos non approdo, qui nimiae austeritati adhaerentes facile damnant usum plurium opinionum, quae gravi fundamento nituntur: ita contra neque approbare possum eos, qui de facili opiniones sine certo fundamento tamquam probabiles acclamant. Confessarius antequam aliquam opinionem amplexetur, tenetur utique intrinse-

cas rationes perpendere, et cum ei occurrit aliqua ratio convincens pro tutiori opinioni, cui adaequatam responsionem suppetere non aspicit, tunc oppositam minus tutam amplecti non potest, quamvis plurimorum Doctorum auctoritas ipsi faveat; modo autem non sit tanti ponderis, ut videretur ei magis, quam rationi apparendi deferendum juxta id quod docet S. Thomas: *Aliquis parvae scientiae magis certificatur de eo, quod audit ab aliquo Scientifico, quam de eo, quod sibi secundum suam rationem videtur.* *2. 2. q. 9. a. 8. ad 2.* Sed iste casus valde rarus est.

Hoc pro theorica, sed quantum ad praxim spectat deligendi opiniones, quaeri solet an expediat rigidas, aut benignas praeferre? Respondeo: Ubi agitur de removendo Poenitente a periculo peccati formalis, Confessarius debet, generaliter loquendo, et in quantum Christiana prudentia suggerit, benignis opinionibus uti: ubi vero opiniones benignae proximius reddunt periculum formalis peccati, prout sunt nonnullae Auctorum opiniones: v. g. quoad vitandas occasiones proximas, et aliae id genus: tunc semper expedit, ut Confessarius utatur, immo dico quod ipse ut Medicus Animarum tenetur uti opinionibus tutioribus, quae Poenitentes ad se servandos in statu Gratiae conducunt.

Nescio autem quomodo possit cum bona conscientia doceri (generice loquendo) quod Poenitenti, qui ob Confessionem suarum culparum peractam jus certum ad Absolutionem jam fuerit adeptus, possit ipsa ei negari, eo quod poenitens inter duas aequales ponderis opiniones nolit tutiorem sequi. Hic est rigor ille, quem immoderatum, et injustum procul dubio reputo, et reprobo, cum austeritas haec caussa esse potest, ut plures animae damnantur, dum alios plures Auctores ineundo etiam Probabilioristas, tam modernos, quam antiquos, relatos quidem ab adversariis, uti rigidae sententiae fautores, qui oppositum docent. En quomodo loquitur Probabiliorista Pontassus: *Fatendum tamen quod si Confessario persuasum foret, opinionem sui Poenitentis esse probabilem* (loquitur jam de opinione, cui tutior opposita etiam est probabilis), *tunc ei absolutionem posse impertiri quandoquidem tunc contra conscientiam suam non ageret.* Pontas verb. *Confessarius cap.* 2. Si autem Confessarius potest poenitentem absolvere, tenetur, cum ille jus ad absolutionem habeat. Idem pariter scribit probabiliorista Cabassutius: *Quivis Confessarius absolvere debet eum poenitentem, qui non vult ab opere abstinere, quod secundum probabilem piorum, et doctorum aliquot hominum non reprobatam in Ecclesia auctoritatem est licitum, quamvis juxta probabilem aliorum auctoritatem, quam ipse sequitur Confessarius habeatur minus probabilis* (intelligendum non notabilior minus) *ut ostendunt Navarrus, Sylvius.* Et de hoc rationem dat, quoniam *esto Confessarius agat contra propriam opinionem, non tamen contra propriam conscientiam, cum teneatur absolvere dispositum. Theor. jur. l. 3. c. 13. n. 13.* (1). . . . .

His perspectis oportet quod sint animi valde audentis Confessarii illi, qui poenitenti opinionem tutiorem, dum opposita minus tuta est aequalis pon-

(1) Quae adversus hasce sententias objicere solent adversarii nos brevitati consulentes praetermittere duximus. Auctorem adeas censemus. Sunt enim loc. cit. plurima, quae tollere cum fructu possis.

deris, amplecti nolenti post suorum reatuum confessionem absolutione denegare non dubitant. Tandem ab omnibus, quae hic exposita sunt, firmiter confirmatur principium a S. Thoma nobis traditum quod lex nisi sit sufficienter, ac certe promulgata, non obligat. Deinde concluditur quòd nisi opinio, quae stat pro lege sit aut certa, aut saltem certe probabilior, prout ab initio diximus, eam sequi non tenemur.

§. III. *De Conscientia dubia.*

Q. Quid est Conscientia dubia, et quid est dubium?

R. Conscientia dubia est dictamen illud rationis, quod animum inter duas propositiones contrarias constitutum, suspensum reddit ad judicandum, utra num ex illis licita sit, vel illicita, ob motiva pro utraque parte *aequalia.* Hinc dubium est suspensio intellectus ad assentiendum vel dissentiendum utrique parti ob motiva aequalia, quae pro utraque parte habentur. Genet, Antoine, Stampò.

Ubi notandum, Conscientiam dubiam impropric vocari Conscientiam, quia mens per dubium non potest efformare dictamen, seu judicium practicum de licititate, vel illicititate actionis, sed suspensa remanet, ut dictum est. Antoine.

Q. Quaenam differentia est inter dubium, opinionem, et suspicionem?

R. Dubium, opinio, suspicio ex hoc differunt, quia per dubium mens neutri parti contradictionis adbaeret, sed anceps manet inter utramque. Per opinionem mens adbaeret uni parti contradictionis, sed cum formidine de opposito. Per suspicionem, mens nulli contradictionis parti revera adhaeret, attamen uni parti magis inclinat, quam alteri.

Q. Quotuplex est dubium?

R. Multiplex. Et primo aliud est positivum, negativum aliud. Primum habetur, cum pro utraque parte contradictionis concurrunt aequales rationes, adeo ut intellectus suspensus ad judicandum remanet inter utramque partem. Secundum habetur cum pro neutra parte habentur rationes; quare hoc dubium apparet, non esse dubium proprie dictum, sed nescientiam; Dubium enim est illud, quod oritur ex aequalitate contrariarum rationum, ait Baldus in L. de statu, §. de testam. Idem ait S. Antoninus 1. part. Summ. tit. 3. lib. 10.

2. Dubium aliud est juris, et aliud facti. Primum habetur, cum quis dubitat de lege, seu legis obligatione. v. g. dubitat, an lex existat, an lex desierit; an lex sit justa, an obliget. Sic etiam, an votum, quod emisit, obliget; an reservatio alicujus peccati valeat. Secundum habetur, cum quis licet certus de lege, dubitat tamen, an posuerit actionem sub lege contentam: v. g. dubitat, an percusserit clericum, vel laicum; an votum emiserit, vel propositum; an persolverit poenitentiam a Confessario impositam etc. Nota autem; quod ex dubio facti oritur etiam dubium juris: nam ex eo, quod quis dubitat, an percusserit clericum, quod est dubium facti, oritur statim dubium juris, nempe, an sit excommunicatus.

3. Dubium vel speculativum est, vel practicum. Primum est illud, quo dubitatur, in genere, an aliquod sit licitum, nec ne; an adsit obligatio illud agendi, nec ne; prescindendo ab omni operis executione: v. g. dubitat

quis, an liceat apponere poenam conventionalem in mutuo. Secundum est illud, quo dubitatur, an hic, et nunc licet hoc facere: v. g. dubitat mutuator, an in mutuo, quod nunc facit, possit poenam conventionalem apponere.

Q. Licetne agere, vel non agere cum Conscientia dubia de malitia actionis, vel omissionis?

R. Minime: sive dubium sit juris, sive facti; nam qui agit cum dubio, exponit se periculo peccandi; qui autem exponit se periculo peccandi, revera peccat juxta illud Eccl. 3.: *Qui amat periculum peribit in illo.* Item tenemur nos agere ex Conscientia moraliter certa de honestate actionis; aliter agendo peccamus: uti constat ex epist. ad Rom. I. cap. 14.: *Omne, quod non est ex fide* (hoc est ex morali certitudine, quod licitum sit) *peccatum est.* Qui autem cum dubio agit, hanc moralem certitudinem non habet. Denique agens cum dubio, videtur interpretative velle malitiam actionis, quam cum dubio ponit; nam vult quod agit ex aequali voluntatis inclinatione, sive illud sit licitum, sive illicitum. Mazzotta, Antoine, Stampò.

Q. Quid si dubium sit mere speculativum?

R. Si in praxi supervenit aliqua nova ratio, seu circumstantia, qua dubium speculativum tollatur, et habeatur moralis certitudo de honestate actionis, licitum est agere, quia prudenter agitur. Si vero in praxi nulla habetur circumstantia, et gravis ratio, per quam tollatur dubium speculativum; tunc non est licitum agere, quia ex dubio speculativo oritur etiam dubium practicum. Hinc sit dubium, an liceat pingere die festo; non potest quis die festo pingere, nisi concurrat gravis ratio, et rationabilis circumstantia, v. g. necessitas, bonum commune etc.: quibus fiat, ut quod dubium erat, videatur moraliter certum, quod sibi hoc die festo liceat pingere.

Q. Quid si dubium sit negativum?

R. Nec etiam licitum est agere cum tali dubio, sive juris sit, sive facti; nisi prius deponatur; et rationes sunt eaedem quae superius allatae sunt. Verum fatendum est, quod dubium negativum libenter repellendum est atque deponendum, quia est male fundatum; agens enim nullas habet rationes dubitandi; vel si aliquam habet, haec est nimis levis, et contemptibilis; ac proinde post sufficientem adhibitam diligentiam, si nullum appareat prudens motivum dubitandi, dubium suum, tamquam scrupulum jure rejicere potest, et tuto agere, uti apparet ex cap. 44. de sentent. Excomm. Collet, Cuniliati, Antoine.

Q. Quale peccatum committit, qui agit cum conscientia dubia?

R. Committit peccatum ejusdem speciei, et gravitatis, cujus est peccatum, de quo ipse agens dubitat, etiam si id, quod agit, sit per se licitum. Dubitat, v. g. quis, an expuere in Ecclesia sit peccatum grave contra Fidem, et sic dubitando expuit in Ecclesia; revera graviter contra fidem peccat, quia exponit se periculo tali peccato peccandi; et quia interpretative vult malitiam talis peccati. Mazzotta, Antoine. Et idem dic, si quis dubitet in confuso, an id, quod agit, sit peccatum, non distinguendo, an mortale sit, vel veniale, et dubio non deposito, agit; hic enim graviter peccat, quia committit se periculo peccandi graviter.

Q. Quomodo se gerere debet, qui in aliquo casu laborat conscientia dubia?

R. Antequam incipiat agere, tenetur illam deponere, secundum prudentiae leges; diligenter inquirendo veritatem juxta personae conditionem, et rei qualitatem, recurrendo ad Deum pro lumine; viros probos, ac doctos, consulendo etc. Quod si post haec, adhuc dubium perseverat; si non urgeat necessitas, abstineat ab actione, vel omissione, ne periculo exponatur errandi: Si vero urgeat necessitas, tutiori parti adhaereat, ne periculo errandi se committat. Ita D. Antoninus, Mazzotta, Genet, Antoine, Stampò.

Q. Hoc ergo axioma: In dubiis tutior pars est eligenda; est de praecepto?

R. Est equidem de praecepto, quando dubium prudenter deponi non potest aut per rationem aliquam, aut per aliquam juris regulam: v. g. *Pro eo standum est, pro quo stat praesumptio; vel in dubio tutior est conditio possidentis etc.* Nos enim, ut recte operemur, tenemur removere omne periculum peccandi, dum agimus. In dubio autem versantes, hoc periculum non praecavemus, nisi tutiorem eligamus partem. Hinc Augustinus lib. 1. de Baptism. cap. 3. ait: *Graviter peccaret in rebus ad salutem Animae pertinentibus vel eo solo, quod certis incerta proponeret.* Cicero etiam, etsi gentilis, lib. 1. de offic.: *Bene praecipiunt, qui vetant quidquam agere, quod dubites, aequum sit, an iniquum.* Praeterea Summi Pontifices saepissime hoc axioma inculcarunt, et quidem per verba imperativa: *Via tutior in dubiis est eligenda: Semitam debemus eligere tutiorem: Quod certius existimamus tenere debemus.* Quae loquendi formulae praeceptum indicant, non verum consilium.

Q. Nonne huic doctrinae adversatur caput: Dominus: de secund. nuptiis; et caput: Inquistioni tuae; de sentent. Excomm. ubi Conjugi dubitandi de valore matrimonii imponitur onus reddendi debitum alteri conjugi in bona fide existenti. Nam tutius fuisset, abstinere ab hujusmodi redditione ob periculum fornicationis?

R. Hi textus minime adversantur expositae doctrinae; nam conjux in istis casibus reddendo debitum, partem eligit tutiorem quia de duobus malis illud eligit, quod Ecclesiae judicio minus videtur. Et quidem minus malum apparet in his casibus a jure propositis debitum reddere, quam denegare; redditio enim debiti, si laederet, laederet tantum castitatem; at debiti denegatio laedit justitiam, ac exponit alterum conjugem periculo incontinentiae, suspicione, blasphemiarum, rixarum etc. Collet f. 78. 1. At alii alia ratione ducuntur.

Q. Quando ergo locum habet regula illa: In dubio melior est conditio possidentis?

R. Habet locum in materia Justitiae; quando nempe quis incipit dubitare; an res, quam incipit possidere bona fide, sit sua vel aliena; et adhibita sufficienti diligentia, dubium deponere non valuit; tunc enim rem potest retinere; quia possessor non solum innititur rationibus aequalibus, ac innititur alter, de quo dubitatur, an res sit sua; sed innititur etiam possessioni, quae affert titulum, ac proinde jus. Possessio enim est jus insistendi in re non prohibita possideri. Praeterea innititur praesumptioni, quae stat pro eo, qui possidet; nam jure praesumitur, rem esse potius ejus apud quem possidetur, quam alteriur; cum fere semper adveniat ut res, nonnisi apud dominum, custodiatur.

Q. Haec allata regula: In dubio melior est conditio possidentis: ***valetne in materia reliquarum virtutum?***

R. Minime: nam haec regula introducta est a jure humano, ad tollendas lites, pro sola materia, quam justitia respicit; et in qua agitur de meo, et tuo, vel alieno, et efformari potest praesumptio; quod ille sit dominus, apud quem res extat. At non sic pro materia reliquarum virtutum, in qua agitur de licito, vel illicito; quia cum rationes aequales pro utraque parte sint, et dubium efforment, non habetur alia ratio, unde formari possit praesumptio, quae dubium tollat.

Q. At non potest dici, quod, quando lex non est certa, sed dubia, agens possidet libertatem agendi?

R. Minime; quia ad inculpabiliter agendum homo non potest agere id, quod vult, sed illud, quod licitum certo apparet, saltem certitudine morali. Haec autem certitudo moralis non habetur, quando rationes aequales sunt tam pro honestate, quam pro turpitudine actus, sed habetur dubium, pro quo excutiendo tenenda est regula allata: *In dubio tutior pars est eligenda.* Hinc inferas:

1. Si quis dubitat, an Lex lata fuerit, nec ne, tenetur illam observare, nam aliter imprudenter agit, cum se exponat periculo violandi legem; et qui amat periculum, peribit in illo.

2. Qui est certus de Lege, et dubitat num Lex propter aliquam circumstantiam obliget, tenetur legem servare, quia in dubio standum est pro lege, quae certo apparet, et est in possessione obligandi; lex enim non fertur, nisi ut obliget. Sic qui dubitat, an legislator sit legitimus superior, an legitime electus, an potestatem habeat imperandi hanc actionem, vel prohibendi, an onus impositum per Legem sit justum etc. tenetur implere legem quia in hujusmodi dubiis stat pro Lege possessio praecipiendi. Antoine de legibus, Mazzotta, aliique.

3. Qui dubitat de justitia Legis, eam servare tenetur, quia praesumitur, legislatorem, nonnisi omnibus inspectis legem tulisse. Unde si miles dubitat de justitia belli, militare tenetur; si subditus dubitat de justitia vectigalis solvendi, tenetur illud solvere.

4. Qui dubitat de adimpletione Legis, legem adhuc adimplere tenetur; quia lex possidet jus suum certum, quo non debet expoliari per adimpletionem incertam. Quare si clericus beneficiatus dubitet, an recitaverit illa die horas canonicas, tenetur eas recitare, ut legem certo adimpleat.

5. Qui dubitat, an Legis obligatio advenerit, vel desierit; tenetur ad legem servandam, ne exponatur periculo illam violandi. Sic qui dubitat, an pervenerit ad aetatem viginti duorum annorum tenetur servare jejunium: qui dubitat die Jovis an incepta sit media nox, tenetur abstinere a carnibus; et idem dic, qui Sabatho dubitat, an advenerit media nox, et dies Dominicus inceperit. Antoine.

Q. Quid si quis dubitat de Voto?

R. 1. Si post diligentem inquisitionem non apparet probabile aliquod fundamentum, quod votum emiserit, non tenetur ad votum: quia voluntaria obligatio, qualis est obligatio voti, praesumi non debet sine ulla verisimili ratione: et dubium hujusmodi cum sit negativum, et irrationabile, tamquam scrupulus, est rejiciendum. Antoine de Relig.

2. Si aequalis ratio sit pro utraque parte, quod scilicet votum sit emissum, et quod non sit emissum; qui dubitat, tenetur servare votum, quia aliter exponitur periculo violandi votum.

3. Qui certo recordatur vovisse, sed dubitat, an voverit cum sufficienti advertentia, an cum intentione se obbligandi, an cum plena libertate, etc. etiam tenetur ad votum, quia probato facto, censetur adfuisse omnia, quae requiruntur ad factum, nisi aliud certo constet. Hic tamen advertendum, quod si quis aliquid proposuerit, vel promiserit, et paulo post dubitat, an habuerit intentionem vovendi, non praesumitur vovisse; quia, cum ad votum requiratur, ut sit deliberata promissio (excipe tamen nisi habeat consuetudinem vovendi, quia tunc praesumitur vovisse) si haec adfuisset, recordaretur equidem paulo post iste, qui dubitat. Antoine ibid., Mazzotta de Conscient. dubia cap. 5.

4. Qui certus est de voto, et dubitat de ejus adimpletione, tenetur ad votum adimplendum, quia obligatio certa non extinguitur per incertam solutionem. Antoine.

5. Qui certus est de voto, et dubitat de quantitate, vel qualitate rei promissae, investigare tenetur ex circumstantiis; qualis fuerit sua intentio, et juxta eam servandum est votum; quia votum non obligat ultra voventis intentionem, ut ait D. Thomas 2. 2. qu. ult. art. 4. Si de sua intentione nihil ex circumstantiis eruatur, investigetur ex consuetudine loci, vel regionis; si ex his nec etiam appareat ejus mens, tutior tunc pars est eligenda; ita D. Thomas in 4. dist. 38., quaest. 1. art. 3. ad 6. ibi: *Si dubitet, quomodo se in vovendo habuerit, debet tutiorem viam eligere, ne se discrimini committat.* Antoine loc. cit.

Q. Quid de dubio possessionis?

R. 1. Qui cum dubio, an res sit aliena, illam incipit quocumque titulo, sive oneroso, sive gratuito possidere, ut suum faciat (qui et possessor dubiae fidei antecedentis dicitur) peccat contra Justitiam; quia exponit se periculo possidendi, et retinendi rem alienam, invito rationabiliter domino si vero accipiat illam ex animo restituendi eam domino si eum inveniat post diligentem inquisitionem, quam exhibere proponit, non peccat accipiendo, quia nullam domino irrogat injuriam. Antoine de justit. et jure cap. 5. q. 20.

2. Qui incipit rem possidere dubia fide, si post diligentem inquisitionem, quam ex justitia praestare tenetur, sibi probabilius videtur res esse eliena, tenetur eam simul cum fructibus restituere domino, si appareat; aliter pauperibus, quia non potest prudenter praesumi, esse suam. At si aequaliter probabile appareat, rem esse alienam, et non esse; pro medietate restituere eam tenetur domino, si notus sit vel pauperibus, si ignoretur; quia paria sunt jura possessoris, et domini, de quo dubitatur; et possessio dubia fide incepta nihil possessori confert. Idem.

3. Si res sit in manu alterius, et aliquis dubitat, an sit sua non potest illam praeripere, et si praeripit, peccat, tenetur eam restituere, et damna compensare, quia in dubio potior erat conditio possessoris bonae fidei, adeoque et injuriam intulit. Idem.

4. Qui de re adhuc a se possessa bona fide, incipit dubitare, utrum sit aliena (qui et possessor dubiae fidei consequentis dicitur) tenetur ex justitia diligentiam adhibere, pro rei veritate adquirenda, ne exponatur periculo

retinendi rem alienam injuste, quod si ex praemissa inquisitione, longe probabilius appareat, rem esse alienam, tenetur illam restituere, quia probabilitas longe major possessionem vincit,et parit certitudinem moralem quod res sit aliena, et proinde domino restituenda. At si aeque probabile appareat, et proinde dubium sit, quod sit sua, et quod sit aliena; tunc potest retinere, quia in pari caussa melior est conditio possessoris; et possessio dubium tollit. Antoine loco citato.

Q. Possessor dubiae fidei consequentis potestne vendere, vel consumere rem, quam dubitat, esse alienam?

R. Maxime: modo animo paratus sit pretium restituere domino comparenti, et vendendo rem, emptorem moneat de illo dubio, quod vitium occultum reputatur: sic enim agendo, nulli injuriam infert. Idem.

Q. Quid si possessor dubiae fidei consequentis diligenter veritatem inquirere, et dubium deponere omittat?

R. Peccat juxta materiae quantitatem; et domino postea certe cognito tenetur non solum rem restituere, sed etiam fructus, et damna ei illata compensare ex illo die, quo dubitare coepit, quia ex tunc coepit: esse possessor malae fidei, et domino injuriam intulit, omittendo veritatis inquisitionem. Imo si ex omissione illius diligentiae, amplius non potest scire, an revera res sit sua, vel aliena: tenetur eam pro ratione dubii restituere; nam negligentia sua injuriam intulit ei, de quo dubitatur, an sit dominus. Idem.

Q. Quid si quis rem a nemine possessam occupat, dubitans, an sit aliena, vel nullius?

R. Si post diligentem inquisitionem, adhuc dubium perseverat; pro medietate restituenda est; nam possessio cum dubio capta nihil facit meliorem possessoris conditionem; ac illius, de quo dubitatur; unde paria sunt jura circa rem. Idem.

Q. Quid si quis certus de debito suo, dubitat, an illud persolverit?

R. Tenetur integrum persolvere debitum, sive debitum ex contractu ortum sit, sive ex delicto; quia debitum certum non extinguitur per solutionem incertam, cum non servetur aequalitas, et possessio, atque praesumptio stat pro debito. Idem, et Layman. de legib. cap. 20. num. 50.

Q. Possessor dubiae fidei potestne tempore inquisitionis uti re, de qua dubitat?

R. Si res est usu consumptibilis, uti non potest, nam aliter frustra diligentia adhiberetur quia quid restitueret, si dominum inveniret? Si vero res non est usu consumptibilis, si potest uti tali re, dummodo paratus sit solvere dómino, cum invenerit, pretium usus, deductis expensis; ita enim nullam domino injuriam infert.

Q. Quid de dubio circa matrimonium?

R. 1. Qui dubitat, se aliquo impedimento dirimente esse irritum, nullatenus potest matrimonium contrahere, et si contrahat, non deposito dubio per diligentem veritatis inquisitionem peccat moraliter 1. contra Religionem, cui infert injuriam, exponendo Sacramentum periculo nullitatis: 2. peccat contra justitiam, si alter conjux sistat in bona fide quia ei infert injuriam, exponendo contractum matrimonii periculo nullitatis, et proinde laedendi ejus honestatem, et decorem: 3. contra Castitatem, exponendo se periculo consumandi matrimonium nullum, ac proinde fornicandi.

2. Qui cum dubio de impedimento dirimente contraxit matrimonium, intra bimestre non potest petere, neque reddere debitum matrimonii. Non potest petere, quia ratione dubii, non habet jus petendi, ne se exponat periculo fornicationis: non potest reddere, quia altera pars, licet existat in bona fide, attamen intra bimestre, si matrimonium adhuc non est consumatum, non habet jus petendi, ut ex Cap. *Ex publico*, de Convers. Conjugat. putat Sanchez cum plurimis lib. 2. disp. 24, quaest. 5. Post bimestre autem, si adhuc dubium perseverat, non potest petere debitum, quia non habet jus petendi ratione dubii, at tenetur reddere debitum alteri Conjugi in bona fide existenti, quia haec habet jus petendi ex Cap. *Dominus* de secundis Nuptiis. Quod si uterque Conjux tempore contractionis matrimonii dubitabat, dubio permanente, tam intra, quam post bimestre, uterque non potest petere, neque reddere debitum conjugale ad evitandum fornicationis periculum; sed debet impetrari dispensatio.

Q. Quid si quis contraxit bona fide matrimonium, sed postea in dubium incidit de valore illius?

R. Hic tenetur diligentiam adhibere ad dubium deponendum, aliter peccat ratione periculi fornicationis, cui se exponit. Tempore investigationis non potest petere debitum ratione dubii; sed tenetur illud reddere alteri conjugi in bona fide existenti, nam haec possidet jus petendi. At si uterque conjux tali dubio laboret; debitum neque peti hoc tempore, neque reddi potest, quia ob periculum fornicationis uterque tali jure privatus est. Quod si post diligentem inquisitionem; adhuc dubium perseverat, tunc debitum et peti, et reddi potest, quia dubium superveniens bonae fidei obesse non debet.

Q. Quid si inquirendo, inveniat matrimonium revera fuisse nullum, sed altera pars existit in bona fide?

R. Conjux, qui veritatem novit, non potest reddere debitum conjugi petenti, licet in bona fide existat; quia talis copula esset vera fornicatio, quae est intrinsece mala, et nullo modo cohonestari potest, etiam si immineat periculum mortis, infamiae, jacturae bonorum; vel compellatur a Superioribus sub gravissima poena excommunicationis etc. cap. 44. *inquistioni*, de sent. excomm. et ex cap. *litteras*, de restitutione spoliator.

Q. Qui dubitat, se incurrisse censuram, teneturne se gerere uti censuratum, donec dubium prudenter deposuerit, aut a censura fuerit absolutus?

R. Maxime; qualecumque sit dubium sive juris; sive facti: ex cap. *illud dominus*, de cleric. excom. minist., et ratio est, qui aliter se exponit periculo violandi censuram. Quare, qui hujusmodi habet dubium, tenetur sibi absolutionem procurare, antequam Sacramenta recipiat; vel ministret; aut illa peragat, quae scit censurato esse prohibita. Verum sufficit in tali casu absolutio Episcopi, etiamsi dubitetur de censura Summi Pontificis; quia sicuti votum reservatum desinit esse tale, quando dubitatur de eo, sic et censura reservata desinit esse talis; quando dubitatur de ea. Collet. t. 1. fol. 504. Antoine de censuris fol. 165.

Hinc inferas, quod gerendus est uti censuratus, quando quis fuit censura irretitus, sed dubitat, an Superior censuram tulerit animo ligandi, vel terrendi; vel dubitat an a censura fuerit absolutus a legitimo Superiore, vel dubitat de justitia, vel num legitimo tempore appellaverit. Antoine loco citato.

Q. Estne habendus uti irregularis ille, qui de irregularitate dubitat?

R. Ille, qui dubitat de irregularitate, debet primo adhibere diligentiam ad dubium deponendum, et tempore investigationis debet se gerere uti irregularem, ne exponatur periculo violandi irregularitatem; quod esset peccatum grave, uti patet ex cap. *Illud Dominus* citato. Si autem, diligentia adhibita, adhuc dubium perseverat; si dubium est juris, non est gerendus uti irregularis. Nam irregularitas non contrahitur, nisi in jure sit expressa ex cap *Is qui*, de sent. excum. in 6. At si dubium est facti, excepto facto homicidii, nec etiam censendus est irregularis; quia, cum irregularitas sit quid odiosum, restringi debet ad casus in jure expressos. In jure autem non est expressum, quod irregularitas contrahatur pro facto dubio, excepto solum homicidio. Dixi, *excepto homicidio;* quia si quis de eo dubitat, irregularis censendus est in utroque foro, ut ex cap. *Ad Audientiam*, et ex cap. *Significasti*, de homicid. Collet 1. 2. fol. 522. Licet Antoine fol. 210. t. 6. contrarium sentiat.

Quare ex his dicendum est primo, quod si quis cum dubio juris, vel facti de irregularitate (excepto homicidio) nulla adhibita diligentia, ordines suscepit, licet graviter peccaverit, nihilominus, si postea adhibeat diligentiam, et adhuc in dubio remaneat, poterit in Ordinibus ministrare, quia non est reputandus irregularis. Collet. ibid.

2. Si aliquis qui abortum molitus est, dubitet, an foetus erat animatus, vel non, aut qui dedit mandatum, vel consilium ad inferendam alteri mortem, dubitat, an efficaciter influxerit in illam; aut qui dubitat, an in venatione hominem occiderit, vel feram; aut Medicus, qui rationabiliter dubitet, an aegrotus mortuus sit ex sua imperitia, et negligentia, an ex morbo etc. irregularis est censendus; quia in his casibus dubium versatur circa homicidium. Collet ibid.

Q. Peccatum dubium estne censendum reservatum?

R. Si dubium est juris, scilicet, num hoc peccatum sit necne reservatum, peccatum reservatum censendum est; nam hoc dubium significat dubiam potestatem absolvendi in Confessario; cum potestate autem dubia Confessarius non potest absolvere, ne exponat Sacramentum Poenitentiae periculo nullitatis. Eruitur etiam ex decreto Clementis VIII. edito anno 1604. ubi prohibetur omnibus Confessariis etiam privilegiatis in Italia degentibus: *Ne quis eorum sub praetextu privilegiorum, ab ullo ex casibus clare, vel dubie, et quomodocumque Sedi Apostolicae reservatis, vel reservandis absolvat.*

Si autem dubium est facti, num scilicet peccatum reservatum commissum, necne, sit peccatum hoc non censetur reservatum; quia reservatio, cum sit odiosa, est restringenda ad casus certos. Hinc si quis commisit peccatum reservatione affectum, at dubitat an cum plena advertentia, vel cum sufficienti consensu illud commisit, et id plane constat Confessario, a simplici Confessario absolvi potest, quia agitur de dubio facti. Antoine de poenit. fol. 285.

Q. Poenitens absolutus a dubio reservato per simplicem Confessarium, teneturne denuo confiteri illud apud Confessarium habentem facultatem, si certo deprehendat, fuisse peccatum illud reservatum?

R. Licet aliqui negent; probabilius tamen affirmant plurimi; quia sicut qui confitetur peccatum uti dubium, tenetur denuo illud confiteri, si depre-

hendat postea, illud certo fuisse commissum: ita et ille, qui confitetur peccatum dubie reservatum, tenetur denuo illud confiteri ei, qui habet facultatem; nam licet fuerit absolutus, non tamen fuit sibi, ut par erat, imposita satisfactio, et facta commonitio; quare ut haec sibi fiant pro mensura sui sceleris, tenetur denuo ad habentem facultatem adire. Ciera fol. 19.

ADDITAMENTA EX S. LIGORIO (1)

DE CONSCIENTIA DUBIA

—

Dicimus I. nunquam esse licitum cum conscientia practice dubia operari, et casu, quo aliquis operetur, peccat, et quidem peccato ejusdem speciei, et gravitatis, de quo dubitat, quia qui se exponit periculo peccandi, jam peccat juxta illud: *qui amat periculum in illo peribit:* Eccl. 3. 21. Quare si dubitat an illud sit mortale, mortaliter peccat.

Quid si sciat quis aliquid esse malum, sed dubitat an si mortale, aut veniale, et cum tali dubio operetur? Alii censent hunc peccare graviter, prout in specie objectum peccati est grave, aut leve. Ita *Vasq. Sanch.* etc. Alii cum *Azor. Bonac.*, *Castrop.* etc. putant semper peccare graviter. Alii tandem cum *Navar. Granad*; et aliis plurimis satis probabiliter tenent tantum venialiter peccare, si homo ille minime advertit, nec etiam in confuso ad periculum graviter peccandi, neque ad obligationem rem examinandi, et modo objectum non sit certe per se peccatum grave: adderem modo etiam homo sit timoratae conscientiae.

Qui igitur est practice dubius circa aliquam actionem, debet utique prius dubium deponere per principium certum, vel reflexum de honestate actionis illius, modo homo ille sit sufficiens ad formandam sibi conscientiam practice certam, et deinde potest operari. Si vero insufficiens sit (puta quia rudis), tenetur Parochum, aut Confessarium, vel alium pium, ac doctum consulere, et juxta consilium agere. Qui vero dubius esset, sed omnibus ponderatis adverteret dubium esse inane, hic bene potest (ut recte scribit *Continuator Tournely Tom. 1. Tract. de Act. hum.* c. 3. art. 4. *de Cons. dub.*) dubium suum deponere sine alia reflexione, et sic actionem exequi, tunc enim si malitia illius ignoratur, ignorantia illa est omnino involuntaria, utpote quae studio superari non potest; prout alias Angelicus.

Dicimus. II. Licitum esse operari cum conscientia *speculative* dubia semper ac operans per alias rationes, sive principia reflexa judicat *practice* actionem suam esse moraliter honestam. Aliae enim (ut sapienter ratiocinatur Abelly (sunt rationes, quibus judicamus de rei veritate, nempe de pro-

(1) Theol. Mor. Cap. 11. de Cons. dub. § 22. et seq.

babilitate, sive de dubietate alicujus opinionis, v. g. quod bellum hoc sit probabiliter,an aut dubie justum aliae, quibus judicamus de honestate actionis, scilicet quod in hoc bello imperante Principe, liceat subdito praeliari juxta doctrinam S. Aug. supra allatam *in cit. can. quid culpatur.* Quod autem ex principiis reflexis possit bene formari conscientia moraliter certa de honestate actionis, clare patebit infra ex systemate morali, quod in fine hujus Tractatus afferemus.

Horum principiorum principalissimum est illud quod *lex dubia non potest certam inducere obligationem.* Veritas bujus principii (quod non negatur neque ab ipsis rigidae sententiae fautoribus) evidenter in systemate mox enunciato probabitur. Vide ibi dicenda. Ex hoc autem primo efformatur secundum illud principium *melior est conditio possidentis.* Quoties enim lex dubia minime ligat hominem, homo utique remanet solutus, et liber ab obligatione legis, eoque casu licite potest uti sua libertate, quam vere possidet cum lex est dubia: ait enim S. Thomas: *Illud dicitur licitum, quod nulla lege prohibetur. In 4. Sent. Dist. 15. q. 2. art. 4. ad 2.* Hoc autem secundum principium licet aliqui illud infirmare conentur, dicentes quod valet tantum pro foro, vel tantum in materia justitiae, ego tamen nescio, quomodo in omnibus negari possit. Quaestio tantum esse potest an in quolibet dubio morali possideat lex, aut libertas. Antiprobabilistae dicunt semper legem possidere, nos vero dicimus aliquando possidere legem, aliquando libertatem, nempe cum lex non est adhuc promulgata. Haec (dico) quaestio est, sed nemo negare potest principium meliorem semper esse possidentis conditionem. Casu igitur, quo possidet lex, pro ea standum est, si vero possidet libertas, standum pro libertate. Ad dignoscendum autem pro qua parte in dubiis stet possessio, videndum pro qua stet praesumptio. Praesumptio vero stat pro ea parte, quae non tenetur ipsa factum probare, sed onus probandi illud transfert in alteram: *factum enim non praesumitur, nisi probetur:* quod est aliud principium approbatum a *l. 2. de probat.* In dubio igitur factum non praesumitur, sed est probandum. Si vero factum est certum, puta si matrimonium certe est initum, et dubitatur an rite initum sit, aliud principium servari debet: *in dubio omne factum praesumitur recte factum,* sive *in dubio praesumitur factum quod de jure faciendum erat,* sive *standum pro valore actus.*

Ex praefatis infertur. 1. Quod si lex est dubie condita, vel dubie promulgata, non obligat, quia possessio non stat pro ipsa, sed pro libertate. Item dicendum si dubitatur an in lege promulgata comprehendatur, vel ne aliquod onus: tunc enim non tenemur illud implere, quia pro alia parte, de qua lex est dubia, lex non possidet. Contra vero si lex est certe condita, et certe promulgata, et inde oritur dubium, an sit abrogata, vel revocata, aut dispensata, est observanda, quia tunc ipsa possidet. Sic etiam in dubio an lex per se juxta fuerit acceptata, etiam observari debet, quia praesumendum est eam fuisse receptam ex illo alio principio: *in dubio praesumitur factum quod de jure faciendum erat.*

Infertur 2. Id quod de lege dictum est, dicendum esse etiam de voto; votum enim est instar legis particularis, quam homo sibi imponit. Hinc si quis dubitat an emiserit votum, non tenetur illud implere ut communiter docent *Cabassut. Theoric. Jur. l. 1. c. 8. n. 19. Suar. in 3. p. Disp. 40. sect.*

5. n. 15. aliique. Sic pariter qui dubitat an in voto emisso comprehendatur aliquid, vel non, non tenetur ad votum quoad partem, de qua dubitat: pro illa enim parte votum non possidet, ut habetur *ex Cap. Ex parte 18. de Censibus,* ubi cum aliqui quaedam vota emisissent, et postea dubitarent an tenerentur ad majus, vel ad minus promissionis factae, sancitum fuit teneri eos tantum ad minus, ideoque notat ibi Glossa: *In dubiis liberum est sequi quod magis placuerit.* Contra vero si quis est certus de voto, et dubitat de satisfactione, tenetur quidem ad votum, quia tunc votum possidet.

Dicunt tamen plures Auctores quod si quis probabiliter judicat jam votō satisfecisse, an teneatur hoc non obstante illud implere? Negant plures AA., nempe *Roncag. de Praec. Dec. c. 2. de Voto q. 4. Salm. eod. tit. c. 1. n. 145. cum Laym. Lugo de Poenit. Disp. 16. n. 61*; et alii, quia (ut ajunt) cum obligatio legis eo casu sit dubia, fit dubia etiam legis possessio. Olim probabilem hanc opinionem putavi, ductus magis a probabilitate extrinseca, quam intrinseca, sed re melius perpensa, nunc minime illam probabilem censeo. Hinc oppositam dico tenendam cum *Concina tom. 3. Diss. 2. de Voto c. 4. n. 10. Antoine de Relig. c. 3. de Voto q. 5. Fill. Leandr; et aliis.* Ratio quia cum votum est dubie emissum, recte dicitur non adesse obligationem illud adimplendi, tunc enim possidet libertas: cum tamen votum est certum, libertas haec ligata remanet ab obligatione voti, donec votum certe non sit impletum. Tum tantum prima sententia admitti posset, cum probabilitas esset talis quod praesumere faceret quadam certitudine morali voto jam fuisse satisfactum. Quod autem diximus de voto, intelligendum est etiam de satisfactione poenitentiae sacramentalis.

Si quis autem votum emisisset, et postea opus promissum jam praestitisset, immemor tamen obligationis ex voto contractae, valde probabiliter non tenetur opus illud iterum praestare, ut docent *Suarez de Rel. l. 4. c. 26. n. 8. Laym. l. 1. t. 4. c. 3. n. 7. Sanch. Dec. lib. 1. c. 13. n. 10. Bonac. de Leg. q. 1. p. 10. n. 13 cum Azor. Less.*, et aliis communiter. Hoc autem procedit semper ac votum certe judicare potest, quod si memor voti fuisset, pro illius satisfactione applicasset opus illud, quod utique communiter praesumendum est: quisque enim generalem voluntatem habet prius oneri ex obligatione debito faciendi satis, proinde opera supererogationis addendi.

Infertur 3. quod subditus, quamvis non teneatur praestare obedientiam Superiori praecipienti in eis, quae sunt certe illicita, tenetur vero in iis, de quibus dubium est an sint licita, vel ne: quia in dubiis standum est pro Superiore possidente jubendi potestatem, qua in dubio expoliari nequit: ita communiter *Cajet. q. 169. art. 2. ad 4. Contin. Tournely t. 3. pag. 89. q. 5. R. 2; et alii plures cum S. Antonin. S. Bonav. Cabassut.* etc. Limitant vero *Sotus; Tournely, Less. Sanch. Salmant.* et communissime quoties res praecepta esset valde difficilis, et molesta, nempe si subditus obediendo deberet se, vel alterum exponere periculo gravis damni spiritualis, vel temporalis.

Infertur 4. quod adolescens dubitans an vigesimum primum annum expleverit, non tenetur ad jejunium. Dubitans vero an pervenerit ad annum sexagesimum, quo completo, probabiliter homo deobbligatur a jejunio tenetur ad jejunium, quia tunc possidet jejunii praeceptum. Idem dicendum

de eo, qui dubitat de aetate requisita ad sacrum Ordinem, vel Beneficium suscipiendum; tunc enim stat possessio pro praecepto. Idemque dicendum de eo, qui est in Sabbato, et dubitet, an transierit hora mediae noctis: tunc enim nequit vesci carnibus, cum adhuc possidet praecepti abstinentia. Secus vero si quis dubitat de hoc in feria quinta quia tunc post adhibitam diligentiam licite potest edere carnes, cum adhuc possideat libertas. Ita *Laym. l. 1. c. 4. n. 35. Sanch. de Matr. Dis. p. 40; et 41. et* alii plures:

Infertur 5. quod si post matrimonium bona fide contractum supervenit dubium de valore illius ante inquisitionem veritatis dubitans non potest petere, sed tenetur reddere, *ex cap. Dominus de sec. nupt.* quia conjux dubium ignorans adhuc possidet jus petendi. Post vero inquisitionem dubitans potest etiam petere, ut probabilius tenent Soto, Habert. Roncaglia etc.

Infertur 6. quod certus de debito, et dubius de solutione, tenetur solvere, ut communiter docent *Suar. Vasq. et alii.* Casu vero, quo etiam creditor de suo jure dubitaret, censet. *Laym. l. 1. tr. 1. c. 2. Diana p. 4. tr. 3. R. 35; et Sporer de Consc. cap. 1. 4. 85. cum Tamburin.* debitorem teneri tantum ad partem pro rata dubii. Subdit tamen *Layman* quod auderet condemnare creditorem, si totum exigeret.

Sed hic quaeritur I. An possessor bonae fidei superveniente dubio, teneatur aliquid pro rata dubii restituere? Si dubium est aequale pro, et contra, communis est sententia cum *Sanch. in Dec. l. 1. c. 10. n. 9* adversus paucos, possessorem ad nihil teneri *ex Reg. 65. de Reg. Jur. in VI; ubi legitur; In pari casu melior est conditio possidentis. Et Reg. 128. In pari caussa possessor potior haberi debet.* Sed quid si rationes contra possessores sint validiores? Prima sententia dicit, quod licet ipse babeat rationem probabilem pro se, tenetur tamen in eo casu ad restitutionem pro rata illius majoris propensionis, quia conditio possidentis est quidem melior in pari, non autem in dubio inaequali. *Ita Sanch. de Matr. l. 2. D. 41. n. 19. cum. Com. Val; et Led* apud *Salm. de Rest. c. 1. n. 67.* Secunda tamen communior, et probabilior sententia docet ad nihil eum teneri, nisi moraliter constet rem esse alienam. *Ita Palaus tr. 1. D. 3. p. 2. n. 11. Lugo D. 17. 93. S. Aug. lib. de Fide, et Op. c. 7. relato in can. Si Virgo* 34. *q. 1; qui* ait: *Possessor rectissime dicitur quamdiu se possidere ignorat alienum.* Dum autem certo non constat ait *Sporer* rem esse alienam, tamdiu possessor ignorat se possidere alienum. Ratio praecipua hujus seutentiae est, quia per possessionem bonae fidei adquiritur verum jus, possessio enim a Juristis sic definitur; *Jus insistendi in re non prohibita possideri.* Quapropter dominium rei, donec dubium est, possessor retinet jus insistendi, ita tamen, ut ante diligentiam adhibendam ad veritatem assequendam, ipse teneatur rem servare: at post diligentiam, et veritate non assequuta, potest illam consumere, et etiam alienare, admonito rerum emptore de dubio vertente super re. Et propter hanc potissimam rationem *Sanch. Dec. dict. n. 9.* mutavit sententiam alibi defensam, et secundam est secutus. Cardinalis etiam *Sfondratus* in *Reg. Sac. 1. §. 20. n. 11.* dicit non esse procedendum contra possessorem, nisi ex certitudine. Hinc parum probabile videtur id quod hic addit *Roncaglia lib. 1. c. 2. q. 3. A. 2.* nempe quod si rationes possidenti faventes sint tantum tenuiter probabiles, tunc ipse teneatur rem restituere, saltem quoad majo-

rem partem; nam si contra possessorem rationes sint taliter probabilissimae, ut dent contra ipsum moralem certitudinem, tunc ipse tenetur totam rem restituere: si autem secus, ad nihil tenetur.

Quaeritur II. Quid si contra possessorem adsit ratio probabilis, et nulla pro ipso? Prima sententia tenet quod si ratio illa probabilis generat assensum opinativum unicum quod res sit aliena; ita ut possessor nullum habeat assensum quod res sit sua, tunc tenetur restituere. Secus si adhuc probabiliter putaret rem esse suam. Ita *Sanch. Dec. l. 1. c. 10. n. 9.* citans *Vasque Palaus tom.* 1. *tr. 1. Disp. 3. p.* 2. *Renzi de* 7. *Praecep. c. 3. Sect.* 2. *q.* 15. *Tamb. Dec. lib. 1. c. 3.* 5. 7. *verb. Restitutio n.* 7, *Viva opusc. de Consc. dub. qu. 2. art. 1. n. 8. in fin.*, ubi dicit quod cum possessor habet rationem probabilem contra, et nullam pro se, tunc habet moralem certitudinem quod res sit aliena. *Secunda* sententia, quam tenet *Salar 1. 2. q. 21. tr. 8. Disp. unic. Sect. 23. n. 231.* dicit quod adhuc quando rationes pro contraria parte assensum generant, modo non convincant, nec assensus sit certus moraliter, sed mere opinativus includens formidinem, quae necessario in opinione includitur, tum possessor potest rem retinere, quia possessio praeponderat omnibus rationibus non convincentibus.

Praefatae opiniones videntur sic posse conciliari. Certum est quod legitima possessio cuique tribuit jus certum rem retinendi, donec non constet de jure alterius, ut dicunt communissime *Palaus Laym. Sporer, et alii cit.* ut sup. cum *Croix dicto* n. 563. Et ipse *Viva loc. cit.* id concedit dicens quod *possessio bonae fidei parit jus certum quod praevalere debet juri probabili, et non moraliter certo alterius.* Ratio est quia possessio legitima fundat de se praesumptionem certam de justitia possessoris, ut dicunt *Wigandt. Exam. 3. de Consc., et Lugo de just. D. 17. n. 94.* Ergo etiamsi adsit judicium probabile contra possessorem, et nulla probabilitas illi assistat, adest tamen praesumptio orta ab ipsa possessione, quae tribuit ei jus certum, quod nequit superari nisi a jure certo alterius per rationes certas convincentes.

Quapropter prima sententia dicens quod possessor teneatur restituere quando habet assensum opinativum contrarium, et nullum pro se, sane est intelligenda quando possessio esset ex aliqua parte infirma, utpote dubia, vel incoepta cum dubia fide, ita ut nulla legitima praesumptio ex ea oriri videatur pro possessore; tunc enim vere nulla probabilitas ipsi assisteret, unicumque judicium opinativum tunc ipse haberet rem esse alienam. Secus vero si haberet possessionem certam, ac legitimam bonae fidei, quia tunc sola possessio, etiamsi nulla alia ratio ei suffragaretur, praeberet illi jus certum, quod superari non potest, nisi a rationibus certis oppositis non autem ab opinione probabili, quae necessario formidinem includit. Et hoc clare innuit *Lugo citata D. 17.* n. 94; ubi ait possessionem de se parere praesumptionem praevalentem pro possessore, ne ipse sit privandus, donec non constet de jure alterius per probationem superantem praesumptionem possessionis. Unde recte concludit *Croix lib. 1. n. 501.* quod licet pro possessore non sit probabile argumentum, si tamen pro petitore non sit argumentum, nisi probabile, possessor adhuc licite retinet, quia possessio est jus certum retinendi, contra quod non praevalet, nisi certitudo. Hoc idem dicetur pariter de matrimonio probabiliter nullo.

Quaeritur III. Quid si possessor bonae fidei, dubio superveniente, negligat culpabiliter diligentiam adhibere, sed postea non possit verus dominus amplius adinveniri? *La-Croix lib. 3. p. 2. n. 564. Ronc. l. cit.*, et *Salm. n. 64. cum Sanch. Less.* etc. dicunt tunc possessorem teneri rem restituere pro rata dubii. Contra vero *Palaus. tom. 1. tr. 1. D. 3. p. 2. n 9. Bonac. de Contr. D. 1. q. 2. p. 2. n. 8. Tamb. de Consc. c. 3. v. Restitutio n. 9. cum Dian. et Reb.* probabile putant quod possessor, quamvis peccarit mortaliter, diligentiam omittendo, tunc tamen ad nihil tenetur cum ex una parte damnum illatum sit dubium, et ex alia jus possessionis bona fide adquisitum ipse adhuc retineat. Verius autem censeo dicendum quod talis possessor teneatur aliquid restituere (vel domino, vel pauperibus, si dominus sit incertus). Ratio est, quia cum ipse culpabiliter dominum privarit spe, quam dominus ad rem habere poterat, et illa spes erat quidem pretio aestimabilis, jam damnum certum est illatum domino, qui spem illam etiam certe possidebat. Puto tamen non esse faciendam restitutionem pro quantitate dubii ita ut si rationes ex utraque parte essent aequales, res, sive ejus pretium pro medietate sit restituendum, sed minus, et forte valde minus; quia illa spes domini non poterat aestimare pro medietate valoris rei, sed multo minoris, stante aequali probabilitate rationis ex una parte, et certo jure possessionis ex alia, quae possessori favebat; et adhuc favet; possessio enim rei nullo quidem majoris aestimatur, quam possessio spei.

Notat autem *1. Tamb. l. c. n. 7. cum Villal;* et aliis, quod si possessor incipiat dubitare per rationes probabiles, tenetur quidem inquirere veritatem, secus vero si dubitaret per rationes tantum tenues. Notat *II. Croix l. 3. p. 2. n. 562. cum. Vasq. Laym. Pal. Sanch. Mol.* etc. et non improbabile putat *Ronc.* d. q. 3. n 1. quod cum possessor (etiam qui cum dubio incoeperit possidere) rem habuerit a possessore bonae fidei, si postea diligentia fit impossibilis, nihil tenetur restituere; ipse enim in omne jus illius legitime tunc succedit.

§. IV. *De Conscientia perplexa, et scrupulosa*

Q. Quid est Conscientia perplexa?

R. Est judicium mentis practicum, quod dictat, utrique contradictionis parti inesse peccatum, nempe sive actio fiat, sive omittatur: sive hoc fiat[1], sive aliud; v. g. dictat, esse peccatum sive surripiatur aliquid ad proximum sublevandum, sive non surripiatur, sive Judici interrogandi veritas dicatur, sive mendacium.

Q. Ad quid tenetur qui laborat Conscientia perplexa?

R. Tenetur illam deponere, si oriatur ex errore vincibili, aliter peccat, quia voluntarie inclinat ad peccatum tam agendo, quam non agendo; potest enim errorem removere, ac proinde peccatum, et non vult. At tenetur prudenter eam deponere non secus ac Conscientiam erroneam vincibilem. Si vero oriatur ex errore invincibili, et deponi non possit, debet eligere illud, quod minus malum sibi videtur, post quam a Deo per preces lumen postulaverit ad agendum, uti ex Canone *Duo mala* dist. 23. Si vero utrumque sibi aequale malum videatur, potest eligere alterutrum sine peccato, quia caret libertate ad peccatum requisita. Antoine, Ligorius, Stampò.

Q. Quid est Conscientia scrupulosa?

R. Est actus mentis, quo suspicatur ex levibus, ac inanibus rationibus animum irrationabiliter agentibus, peccatum inesse, ubi revera non adest. Haec conscientia opponitur Conscientiae latae, sive laxae, quae ex levi fundamento judicat, aliquid hic, et nunc esse licitum, et proinde posse fieri. Differt etiam a Conscientia probabili, quia haec nititur gravi fundamento, illa vero levi fundamento, vel nulli. Differt denique a dubio, quia hoc suspendit judicium, non autem illa: Antoine, Stampò.

Q. Quaenam sunt signa Conscientiae scrupulosae?

R. Plura sunt: nempe pertinacia, in suo judicio, quatenus diversos Sapientes consulens, nullius judicio acquiescit; frequens judicii mutatio circa idem ex levi motivo; timor peccati in omnibus: efformatio reflexionum incongruarum, advertendo innumeras, et impertinentes circumstantias; et alia.

Q. Quaenam est origo scrupulorum?

R. Esse potest scrupulorum origo debilitas judicii, ac mentis inconstantia, frigiditas cerebri, et complexionis, melancholia, superbia, ignorantia, zelus indiscretus, pusillanimitas, conversatio cum scrupulosis, Daemonis tentatio, ut bonum spirituale scrupulosi impediat, Dei voluntas, quae scrupulosum ad sui bonum exercere vult; et alia, quae a Doctoribus afferuntur. Antoine, Mazzotta.

Q. Estne licitum agere contra scrupulum, etiam scrupulo non deposito?

R. Maxime, quia scrupulus non destruit judicium de honestate actionis antea efformatum, sed solum mentem obnubilat. Imo scrupulosus tenetur agere contra scrupulos, praesertim, cum accedit praeceptum Confessarii; nam scrupuli notabiliter nocent tum corpori, tum Animae. Neque hic doctrinae obstant aliqui Textus Canonici, qui objici possunt, uti Caput *Inquisitioni* 44. de Senten. Excom. Et caput *Per tuas* de Simon; quoniam hi Textus intelligendi sunt non de Conscientia scrupulosa, sed de conscientia erronea, vel dubia. Concinat. 2. lib. 2. de Conscient. Dissert. 1. cap. 8. n. 15.

Q. Quaenam sunt remedia contra scrupulos?

R. Plura sunt, inter quae humilitatis exercitium, fuga otii, preces ad Deum, fuga scrupulosorum, electio Confessarii probi, ac docti, et alia, quae videri possunt apud DD., et praesertim apud D. Antoninum 1. part. Summ. tit. 3. cap. 10. Antoine, Ligorius.

Q. Quomodo se gerere debet Confessarius cum scrupuloso?

R. Tenetur esse cum isto mitis, ac patiens, et ostendere se certum, et securum in judicando ejus actiones; debet exigere ab eo exactam obedientiam, et diligenter advertere, ex qua causa ejus scrupuli oriantur, ut salutaria adhibeat remedia ei. Videatur D. Antonin. loc. citat. Antoine, Ligor. Et haec de Conscientia (1).

(1) Postquam Confessarius ex signis jam perceperit poenitentem esse scrupulosum, praescribat ei haec remedia 1. ut valde humilitatem colat: saepe enim scrupuli ex superbiae vita ortum habent 2. ut caveat a lectione librorum scrupulos excitantium, et scrupulosorum conversationem evitet 3. ne diu moretur in examine conscientiae, praesertim circa ea, in quibus magis vexatur 4. ut fugiat otium, ex

TRACTATUS III.

DE LEGIBUS

Cum jam proxima humanorum actuum regula, quae conscientia est, jam explicata fuerit, postulat recta ratio, ut alteram, quae, ut diximus, lex est, exponamus; quare sit:

CAPUT I.

De Lege in genere

Q. Undenam Lex dicta est?

R. Ex D. Isidoro lib. XI. Etymol. cap. 10. Lex dicitur a legendo, quia scribitur, et legenda populo proponitur Ex D. Augustino quaest. 20. in Leviticum a legendo, seu eligendo; quia quid de multis eligendum sit, per legem noscitur. Ex D. Thoma 1. 2. qu. 90. art. 1. a ligando, quia proprius effectus legis est ligare, seu obligare subditos ad sui adimpletionem.

Q. Quid est Lex?

R. Lex late sumpta est mensura agendorum, et sic accepta, leges suas dicuntur habere artes; imo et ipsa elementa, ut ex illo Proverb. cap. 8: *Legem ponebat aquis, ne transirent fines suos.* Stricte sumpta: est morum regula inducens subditos ad agendum, vel non agendum ob bonum commune, ab eo, qui curam Communitatis habet, promulgata.

Dicitur: *morum regula.* Lex enim ad mores dirigendos ordinâtur. Dicitur: *inducens subditos*; quia lex subditos obligat ad aliquid agendum, vel omittendum. Dicitur; *Ob bonum commune*; hoc est Communitatis; nam bonum Communitatis est essentialis finis legis. Dicitur: *Ab eo, qui curam habet etc.*, quia lex ferri non potest, nisi ab eo, qui superior est Communitatis, pro qua lex fertur. Quare pro condenda lege non sufficit potestas dominativa, seu oeconomica; uti est potestas patris in filios, viri in uxorem; neque potestas herilis, uti est potestas domini in servum, sed requiritur jurisdictionis potestas et quidem suprema. Dicitur denique: *Promulgata;* hoc est aliquo signo externo Communitati denuntiata. Cuniliati, Genet.

Q. Differtne Lex a Praecepto?

R. Maxime; nam lex semper fertur pro Communitate perfecta, ejusque commune bonum respicit; praeceptum vero datur uni, vel pluribus, et respicit plerumque bonum privatorum. Item lex fertur ab eo, qui habet jurisdictionem, praeceptum fertur etiam ab eo, qui jurisdictionem non ha-

quo saepe mens inanibus adprehensionibus impletur 5. ut instanter Deo se commendet, ad opem obtinendam parendi praeceptis sui Directoris: hoc enim super omnia praecipuum, immo unicum potest dici remedium hujusmodi infirmorum esse omnino adquiescere judicio sui Superioris, sive Confessarii, ut omnes docent Patres, Theologi, et spirituales Magistri. S. Lig. lib. 1. Theol. Mor. de cons. cap. 1. §. 12.

bet, sed tantum directionem. Praeterea lex est perpetua, quatenus respicit praesentes, et posteros, et durat post mortem legislatoris; praeceptum vero respicit praesentes, et exspirat morte, vel amotione praecipientis. Denique lex afficit locum, et proinde personas degentes in tali loco: praeceptum autem afficit tantum personas, quibus praeceptum edictum est.

Hinc nota; quod Communitas perfecta dicitur illa hominum societas, quae ex natura sua perpetua est, ac gubernationis politicae capax pro assecutione finis, ad quem instituta est; quaeque potest magistratus vel rectores instituere; subditos in ordine continere per poenas, ac dirimere lites per jura. Hujusmodi sunt Regnum, Provincia, Dioecesis, ordo Religiosus etc.

Q. Differtne lex a consilio?

R. Maxime: quia lex fit a superiore pro subditis suis, Consilium vero datur tum a Superiore, tum ab aequali, tum ab inferiore. Prima obligat ad aliquid: Secundum non obligat, sed tantum suadet aliquid ad bonum consulti. D. Thomas 1. 2. q. 108. art. 4. Besombes, Stampò, Genet, Habert.

Q. Quaenam sunt conditiones requisitae ad legem?

R. Sunt plures; quarum 1. est, ut sit honesta, seu ut honestum, et bonum statuat; nam finis legis est subditos ad bonum perducere, et virtuosos reddere. D. Thomas 1. 2. q. 96. art. 2.

2. Ut sit justa, tum ex fine, quando scilicet ordinatur ad bonum commune, tum ex Auctore, quando scilicet lex lata non excedit potestatem ferentis, tum ex forma, quando nempe secundum aequalitatem proportionis imponitur subditis obligatio in ordine ad bonum commune. D. Thomas loc. cit. art. 4. in corp.

3. Ut sit perpetua, hoc est, lata pro tempore indefinito, et semper duratura, nisi abrogetur, vel fiat noxia, aut inutilis, vel impossibilis.

4. Ut sit possibilis, nempe rem possibilem statuat; ad impossibilia enim nulla datur obligatio.

5. Ut sit utilis bono Communitatis, pro qua fertur, et denique, ut sit promulgata; quia non potest subditos dirigere, et ligare, nisi sit eis nota D. Thomas, 1. 2. q. 95. art. 3. et q. 96. art. 4. Antoine.

Q. Quinam sunt actus seu effectus legis?

R. Sunt ex D. Thoma loc. cit. q. 92. art. 2. Imperare, vetare, permittere, et punire; qui actus recensentur etiam in L. 7. ff. de legibus. Et sane, cum lex humanas dirigat actiones, hae vel sunt bonae, et circa eas versatur lex imperando; vel sunt malae, et circa eas versatur lex vetando, vel sunt indifferentes, aut parum bonae, vel malae, et circa eas versatur lex permittendo. Et quia multoties per impositionem poenae lex attentius observatur, ideo ultimus effectus ejus est punire. Salmanticenses de Legibus cap. 1. punct. 4.

Q. Ex diversitate horum actuum oriturne diversitas praecepti?

R. Maxime; nam si lex imperat, constituit praeceptum affirmativum, si autem vetat, constituit praeceptum negativum. Quae duo praecepta plurimum inter se differunt; nam praeceptum affirmativum obligat semper, sed non pro semper; hoc est obligat semper quamdiu durat, sed non pro omni tempore, sed solum pro aliquo tempore determinato. At praeceptum negativum, quia prohibet malum faciendum, semper, et pro semper obligat; nam malum semper est malum, et proinde semper vitandum. Praeterea prae-

ceptum affirmativum violatur per omissionem: praeceptum vero negativum per commissionem. Salmanticenses.

Q. Quotuplex est Lex?

R. Multiplex; nam vel est aeterna, vel naturalis, vel positiva. Positiva autem vel est Divina, vel humana. Genet.

CAPUT II.

De Lege Æterna

Q. Quid est lex aeterna?

R. Ex D. Augustino lib. XXII. contra Faust. cap. 27. *Est divina ratio, vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans:* Seu ratio divinae Sapientiae directiva omnium actuum, et motionum creaturarum in ordine ad bonum commune universi. D. Thomas. 1. 2. q. 93. art. 1. Concina Dissert. 2. de legib. cap. 12. Collet.

Q. Daturne haec Lex aeterna?

R. Maxime: et probatur ex D. Thoma, qui 1. 2. q. 91. art. 1. sic ait: *Cum tota Communitas universi gubernetur ratione divina, ideo ipsa ratio gubernationis rerum in Deo, sicut in Principe Universitatis existens, Legis habet rationem. Et quia divina ratio nihil concipit ex tempore, sed habet aeternum conceptum, inde est, quod hujusmodi legem oportet dicere aeternam.*

Q. Quosnam dirigit Lex aeterna?

R. Omnes creaturas: ut ex illo Sapient. 6. *Magnum, et pusillum ipse fecit, et ipsi cura est de omnibus*, et Psalm. 148. *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quae faciunt Verbum ejus.* Ubi nota quod Legi aeternae licet omnes creaturae subdantur, attamen non aequali modo; nam creaturae rationales subjacent huic legi, prout haec est praeceptiva, quia capaces sunt obligationis, et obedientiae proprie dictae. Creaturae autem irrationales subjacent eidem legi, prout haec est directiva; nam ex defectu rationis non sunt capaces obligationis, et praecepti, sed tantum directionis, quatenus Divina Sapientia constanter, et ordinate dirigit eas. Collet, Habert, Stampò.

Q. Omnisne Lex habet ortum a Lege aeterna?

R. Maxime, nam Lex vel est naturalis, et divina, et haec aliud non est nisi Legis aeternae notitia homini impressa. Vel est positiva humana, et haec etiam a Lege Dei aeterna justitiam, et obligandi potestatem accipit, juxta illud Proverb. cap. 8. *Per me Reges regnant, et legum conditores juxta decernunt.* Hinc Augustinus lib. 14. de Trinit. cap. 15. ait; *Ex libro lucis illius, qui veritas dicitur, omnis lex juxta describitur.* Vide D. Thomam 1. 2. q. 93. art. 3. Habert, Collet.

CAPUT III.

De Lege Naturali, et Gentium

Q. Quid est lex naturalis, et daturne in homine?

R. Lex naturalis est partecipatio, seu notitia legis aeternae humanae menti a Deo impressa, dictans ei quid bonum, et quid malum sit, atque proinde praescribens, quid ipse prosequi, et quid fugere teneatur. D. Thomas 1. 2. qu. art. 2. Habert de legib. Besombes, Genet. (1)

Haec lex in homine reperitur, ut ait D. Augustinus lib. 2. de Serm. Dom. in Monte: *Nulla est Anima, quantumvis perversa, quae tamen ullo modo ratiocinari potest, in cujus conscientia non loquatur Deus. Quis enim scripsit in cordibus hominum naturalem legem, nisi Deus? De qua lege Apostolus ait: cum enim gentes, quae legem non habent, naturaliter, quae legis sunt, faciunt, hi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis;* quare ex Psalm. 4. habetur: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Genet, cap. 1. qu. 4. de legib., ex D. Thoma 1. 2. q. 91. art. 2.

Q. Differtne lex naturalis a lege aeterna?

R. Maxime; quia etsi utraque lex rationem Divinae Sapientiae directivam omnium actionum, et motionum creaturae rationalis significet, attamen haec ratio prout est in Deo dirigente, dicitur lex aeterna; prout consideratur in creatura rationali, quae dirigitur, dicitur lex naturalis. D. Thomas loc. cit. Antoine.

Q. Differtne lex naturalis a Synderesi, et Conscientia?

R. Maxime; quia lex naturalis est generale dictamen nobis a Deo impressum de iis, quae agenda, vel non agenda sunt. Synderesis est habitus praebens nobis facilitatem cognoscendi, quid in genere moris bonum sit, et proinde faciendum; et quid malum sit, et proinde omittendum. Conscientia denique est actuale rationis practicae dictamen, quo legem casui particulari applicando, quid agendum, vel non agendum sit, hic, et nunc decernimus. Quare Conscientia variabilis est pro qualitate temporum, cognitionum, et affectuum: lex autem naturalis semper est eadem, sibique constans. Concina diss. 2. de leg. cap. 12. Stampò, Antoine.

Q. Lex naturalis obligatne homines?

R. Maxime, et est de fide; quia, cum haec lex nihil aliud contineat,

(1) Sapienter Tullius ad rem scripsit (Lib. 1. de Rep. III. apud Lactant. Instit. Div. Lib. IV. cap. 8) « Est quidem vera Lex recta ratio Naturae congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna, quae vocet ad officium jubendo, vetando a fraude deterreat. Huic Legi nec abrogari fas est, neque derogari ex hac aliquid licet, neque lata abrogari potest. Nec vero aut per Senatum, aut per populum solvi hac lege possumus. Neque est quaerendus explanator, aut interpres ejus alius. Nec erit alia Lex Romae, alia Athenis, alia nunc, alia posthac, sed et omnes gentes, et omni tempore una Lex, et sempiterna, et immutabilis continebit. Unusque erit communis quasi magister, et imperator omnium Deus. Ille Legis hujus inventor, disceptator, lator, cui qui non parebit, ipse se fugiet, ac naturam hominis adspernabitur. Hoc ipso luet maximas poenas, etiamsi cetera supplicia, quae putantur, effugerit.

nisi voluntatem Dei tali jure hominem dirigentis, sequitur ex hoc, quod homo, ut bene agat, huic directioni se conformare debeat. Hinc Apostolus ad Romanos cap. 1. ait: *Qui talia agunt* (scilicet contra legem naturalem) *digni sunt morte*. Et cap. 2. *Quicumque sine lege* (scilicet scripta) *peccaverunt*, *sine lege peribunt*. Sed quare peccaverunt? quia violaverunt utique legem naturalem. Genet. loc. cit.

Q. Lex naturalis ad quid obligat homines?

R. Ut honeste, et secundum rectam rationis normam officia sua, seu actiones suas dirigant, idest, ut ait Regius Vates Psalm. 33. *Declinent a malo*, *et faciant bonum*, nempe, cum deliberate agunt, bonum agant, hoc est, illud, quod moraliter bonum, et honestum est, et rectae rationi conforme, et illud evitent, quod moraliter malum est, et rectae rationi difforme. Obligat item ad ea, quae necessaria sunt ad bonum commune servandum, idest, quae ad Dei cultum, et adorationem attinent, quae ad vitam nostram recte custodiendam conducunt, et quae denique ad societatem humanam perficiendam necessaria sunt. Vide Concinam cit cap. 12. §. 8. et cap. 13. §. 10. Antoine loc. cit. Genet. loc. cit. quaest. 5.

Hic tamen nota, quod licet lex naturalis approbet omnes, et singulos actus virtutum, attamen non omnes et singulos virtutum actus praecipit singulis; plures enim sunt virtutum actus, qui etsi valde commendentur; non tamen praecipiuntur ut virginitas, voluntaria paupertas etc.

Q. Quotuplex est Jus naturae?

R. Permissivum nempe (quod et concessivum, et approbativum vocari solet) et praeceptivum. Primum est illud, quod per se non praecipit aliquid, vel vetat, aut irritat, sed tantum approbat, vel permittit aliquid fieri, vel aliter de eo statui. Hinc de Jure naturali permissivo sunt communio bonorum, hominis libertas, obligatio contractuum, voti, ac juramenti vinculum, reciproca liberorum, et parentum successio ac cetera quae, supposito hominum consensu, uti fundamento, a Jure naturali obligationem accipiunt. Secundum, seu praeceptivum est illud, quod praecipit ea, quae necessario praecipienda sunt, quia natura sua rectae rationi congruunt, et creaturam rationalem necessario docent; aut prohibet ea, quae sunt necessario probibenda, quatenus natura sua rectae rationi disconveniunt, atque creaturae rationali repugnant. Quare Jus naturale praeceptum est, quod jubet, *bonum esse amplectendum*; *malum fugiendum*; *Deum esse colendum; virtutes exercendas: justitiam servandam*. Et probibet odium Dei; perjurium; alienam injuriam; falsum testimonium; fornicationem; ebrietatem etc. Vide D. Thom. 1. 2. qu. 94. art. 5. Conc. de legibus cap. 14. §. 4. et 11. Antoine, Salmantic. aliosque.

Q. Jus naturale praeceptivum in quot classes dispescitur?

R. In tres; quarum prima continet universalissima principia, seu primaria, praecepta recte vivendi per se nota: v. g. quod justitia est servanda; honeste vivendum; non est faciendum alteri, quod quis sibi non vult fieri; Deus est colendus, etc. Secunda continet praecepta illa, quae tamquam conclusiones proximiores facillime, et immediate deducuntur ex primis principiis; uti sunt Decalogi praecepta. Tertia continet praecepta illa, quae uti conclusiones remotiores primorum principiorum per rectam ratiocinationem ex praeceptis Decalogi deducuntur, uti praeceptum non foe-

nerandi, quod deducitur ex praecepto Decalogi, *Non furtum facies*, quod immediate profluit ex illo principio universali, et per se noto: *Quod tibi non vis, alteri ne feceris*. Concina loc. cit. Stampò.

Q. Potestne Jus naturae mutari?

Nota, quod Juris naturae mutatio dupliciter fieri potest; proprie, scilicet, seu formaliter, et improprie, seu materialiter. Accidit primo modo mutatio, quando Jus naturae, quod prius homines ligabat,postea ligare cessat; quia noxium aut injustum, aut inutile factum est; aut a Legislatore Supremo abrogatum ob aliquam peculiarem caussam, quae antea non apparebat. Accidit secundo modo mutatio, quando juris naturae materia aliquam suscipit circumstantiam, vi cujus jus naturae non amplius praecipit aliquid, vel prohibet, quod prius praecipiebat, vel prohibebat, eo quia ex circumstantia addita id, quod erat materia juris naturae, cessat esse tale, atque haec mutatio fieri diciturper materiae subtractionem. Concina loc. cit., Layman lib. 3. sect. 5. cap. 5. de general. princip. juris quaest. 3.

R. Si Jus naturae est permissivum, potest mutari improprie, seu materialiter, quia potest occurrere circumstantia, sub qua tale jus non amplius approbet, quod antea permittebst, et proinde non amplius praecipiat, vel prohibeat illud, e. g. jus naturae permissivum approbat, et praecipit, depositum esse reddendum, at si adveniat circumstantia, quod Dominus depositum petat ad impugnandam Patriam, idem jus non amplius redditionem depositi approbat, sed reprehendit, quia ob additam circumstantiam rectae rationi adversatur.

Si autem Jus naturale est praeceptivum continens primaria praecepta, et universalissima recte vivendi principia, uti sunt: Deus est colendus, proximus diligendus, quod tibi non vis, alteri ne feceris, non mentiendum, non pejerandum, non calumniandum etc. invariabile est,et nullam patitur mutationem, et ita permanens est, ut semper, et in quocumque casu obliget,idem semper praecipiendo, idem semper prohibendo: partecipatio enim legis aeternae est, et proinde immutabilis. Praeterea actiones respicit, quae natura sua intrinsecam habent honestatem, vel intrinsecam turpitudinem, et ideo necessario, et semper sub lege cadunt. Genet.

Dixi; *continens primaria, et universalissima recte vivendi principia;* quia si continet secundaria, scilicet conclusiones, sive proximiores, sive remotiores,tale Jus potest aliquando quoad ista,subire mutationem tantum impropriam;quatenus materia istorum potest suscipere aliquam circumstantiam, ex qua Jus naturae non amplius praecipiat, vel prohibeat illud, quod, ante circumstantiae occursum, praecipiebat, vel prohibebat: e. g. Jus naturae praecipit filiis obedientiam parentibus praestandam; at si haec obedientia noxia est Religioni, vel Reipublicae, Jus naturae non solum non praecipit, sed ei illam prohibet; quatenus rectae rationi ob circumstantiam additam adversatur. Ita etiam Jus naturae prohibet hominis necem; at si haec fiat a legitima potestate ad debitam delinquentis punitionem; Jus naturale non amplius illud prohibet, imo praecipit ad bonum Communitatis regimen.

Dixi; *mutationem tantum impropriam;* quia proprie loquendo ex tali circumstantia non jus, sed actio mutatur.

Q. Potestne Deus dispensare in Lege naturali?

Nota, quod Dei dispensatio in Lege naturali dupliciter fieri potest. Dire-

cte scilicet, seu proprie, et indirecte, seu improprie. Primo modo fit, cum Deus hominem eximit ab observantia Legis naturalis, remanentibus in lege eadem materia, ac circumstantiis illis, sub quibus Lex naturalis viget, et obligat; seu cum dispensat in Lege naturali absque ulla mutatione materiae vel illarum circumstantiarum, quae ipsum jus obligatorium reddunt. Secundo modo, seu indirecte, et improprie fit dispensatio, cum Deus vel Legis naturalis materiam, quae sub suo dominio est, mutat, vel tollit conditiones, ac circumstantias illas, quae Legis obligationem inducebant; unde relate ad illum, in cujus favorem facta est mutatio, lex desinit obligare, et dicitur haec dispensatio fieri per materiae subtractionem. Salmanticenses, Concina, Stampò.

R. Deus non potest dispensare directe, et proprie in Lege naturali; quia, cum Jus naturae id praecipiat, quod necessario praecipiendum est, tamquam rectae rationi consentaneum, vel prohibeat illud, quod necessario prohibendum est, quia rectae rationi dissonum; Deus directe dispensando, concederet, ut dispensatus ageret aliquid, quod est intrinsece malum, ac inhonestum, vel omitteret id, quod ex natura sua pro morum honestate necessum est fieri, et cujus omissio naturae rationali disconvenit. Hoc autem Deus absolute concedere non potest, quia ejus sanctitati, rectoque regimini repugnat. Praeterea, si Deus directe dispensaret in Lege naturali, mali commissio, vel boni omissio, sub iisdem circumstantiis, esset simul honesta, et inhonesta; honesta propter divinam dispensationem, inhonesta propter suam naturam: quod contradictionem involvit. D. Thomas 1. 2. q. 100. art. 8. Concina loc. cit. Stampò.

Q. Potestne Deus saltem indirecte dispensare in praeceptis Juris naturae?

R. Si sermo est de iis praeceptis, quae sunt immutabilia, quippe quae praecipiunt, quae necessario sunt praecipienda, vel prohibent, quae necessario sunt prohibenda, quoniam continent conservationem boni communis, praesertim finalis, quod est Deus, vel ipsum ordinem justitiae, et virtutis; Deus in iisdem nec etiam improprie; et indirecte dispensare potest, quia cum sint immutabilia, dispensationem nullam patiuntur; nam semper, et in quocumque casu vigent. *Fidelis enim est Deus*, ait D. Thomas loc. cit.: *et seipsum negare non potest, ut ait Apostolus 2. ad Timot. cap. 2. negaret autem seipsum, si ordinem suae justitiae auferret, cum ipse sit ipsa sua justitia.* Si vero sermo est de iis praeceptis, quorum materia est sub dominio, et dispositione Dei, potest Deus improprie, et indirecte dispensare, quia potest materiam, vel circumstantias mutare ita, ut non amplius existat id, quod Jure naturali praecipiebatur, vel prohibebatur.

Quare si legimus in Scripturis sanctis Deum in quibusdam casibus imperasse, aut permisisse aliqua legi naturali contraria, non debemus intelligere id aliter fecisse, nisi mutatione impropria, et dispensatione indirecta. Re quidem vera, cum Deus praecepit Abrahamo, ut filium suum occideret, non praecepit homicidium absolute tale, nempe injustam hominis occisionem; nam Abraham juste occidebat filium suum postquam eum occidere jusserat Deus, qui est supremus Dominus vitae, ac mortis cujusque.

Item si consensit Deus ut Ægyptiorum spolia perciperent filii Israel, non consentiit in furtum. Furtum enim est injusta ablatio rei alienae; res autem

aliena non erant spolia illa, postquam Deus supremus rerum omnium Dominus jusserat accipi a filiis Israel, et fieri sua.

Ita etiam cum voluit Deus, ut Oseas ad fornicariam mulierem accederet, non concessit ei, ut fornicaretur: sed ut acciperet in uxorem mulierem illam, et sic ad eam, utpote suam accedens, fornicationem non committeret.

Praeterea si in polygamia dispensavit, nihil obstat; quia cum polygamia non repugnet absolute fini primario Conjugii, qui est prolis susceptio, et educatio, sed tantum adversetur recto familiae regimini; huic incommodo potuit Deus providere per auxilium gratiae suae. Insuper cum polygamia inaequalitatem juris, ac dominii inferat quoad conjugum corpora, quia uxores totae fiunt viri, cum vir non totus fiat singularium uxorum; hanc inaequalitatis injuriam potuit Deus, uti supremus omnium Dominus impedire, jubendo, ut corporis viri dominium in plures uxores tribueretur.

Demum, si permisit Judaeis, ut per libellum repudii matrimonia dissolverent, etiam indirecta fuit haec dispensatio. Deus enim, ut Naturae Auctor, et supremus omnium creaturarum, earumque jurium Dominus, potuit concedere, ut matrimonium per hujusmodi libellum dissolveretur, et eo dissoluto, aliud matrimonium contraheretur: Jus enim naturale prohibet secundum matrimonium, quando primum in sua validitate perseverat. Legatur D. Thomas loc. cit., Antoine.

Ex dictis inferas, quod potestas humana multo minus potest dispensare in lege naturali, quia homo subditus est huic Legi, et proinde inferior. Inferior autem dispensare non potest in lege Superioris. D. Thomas loc. cit.

Num detur ignorantia invincibilis juris naturae, discussum est in Tractatu de actibus humanis.

Q. Jus naturale estne idem, ac Jus gentium?

R. Minime, quia Jus naturale per se necessarium est, ut homo ad ultimum finem suum dirigatur, at non ita Jus gentium. Jus naturale omnibus hominibus innatum est, Jus vero gentium, usu, et consuetudine populorum constitutum: Jus naturale habet pro objecto actiones, quae intrinsecam habent honestatem vel turpitudinem: at Jus gentium respicit actiones, quae valde ad humanam Societatem utiles videntur et accomodatae. Denique Jus naturale spectat homines singulos seorsim consideratos: Jus autem gentium, spectat homines, prout in universali Societate conveniunt. Fatendum vero est quod Jus gentium summam cum Jure naturae affinitatem habet, nam tam congruum est, ut videatur, Jure naturae impellente, fuisse constitutum. Concina.

Q. Quid est Jus gentium, et quotuplex?

R. Jus gentium est illud, quod exigente usu, et humanis necessitatibus, gentes humanae sibi constituerunt. Instit. Civil. lib. 1. tit. 2. §. 2. (1).

(1) Homines ab aequalitatis, libertatisque statu ad illum inaequalitatis, ad Societatem scilicet impulsos fuisse, ut se invicem tuerentur exploratissima res est. Hinc quamvis Grotius, Puffeudorfius, Hobbesius, Leibnitius, aliique inter se dilitigent, ex Sacris tamen Litteris satis liquet Deus homines in simplices societates conjunxisse, ut se invicem juvarent, in compositas vero ipsos coaluisse ut se invicem defenderent, Deo tamen Auctore, ratione duce, necessitate suadente. Cum enim vidisset Deus non esse bonum hominem esse solum, fecit Evam adjutorium illi simile, ideoque filiorum, qui ex ea conjunctione nascebantur cum parentibus societatem Deus ipse instituit, ut inde alimenta, et educationem ipsi reciperent, unde vitam habuis-

Multiplex est, nam vel est primarium, et est illud, quod convenit cum Jure naturali, quod Justinianus lib. 1. tit. 2. Instit. definit, esse *Jus, quod naturalis ratio inter omnes homines constituit:* Vel est secundarium, et est illud, quod superius definitum est, et de quo hic loquimur. Item vel est affirmativum, et est illud, quod plura praecipit, uti acceptationem legatorum, eorumque securitatem, foedera pacis, et induciarum, jus sepulturae; bonorum partitionem etc. Vel est negativum, et est illud, quod pleraque probibet, uti ne arma, vel fontes veneno inficiantur, ne hostes per Sicarios dolo, vel proditione occidantur etc., Concin. ibid. Vinnius Instit. lib. 1. t. 2.

Q. Jus gentium obligatne in Conscientia?

R. Maxime, quia vera Lex est bonum commune spectans. Hinc huic legi obnoxii sunt in Conscientia omnes, et potissimum Principes, ceterique Communitatum supremi moderatores, quorum est populorum tranquillitatem, ac commodum procurare. Concina ibidem.

CAPUT IV.

De Lege Positiva Divina

Q. Quid est Lex positiva Divina, et in quo differt a Lege naturali?

R. Lex positiva Divina est illa, quae non ex intrinseca rei necessitate, sed ex libera Dei voluntate procedit.

Differt a naturali Lege,quia haec est immutabilis, positiva vero mutabilis. Naturalis necessario fuit tradenda homini, ut quamdam haberet bene vivendi directionem, et obediendo Legi, suum cognosceret Creatorem, ac Dominnm. Positiva vero fuit Deo arbitraria, cum potuisset homo per solam Legem naturalem bene vivere. Naturalis simul cum natura homini indita est. At lex positiva divina extrinsecus homini tradita fuit, ut clarius cognoscat supremum Dei dominium, quippe qui non solum prohibere potest, quae ex se mala sunt, sed etiam ea, quae suae sanctissimae voluntati placet prohibere, ut cum prohibuit opera servilia die Sabathi.

Q. Quotuplex est Lex positiva divina?

R. Duplex, Vetus nempe, seu Mosayca, et Nova, seu Evangelica. Prima, quae a Deo data fuit per Moysen. Secunda, quae data fuit a Christo.

Q. Quae praecepta continebantur in veteri lege?

R. Moralia, coeremonialia, et judicialia, juxta illud Deuther. 5. *Loquar tibi mandata mea, et coeremonias, et judicia.* Moralia erant praecepta De-

sent. Compositam vero Civitatis Societatem Adae filii efformarunt Deo probante, Natura ducente, ratione dictante, demum necessitate cogente, qua Cain primus civitatem instituisse videtur, qui ob patratum scelus (Gen. IV. 17.) profugus erat. Ex pluribus vero societatibus jam constitutis, tamquam ex moralibus personis, sive individuis majores coaluisse constat, ideoque ex multis inter se consociatis familiis Pagi, ex pluribus Pagis Urbes, et ex Urbibus Respublicae, et Regna extiterunt. Quamobrem societates omnes tum simplices, cum compositae supremae legi parere debent, quae Jus Gentium audiit, ac proinde satis liquet ad ea omnia agenda obstrictos esse socios, quibus positis, veluti mediis, finis, quem vel Natura, vel sibi Societas ratione dictante proposuit, obtinetur, et ad ea omnia omittenda, quae Societatis fini adversatur.

calogi, quae praecepta Juris naturalis sunt, et ideo per Moysen tradita in Tabulis Testamenti, ut clarius hominum cordibus infigerentur, et homines excusationem in peccatis non haberent. D. Augustinus enarrat. in Psal.57. Ambrosius ep. 7. ad Irenaeum. S. Thomas 2. 2. q .99. art. 2. Concina de Legibus.

Coeremonialia erant praecepta, quae divinum cultum spectabant, v. g. sacrificiorum ritus, et purgationum. Judicialia denique erant praecepta, quae ad Judaeorum societatem, et populum dirigendum tendebant, et ideo Hebraeorum leges civiles, et politicae nuncupatae.

Q. Quinam veteri Lege tenebantur?

R. Quoad praecepta moralia tenebantur homines singuli; quia praecepta legis naturalis erant. Quoad alia praecepta solum Judaeus populus; pro isto enim lata a Deo fuerunt.

Q. Lex vetus fuitne mutata?

R. Quoad praecepta moralia, mutata non fuit, quia erant praecepta naturalia, et proinde immutabilia, et de his ait Christus, Matthaei 5. *Non veni solvere legem, sed adimplere.* Quoad cetera praecepta autem mutata fuit, et abrogata per Christum, ut declaratum fuit ab Apostolis in Concilio Hierosolymitano contra Ebionem, et Cerinthum. Illa enim praecepta coeremonialia adumbrabant Christum venturum, ut ex 1. ad Corint. 10. Quare adveniente Christo luce vera, ut evanesceret umbra, seu lex vetus, necesse fuit. Item praecepta judicialia data fuerunt ad Reipublicae Judaeorum gubernationem; proinde ista penitus eversa, praecepta illa etiam periere. Hinc lex vetus quoad praecepta coeremonialia, et judicialia abrogata fuit, et mortua in morte Christi, cum velum templi scissum est, ut fatentur DD. Augustinus, Ambrosius, Thomas, aliique.

Q. Quid est lex nova, sive Evangelica?

R. Lex nova (sic dicta, vel quia renovat hominem per gratiam Christi, vel quia est ultima Lex divinitùs data. Dicta etiam Evangelica, quia cum Evangelium significet bonum nuncium, haec lex bona maxima nuntiat hominibus, nempe remissionem peccatorum, gratiam Dei, aeternam beatitudinem etc.) definiri potest: *Lex a Christo condita, et ab Apostolis promulgata, quae conjunctam sibi gratiam supernaturalem habet.* Dicitur autem sibi conjunctam habere gratiam, quia ut ait Apostolus ad Rom. 1. *Lex Christi virtus Dei est in salutem omni credenti, scilicet* (ut super haec verba scripsit D. Anselmus) *virtus est, quia gratiam praestat* (Legislator Christus) *per cuius auxilium valeamus facere, quae praecepit.* Collet loc. cit. cap. 4. art. 2.

Q. Lex Evangelica obligatne omnes homines?

R. Maxime, quia vera Lex est, lata a Christo Domino omnium populorum legislatore in bonum Christianae Religionis perpetuo duratura. Quare Christus, Matth. 28. ait: *data est mihi omnis potestas in Coelo, et in terra: Euntes ergo docete omnes gentes, docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis.* Et Trident. sess. 6. can. 19. 20. 21. anathemate percussit asserentes: *legem Evangelicam nihil aliud praecipere, nisi fidem: Decalogum ad Christianos non pertinere, et Christum esse Redemptorem, cui debemus fidere, non autem Legislatorem, cui tenemur obedire.*

Verum hic advertendum, quod non omnia, quae in Evangelio continen-

tur, rationem habent praecepti; in eo enim continentur etiam consilia, pro quibus dicitur Christus Isaiae 19. *Magni consilii Angelus*. Quare jure ab Ecclesia proscriptus fuit error Melanchthonis, qui lib. de loc.comm.Theol. tit. de discrim. praecep. et consil. ajebat: quinam fingunt in Evangelio consilia esse.... Haec sunt plena errorum, et superstitionum: una est lex Dei, quae nihil, nisi praecepta continet. Vid. Concin. prolegom. 2. Decalogi cap. 1.

Q. Quotuplicis generis sunt praecepta, quae in Lege Evangelica continentur?

R. Triplicis, nam in ea continentur 1. praecepta Fidei, uti praeceptum credendi mysterium Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiae etc. et patet ex Matth. cap. 16. *qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur*. 2. Continentur praecepta moralia, ea scilicet, quae continentur in Decalogo, quaeque Christus non de novo instituit, sed solum explicavit, et auctoritate sua divina confirmavit. Et patet ex Matth. cap. 5.6. et 7. ubi proponit Christus praecepta Decalogi, quae proprie ad mores pertinent. 3. Continentur praecepta coeremonialia, seu sacramentalia, quae spectant usum Sacrificii et Sacramentorum, quaeque Christus de novo instituit, ut essent loco veterum, quae fuerunt ab ipso abrogata; et patet ex pluribus novi foederis testimoniis, et praesertim ex Joann. cap. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua etc. Nisi manducaveritis carnem Filii hominis etc.*

Q. Adestne aliquod discrimen inter praecepta veteris, et novae Legis?

R. Quoad substantiam nullum videtur esse discrimen, quia utriusque foederis praecepta habent eumdem Auctorem, nempe Deum, eumdem finem nempe verum Dei cultum, cordis puritatem, et vitae aeternae assecutionem, et eadem praecepta primaria, scilicet fidei, et caritatis. Quoad accidentalia vero discrimen adest, quia lex vetus erat imperfecta; lex autem nova perfecta. Praecepta veteris legis coeremonialia adumbrabant praecepta novae legis; unde illa erant umbra, ista sunt corpus. Praecepta veteris legis obligabant solos Judaeos; praecepta vero novae legis omnes populos. Vide Habert, Collet loc. citato.

Q. Praecepta novae Legis suntne dispensabilia?

R. Si sermo sit de praeceptis illis, quae moralia sunt, nempe Decalogi praecepta, potest Deus improprie in aliquibus eorum dispensare, uti superius dictum est. Si vero loquatur de praeceptis positivis, potest Deus directe dispensare; quia sicut ipse hujusmodi praecepta libere tulit, sic et libere tollere potest per dispensationem.

Homo vero dispensare non potest; quia cum huic Legi subditus sit, hanc facultatem non habet dispensandi in lege superioris. Neque dicas quod Summus Pontifex per illa verba Christi, Matth. cap. 16. *Quaecumque solveris super terram, erit solutum et in Coelis*, habuerit potestatem dispensandi in praeceptis divinis positivis novae Legis, quia illa verba non sunt referenda ad facultatem dispensandi in Lege Divina, nam aliter posset Pontifex in omnibus juris divini positivi mandatis dispensare, et proinde posset Pontifex ad libitum mutare, vel tollere sacrificium a Christo institutum, materias, et formas Sacramentorum etc., quod nemo dixerit.

Q. Pontifex nonne de facto dispensat in votis; in residentia Episco-

porum; in ministerio Confirmationis, et in aliis, quae sunt de Jure divino?

R. Minime dispensat Pontifex, sed solum tamquam supremus Dei interpres, et Custos Divini Depositi, ac supremus Magister, et Caput universae Ecclesiae Dei per facultatem a Christo, cujus Vicarius est, acceptam, declarat, ac interpretatur, votum, residentiam etc. ob expositam sibi causam non obligare. Item si Christus instituit Ministrum ordinarium Confirmationis Episcopum, non prohibuit; quod summa urgente necessitate posset Pontifex deputare Sacerdotem simplicem tamquam Confirmationis extraordinarium Ministrum. Collet loc. cit. Concina de dispensat. §. 2. quaest. 1.

Q. Lex Evangelica potest interpretari?

R. Si sermo sit de interpretatione proprie dicta, quae ut ait D. Thomas. 2. 2. q. 122. art. 1. importat legis emendationem, lex Evangelica non admittit interpretationem, quia haec Lex casus non habet, qui corrigi, et emendari debeant. Si autem sermo sit de interpretatione impropria seu doctrinali, Lex Evangelica patitur interpretationem, et patet exemplo Sanctorum Patrum, qui verba, et sensum novae Legis explicant, exemplo item sacrorum Doctorum, qui exponunt, ac docent, quo tempore et in quibus circumstantiis obligent quaedam praecepta novae Legis, v. g. quo tempore sumenda sit Eucharistia, quo tempore eliciendi sint actus Fidei, Spei etc. Collet.

CAPUT V.

De Lege positiva humana

Q. Quomodo definitur Lex humana?

R. Est lex, quae immediate ab humano Legislatore condita est, Quae, si condita est a supremo Legislatore, v. g. Pontifice, Rege, Senatu etc. dicitur proprie lex. Si autem est condita a Legislatore inferiore, v. g. Episcopo, Universitate, Collegio, dici solet plerumque Statutum.

Q. Quotuplex est Lex humana?

R. Multiplex, nam alia est Civilis, alia Ecclesiastica, seu Canonica. Prima est, quae a Potestate saeculari ad Reipublicae tranquillitatem, et ad commune subditorum bonum condita est. Secunda est illa quae a Potestate Ecclesiastica lata est ad Animarum salutem et Ecclesiae regimen, et disciplinam (1).

(1) Catholica Christi Ecclesia Pastores habet, praesertim Petri Successorem, qui divina auctoritate fidelibus praesunt, ideoque proprio regitur imperio a Civili prorsus distincto. Christus enim Apostolis, eorumque successoribus potestatem dedit Evangelium in universum terrarum Orbem praedicandi, eosque, qui Fidem suscepturi essent, Baptismo lustrandi, addens: *docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis.* (Matth. 28. 18.) Quamobrem Ecclesiae Antistites ut sacrum, et inviolabile Fidei depositum sibi traditum sartum tectumque custodiant, Jure divino auctoritatem habent Christi fideles in unitate Fidei continendi, et confirmandi. Ita Christiana Societas a Filio Dei instituta, orthodoxae Fidei doctrina, et ecclesiasticis legibus regitur. Utrumque vero Imperium regimine distinctum Deum habet Auctorem, atque ad veram felicitatem hominibus comparandam amice conspirat. Religio nempe officia Civili Potestati praestanda jubet: haec vero Religionis jura luetur. Quare li-

Utraque vel est scripta, quae scilicet scripto lata est, vel non scripta, quae scilicet moribus introducta est, et dicitur Cousuetudo.

2. Vel favorabilis est, quae nempe cedit in commodum Universitatis, aut alicujus particularis personae, uti est privilegium, vel est odiosa, quae nempe incommodum, vel gravamen affert, uti est lex poenalis, lex imponens tributum, lex irritans, lex inhabilitans.

3. Vel est communis, seu quae verbis, et sensu universa complectitur, et respectu universorum. Vel est particularis, vel municipalis, seu quae aliqua complectitur, et respectu alicujus municipii, Oppidi, vel Communitatis.

4. Vel est limitans, quae a communi jure aliquem casum excipit. Vel est exorbitans, quae scilicet a communi lege aliquos excipit, diciturque privilegium, et differt a lege limitante, haec enim excipit casum, exorbitans autem excipit personam. Vel est correctoria, seu quae jus commune vel ex toto, vel ex parte corrigit.

5. Denique vel est moralis, scilicet quae mores dirigit ad aliquid faciendum, vel omittendum, obligans in Conscientia, et nullam imponens poenam. Vel est poenalis, seu quae poenam continet, et haec, si tantum ad poenam obligat, dicitur pure poenalis, si autem obliget tum in Conscientia, tum ad poenam, dicitur mixte poenalis. Collet, aliique.

Q. Quaenam sunt conditiones requisitae ad Legem humanam?

R. Sunt eaedem, quae relatae fuerunt, cum de lege in genere agebamus, nempe, ut sit honesta, justa, perpetua, possibilis, utilis bono communi, loco ac tempori congrua, et promulgata. Cuniliati.

Q. Quinam sunt effectus legis humanae?

R. Duo, primus est reddere subditos bonos, ac virtuosos Cives, illos dirigendo ad praestandum, vel praecavendum id, quod bonum commune praestari, vel praecaveri exigit. D. Thomas 1. 2. q. 96. art. 2. Secundus effectus est obligare subditos ad praestandum, vel praecavendum id, quod a Legislatore praescribitur. Concin. Diss. 5. de leg. cap. 2.

Q. Daturne in hominibus potestas condendi leges circa ea, quae Lege naturali, vel positiva divina disposita non sunt?

R. Maxime, patet ex primo Regum cap. 10. *Locutus est autem Samuel ad populum Legem regni, et scripsit in libro.* Item Prover. cap. 8. *Per*

quido patet satis ineptire Protestantes, qui systema collegiale, ex quo asserunt jura collegialia, et majestatica profluere, sibi confingunt. Enimvero collegium intra certos civitatis fines constitui potest, uti sanxere leges (L. 1. in pr. D. de collegiis): at Catholica Ecclesia in universum orbem est diffusa II. collegium ut sit licitum, et in aliquo Regno admittatur, Principis venia accedat oportet (L. 4. §. 1. cit. tit.): at Ecclesia fuit instituta, et confirmata ipsis invitis saeculi Principibus. III. Collegium dissolvi potest ob varias Reipublicae caussas (L. 3. in pr. D. cit. loc.): id vero citra impietatis notam de Christi Ecclesia ne cogitari quidem potest. IV. Collegium a Republica vim, et salutem mutuatur suam: at Ecclesia inter Reipublicae turbas, et motus, insaniente etiam in ipsam ethnicorum tyrannide constitit, semperque immota permanebit. V. Denique Collegium a Principe leges accipit: at Princeps fidelis ipse Ecclesiae legibus parere debet. Quare Zieglerus, licet e calvinistico grege, demonstrat quam necessaria sit in Christi Ecclesia *inaequalitas, et subordinatio, quae regendi, et parendi partes distribuit: pares enim, ait, et aequales ubi cupiunt esse omnes, quid evenit, nisi inordinata confusio omnia pessime disturbans?* (in praefat. ad Febroniam §. 7. n. 19. p. 185. t. 1.).

me Reges regnant, et legum conditores justa decernunt. Ex epist. ad Rom. cap. 13. *Omnis Anima potestatibus superioribus subdita sit, non enim est potestas nisi a Deo:* et Lucae cap. 10. *Qui vos audit, me audit*, et ad Thessal. cap. 4. *Scitis quae praecepta dederim vobis per Dominum Jesum.* Praeterea quaevis Societas sive Civilis, sive Ecclesiastica per superiores dirigenda est, et in officio continenda, aliter undique confusio, et perturbatio, juxta illud Proverb. 11. *Ubi non est Gubernator, corruet populus.* Haec autem directio, et disciplina haberi non potest, nisi per superiorum leges. Item, si aliter res se haberet, non daretur in hominibus potestas legislativa, sed tantum facultas declarandi quid de jure naturali, vel divino sit faciendum, vel omittendum', hoc autem falsum est. Collet, Stampò.

Neque dicas, quod posset hominum societas Lege naturali, vel divina dirigi, nam hoc minime verum est semper; quia cum Lex naturalis, vel Divina ad casus particulares non descendat, atque isti pro temporum, locorum, ac personarum diversitate quamplurimi sint, daretur locus errandi. Hinc ad evitandum errandi periculum, accedunt leges humanae, quae supplent. D. Thomas 1. 2. quaest. 91. art. 3, et quaest. 95. art. 2. ad 3. Berthi lib. 2. cap. 14. de Theol. Discipl. t. 2.

Q. Quinam potest ferre Leges Civiles?

R. Suprema potestas, utpote quae jus habet dirigendi Civium actiones ad commune bonum, et tranquillitatem eorum. Haec autem suprema potestas, si reperiatur in uno, dicitur *Monarchia*. Si reperiatur penes plures, et quidem nobiles, v. g. Senatores, optimates etc. in communi regentes, dicitur *Aristocratia*. Si reperiatur penes populum in communibus comitiis congregatum, dicitur *Democratia*. Si denique reperiatur penes majores natu simul cum plebe, dicitur *Regimen mixtum*. D. Thomas 1. 2. q. 95. art. 4.

Hinc possunt ferre leges Civiles, Imperator, Rex, Senatus etc. quisque pro Regnis, et provinciis sibi subjectis: nam isti supremam habent potestatem, et suorum subditorum supremi sunt moderatores. Item summus Pontifex potest condere leges Civiles pro dominiis suis temporalibus; nam in his supremam habet politicam potestatem, et supremus Princeps dicitur. Extra suam ditionem hanc potestatem non habet, quia Ecclesiae Pastori praecise sumpto non est collata a Christo regni temporalis moderatio. Collet, sect. 2. de legib.

Q. Quinam potest condere leges Ecclesiasticas?

R. Ille cui datum est a Christo pascere, regere, et gubernare Ecclesiam Dei; sive universalem, et totam, uti datum est Summo Pontifici, qui Divi Petri successor est, et Supremus Christi Vicarius, totiusque Ecclesiae Primas (1): sive quoad aliquam partem, v. g. Dioecesim, ut datum est Episcopo vel alteri Superiori Ecclesiastico jurisdictionem quasi Episcopalem habenti.

Quare summus Pontifex ferre leges Ecclesiasticas potest pro tota, et Universali Ecclesia, Archiepiscopus, Episcopus, Patriarcha etc. pro sua Dioe-

(1) Sacrae Litterae aperte testantur Petri primatum a Christo constitutum fuisse ad Ecclesiae unitatem, et utilitatem, ad tuendam scilicet Fidei, et morum integritatem: hinc non fuit personalis sed realis, et perpetuus, ideoque ex divina institutione ad Romanum Pontificem Petri Successorem transmissus.

His adde: Christus Petrum elegit Caput, et fundamentum Ecclesiae. Ipse autem

cesi, Abbates, et inferiores Praelati pro suo territorio, Concilia generalia pro toto orbe, Nationalia pro tota natione, Provincialia pro tota Provincia, Dioecesana pro tota Dioecesi.

Hic nota 1. quod Patriarchae, et Metropolitani non possunt ferre leges pro suis suffraganeis, nisi ex consilio et voluntate Episcoporum sibi subjectorum. Caus. 9. q. 3. c. 7. Decreti.

2. Ordo religiosus potest ferre leges, sed in Capitulo generali congregatus; non autem ejus Propositus, vel Minister generalis seorsim a Capitulo generali, nisi ex expressa Summi Pontificis facultate. Similiter Ordo religiosus faeminarum nec etiam in Capitulo congregatus ferre potest leges, quia faeminae incapaces sunt jurisdictionis Ecclesiasticae; solum potest ferre aliquod statutum: quod vi voti obedientiae obliget. Antoine.

3. Capitulum Ecclesiae Cathedralis non potest ferre leges pro Dioecesanis, vivente Episcopo, quia penes Episcopum tota residet jurisdictio. Episcopo mortuo potest ferre aliquas leges pro bono Dioecesis regimine, ad modum provisionis, quae leges valebunt, usque dum non fuerint ab Episcopo successore revocatae: quia mortuo Episcopo, Capitulum succedit in jurisdictionem Episcopi. Cap. unic. de major., et obedientiae in VI.

4. Declarationes, et decreta S. Congregationis Cardinalium habent vim legis, dummodo fuerunt a Summo Pontifice approbatae, et de ejus mandato promulgatae, et a Praefecto ejusdem Congregationis sigillo munitae, aliter non habent vim legis, sed solum aliquam doctrinalem exhibent auctoritatem. Stampò.

5. Licet suprema civilis potestas leges Ecclesiasticas ad Ecclesiae regimen, et Animarum salutem spectantes directe, et per se condere non valeat, quia Christus Dominus potestatem hanc solum Ecclesiae Pastoribus commisit, qui oves suas pascere, et regere deberent, attamen fatendum est ex Concilio Trid. sess. 25. cap. 20. de Reformatione, quod supremae civili potestati commissa sit a Deo custodia, et protectio Sanctae Fidei, et Catholicae Ecclesiae: unde suprema civilis potestas sacrarum factionum custos est, et vindex; ideoque pro custodia, et observantia earum leges condere possunt, et debent, cum opus erit.

in hujusmodi auctoritate perpetuo consistere non potuit, quia morte prohiberetur permanere, quam Redemptor ei praedixit. At Ecclesia utpote *indefectibilis* usque ad consumationem saeculi erat duratura. Idcirco ne Ecclesiae semper viventi Caput, et fundamentum esset homo jam mortuus, oportuit designare illum, qui Petro obeunti sufficeretur, seu quod perinde est, Petri Successorem, ut Episcopi per universum Orbem Ecclesiam regentes, Capite, Duce, Magistro gauderent. Ita unitas, qua ipsa maxime effulget, servatur in unitate Capitis non solum invisibilis, nempe ipsius Christi sed etiam visibilis, scilicet Romani Pontificis, qui est ejusdem Ecclesiae Princeps, et in universum dominicum gregem, tum honoris, tum jurisdictionis primatu divino jure potitur.

CAPUT VI.

De materia Legis humanae

Q. Quaenam est materia Legis humanae?

R. Sunt hominis officia, sive actiones humanae, quae, prout bono communi conferunt, possunt praecipi, vel si eidem nocent, possunt prohiberi. Stampò.

Verum adverte, quod hominis officia,quae Legi naturali, vel divinae positivae adversantur, esse non possunt materia legis humanae: nam quidquid a Legibus divinis discordat,lex non est, sed legis abusus, et corruptio, ait D. Thomas. 1. 2. q. 95. art. 2. et Legislator humanus Legislatori divino subesse debet. Quinimo Legislator humanus condere legem non potest, quae legi sui Superioris adversatur, quia Potestas inferioris potestati superioris non praevalet, sed subordinatur. Antoine.

Q. Potestne Legislator humanus prohibere omnia vitia collective?

R. Minime, nam hujusmodi lex non esset accomodata bono communi, cum ejus adimpletio toti communitati, vel majori saltem ejus parti esset difficillima, seu moraliter impossibilis hominum pravitate. D. Thomas loc. cit. art. 2. Potest autem divisim omnia vitia prohibere, cum bono communi videatur expedire, quia hujusmodi Lex aliquod vitium prohibens facilis observatu est.

Q. Potestne Legislator humanus omnes actus virtutum collective praecipere?

R. Minime, nam hujusmodi lex etiam moraliter impossibilis esset observari ob humanam imbecillitatem. Imo nec divisim, regulariter loquendo, quia dantur aliqui actus virtutum, qui sunt valde ardui, quos nonnisi, qui heroica virtute praediti sunt, valent observare; uti virginitas etc. Dixi, *regulariter loquendo;* nam si actus virtutis valde arduus expediat bono communi, ut praecipiatur, praecipi potest; quia bonum commune praevalet, et Subditus tali legi se accomodare debet. Item si actus virtutis valde arduus adnectatur statui voluntarie suscipiendo;nam tunc Subditus cum voluntarie suscipiat illum statum, voluntarie se subjicit legibus illius; uti est Coelibatus in sacris ordinibus; Clausura perpetua pro Monialibus etc.

Q. Potestne Legislator humanus praecipere, vel prohibere actus indifferentes?

R. Minime, semper atque actus remaneat indifferens; nam materia legis debet esse honesta, et justa. Dixi, *si remaneat indifferens*; quia si actus indifferens accipiat bonitatem; vel malitiam ex fine, vel circumstantiis, potest esse materia legis praecipientis; vel prohibentis; potest enim bono communi prodesse, vel obesse. Coneina.

Q. Legislator humanus potestne praecipere, vel prohibere actus internos?

Nota 1. quod actus internus potest esse materia legis dupliciter: directe scilicet, et indirecte. Directe cum praecipitur, vel prohibetur ratione sui, et absque respectu ad actum externum; uti actus caritatis, odii etc. Indirecte, cum actus internus praecipitur, vel prohibetur ratione actus externi, cui adnectitur tamquam conditio, aut forma, vel caussa actionis externae

moralis, uti attentio, et intentio in oratione vocali, consensus internus in contractu; dolor de peccatis in confessione sacramentali etc.

2. Lex humana duplicem habere potest vim obligandi, directivam scilicet, cum obligat tantum in conscientia ad culpam, et coactivam, cum obligat et in conscientia ad culpam, et in foro externo ad poenam. Collet.

R. Lex humana Ecclesiastica potest directe praecipere, et prohibere actus mere internos, quoad vim directivam, semper ac Animarum saluti videtur expedire; quia Christus Dominus potestatem tribuit Ecclesiae suae non solum exteriores Fidelium actiones dirigere, sed etiam interiores. Nam Ecclesiae directio ad salutem spiritualem Fidelium tendit, quae salus haberi non potest, nisi actiones tum exteriores, tum interiores recte instituantur. Antoine. Cuniliati.

Hinc Innoc. XI. jure damnavit Michaelis Molinos propositionem 65. *Praepositis obediendum est in exteriori, et latitudo voti obedientiae religiosae tantummodo ad exterius pertingit. In interiore aliter res se habet, quo solus Deus, et director intrant.* Et propositionem 66. *Risu digna est nova quaedam doctrina in Ecclesia Dei, quod anima quoad internum gubernari debeat ab Episcopo . . . quia Ecclesia non judicat de occultis, et anima habet jus eligendi quomodocumque sibi bene visum.*

Quod si aliqui textus Juris Canonici huic doctrinae adversari videantur, vel textus Sanctorum Patrum, dic, quod intelligendi sunt de vi coactiva; non autem de vi directiva.

Verum enimvero Ecclesia directe, et vi coactiva moderari per leges suas non potest actus internos, apponendo poenam in foro exteriori contra transgressores, quia Superior potest poenam apponere pro iis, pro quibus exterius judicium exerceri potest; quod non verificatur de actibus mere internis D. Thomas 1. 2. q. 91. art. 4.

Lex humana civilis directe actus internos neque per vim directivam, neque per vim coactivam moderari potest; quia actus humanos respicit, prout pertinent ad exteriorem politiam, et populorum tranquillitatem, ad quam actus interni non pertinent. Concina.

Q. Potestne lex humana praecipere, vel prohibere actus internos indirecte?

R. Maxime, quia tunc non praecipit, vel prohibet actum internum absolute, et in se spectatum, sed prout est conjunctum cum actu exteriori, quem reddit plenum, ac vere humanum, cum sit ejus forma, vel causa; unde praecipit, vel prohibet verum, et efficacem actum externum. Hinc merito Ecclesia praecipit, ut digne, attente, et devote recitentur Horae canonicae, Missae auditio sit die festo attenta, et devota, prohibet, item et punit Simoniam interiorem connexam cum exteriori largitione. Jus etiam civile merito praecipit, ut verus, et non fictus consensus apponatur in contractibus, aliter esset inefficax etc. Antoine, Concina hic, et de censuris Diss. 1. quaest. 4. Stampò.

Q. Ex qua virtute lex humana ad aliquid agendum, vel non agendum obligat?

R. Regulariter loquendo, ex illa virtute, quae est motivum intrinsecum ejus, quod Lege statuitur, Legislator enim humanus praesumitur non ex alio motivo velle legem ferre, nisi ex motivo illius virtutis, quae est motivum

intrinsecum actionis praeceptae, vel prohibitae ob bonum commune. Sic ex motivo temperantiae praecipitur ab Ecclesia jejunium, ex motivo justitiae prohibetur furtum, homicidium, etc. Antoine.

Dixi, *regulariter*, quia Legislator humanus aliquando ad legem ferendam potest moveri ex motivo extrinseco alterius virtutis, cum illud bono communi videtur expedire. Si praecipitur ab Ecclesia castitas sacris ordinibus initiato, tum ex motivo intrinseco castitatis, quam quilibet custodire tenetur; tum ex motivo extrinseco Religionis, quae exigit, ut Ecclesiae Minister ea, qua par est, castimonia, peragat divina mysteria.

Hinc inferas, quod violans legem humanam peccat primo contra illam virtutem, quae est intrinsecum legis motivum. 2. Peccat contra illam virtutem, quae est extrinsecum legis motivum. Sic Subdiaconus beneficiatus omittens recitare Horas canonicas peccat tum contra Religionem; quae motivum intrinsecum est talis praecepti; tum contra Justitiam, quae est motivum extrinsecum.

CAPUT VII.

De Obligatione Legis humanae

Q. Quid est obligatio Legis, et quotuplex?

R. Est necessitas ex lege orta, qua Subditi ad aliquid faciendum, vel omittendum inducuntur. Quae triplex esse potet. Vel quoad forum externum, et *Civilis* dicitur, vel quoad forum internum, et *naturalis* vocatur; vel quoad utrumque, et dicitur *mixta*. Prima est illa, quae cogit ad agendum, vel non agendum aliquid tantum in foro exteriori, ad vitandam poenam. Secunda est illa, quae cogit in foro conscientiae ad vitandam culpam. Tertia est illa, quae cogit ad agendum, vel non agendum in utroque foro ad vitandam culpam, et poenam. Antoine.

Q. Lex humana obligatne in Conscientia?

R. Negant Novatores, qui docent, solam Legem naturalem, vel divinam obligare in Conscientia, ceteras vero Leges tantum in foro exteriori. At Fides divina nos docet, legem humanam obligare etiam in conscientia, si justa est. Patet ex epist. ad Rom. cap. 13. *Omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi a Deo. . . Itaque qui resistit Potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem adquirunt. . . . . Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Idem patet ex prima Petri cap. 2. Et haec pro lege Civili (1). Pro Lege autem ecclesiastica patet ex

(1) Quaeritur an leges civiles obligent in conscientia? De hoc puncto valde scitu necessario oportet aliqua principaliora hic adnotare. Aliae leges civiles sunt expresse a Jure Canonico adprobatae, aliae expresse correctae, aliae vero neque adprobatae, neque reprobatae. Hinc dicendum 1. leges adprobatae sine dubio in conscientia obligant: ita est lex Justiniani in *Novel.* §. *per occasionem,* in qua datur triennium ad experiendum conjugum impotentiam: haecque adprobata fuit a Coelestino III. in c. *Laudabilem de frig. et mal.* Ita pariter Nicolaus I. *in resp. ad Bulgaros in c. Ita 30. q. 4.* adprobavit leges invalidantes matrimonium inter adoptantem, et adoptatum, atque ab hoc dependentes, ut ex *l. Quin etiam 55. ff. de ritu nupt*: item inter adoptatum, et filios adoptantis *ex l. per adoptionem 17. ff. eod.*

Lucae cap.: *Quis vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit.* Et ex verbis Apostoli ad Hebr. 13. *Obedite Praepositis vestris, et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro Animabus vestris reddituri.* Vide D. Thom. 1. 2. quaest. 96. art. 4. Antoine.

Dixi, *si juxta est.* Si enim lex injusta erit, sive ex fine, quatenus lex non sit ob bonum commune, sive injusta erit ex auctore, quatenus Legislator legem condit ultra sibi adhaerentem potestatem, sive injusta erit ex forma quatenus in Lege, qua imponitur onus multitudini in ordine ad bonum commune, non servatur debita aequalitas, talis lex, utpote injusta non obligat in Conscientia, nisi forte servanda sit ad vitandum scandalum; tunc enim viget bonum commune, et persona privata tenetur cedere juri suo. D. Thomas 1. 2. q. 96. art. 4.

Q. Quid si dubitetur de justitia Legis?

R. Adhuc lex obligat, nam stat praesumptio, quod Legislator, omnibus inspectis, juxta prudentiae leges justitiae, et aequitatis, legem suam tulerit. Item subditus non est congruus Judex gestorum sui Superioris: unde non potest judicare de injustitia legis conditae, nisi certo appareat. Habert, Concina.

tit. item inter adoptantem, et uxorem adoptati, et contra ex *l. adoptivus 14. ff. eod. tit.*

Dicendum II. Leges civiles a Jure canonico correctae non obligant quidem in conscientia: talis est lex in *princ. instit. de nupt. et in lib. nuptiae 2. ff. de ritu nupt.* ubi invalidantur matrimonia filiorumfam. inita sine consensu parentum. Sed hae leges correctae sunt *in c. Cum locum de sponsal.etc. matr.etc. Licet ac c. Tua de Spons. duor.* et ultimo in Tridentino *sess. 24. c. 1. de refor. sacr. matr.* Ita etiam *in c. Cum haberet de eo qui duxit matr.* abrogatur lex civilis prohibens aliune ita dari filiis spuriis. Sic pariter in *l. 6. §. 1. ff. de adulteriis, et l. 2. C. eod. tit.* Conjugatus cognoscens solutam non tenetur adulterii judicio, licet damnetur conjugata solutum admittens; Sic in *c. Nemo 32. q. 4.* uterque judicio subjicitur quia utrinque fides conjugalis adhibenda est. Item in *l. liberorum 81. ff. de His, qui not. infam.* Vidua nubens intra annum luctus multis subjicitur poenis: sed hoc abrogarunt *Urbanus* III. in *c. 4. et Innoc. III. in c. 5. de secund. nupt. Item in l. marito ff. ad legem Jul. de adul. et l. Graccus C. eod. tit.* datur facultas viro occidenti adulterum turpiter cum uxore agentem, *et in lib. Quod ait ff. eod. tit.* conceditur patri facultas interficiendi filiam in adulterio deprehensam. Sed haec reprobantur in *c. Inter haec 33. q. 2.* et ab Alex. VII. in prop. damn. 19. Dubitatum autem fuit an fuerit abrogata *l. uxorem de ritu nupt.*, quae invalidabat matrimonium inter vitricum, et uxorem privigni? Sed S. Congreg. Conc. die 28 Mart. an. 2721. (apud N. SS. P. Bened. XIV. *in Opere de Syn. p. 418 n. 2.*) declaravit validum tale matrimonium.

Dicendum III. leges civiles non reprobatae videntur tacite adprobatae a Jure Canonico; nam *in c. 1. de novi oper. nuntiat.* sic dicitur: *Sicuti leges non dedignantur Sacros Canones imitari, ita et sacrorum statuta canonum Principum Constitutionibus adjuvantur.* Item in c. *Super specula de Privil.* sic habetur: *Sancta Ecclesia legum secularium non respuit famulatum, quae aequitatis, et justitiae vestigia imitantur.* Hinc Fagnanus *in c. Cum esses de test. n. 18.* et noster Papa Bened. XIV. *l. c. p. 420. n. 1. cum Abbate Menoc.* et communi dicunt Judicem ecclesiasticum in quaestionibus, in quibus de Jure Canonico nihil reperitur decisum, debere se conformare Juri Civili. Et Gelasius Papa *Ep. 4. ad Anast. Imper. scripsit: Quantum ad Ordines pertinet publicae disciplinae, legibus tuis ipsi quoque parent Religionis Antistites.* S. Ligorius Theol. Mor. Tract. de Leg. Cap. 2. dub. 11. §. 106. in fin.

Q. Lex humana obligatne sub gravi, vel sub levi?

R. Si materia, circa quam lex versatur, est gravis, et est sub gravi praecepta, lex obligat sub gravi. Si vero materia est levis, obligat sub levi; Deus enim Legislator supremus dedit humano Legislatori facultatem obligandi suos Subditos juxta materiae legis congruentiam; ut sic cedat in bonum commune potestas legislativa, et sit in aedificationem, et non in destructionem Subditorum.

Q. Quandonam materia Legis censetur gravis?

R. 1. Quando materia ratione sui est gravis. 2. Si materiae levi finis gravis, vel alia gravis circumstantia adnexa est. 3. Si materia Legis gravis censetur a prudentibus, et doctis Viris, vel a Consuetudine, bene fundata. Collet, Concina Diss. 5. de Legib. cap. 3. quaest. 7.

Q. Quando materia gravis censetur graviter praecepta?

R. 1. Quando expresse Legislator declaravit se velle sub gravi obligare. 2. Quando absolute, et sine ulla limitatione praecipitur, vel prohibetur res gravis. 3. Si utatur Legislator verbis gravem obligationem indicantibus; uti *jubeo*, *praecipio*, *veto*, *prohibeo* hoc, vel utatur alia forma loquendi gravi; v. g *sub indignatione Dei etc.* 4. Si legi apponatur poena gravis in transgressores. 5. Si Viri prudentes ita existiment, vel Consuetudo ita ferat. Antoine, Concina, Collet.

Q. Potestne Legislator humanus in Lege de materia levi obligare Subditos sub gravi?

R. Minime, si materia legis, omnibus inspectis, vere levis est; quia legislator debet secundum rectam rationem leges ferre. Recta autem ratio postulat, ut obligatio legis correspondeat ejus materiae, et cum ista mensuretur.

Dixi, *Si*, *omnibus inspectis*, *materia vere levis est*: nam si materia de se levis fiat gravis ratione finis, vel alterius circumstantiae gravis, tunc sub gravi culpa potest Legislator obligare Subditos, quia tunc revera materia gravis est.

Q. Transgressio Legis de materia levi potestne fieri gravis aliquando?

R. Maxime, et 1. si frequens sit violatio hujusmodi legis; quia materiae leves, si continuentur, per frequentiam coalescunt, et constituunt materiam gravem. 2. Si violationi hujusmodi legis adjungatur contemptus formalis.

Q. Quandonam materiae leves coalescunt, et moraliter conjunguntur; et quando non?

R. Materiae leves coalescunt, cum repetitae aliquem gravem effectum eidem legi contrarium producunt, sive in eo, qui legem violat, sive in altero. Sic qui eodem die festivo pluribus vicibus parvo temporis intervallo, servilibus operibus vacat, gravem effectum persentit, quatenus per illas plures vices sit notabiliter distractus a santificatione diei festi. Sic et qui per plura furtula, vel eidem domino materiam notabilem subtrahit, vel pluribus dominis, semper graviter peccat; quia ille unicus dominus gravem persentit injuriam, aut ipse fur magnam retinet quantitatem rei alienae, si plures fuerunt ejus domini, cum magna Reipublicae, sive societatis injuria.

Materiae autem leves non coalescunt, et moraliter in se non uniuntur tripliciter: 1. Ex diversitate praeceptorum, cum scilicet violationes leves diversis praeceptis adversantur. Sic Sacerdos, qui eodem die festivo aliquid

leve in recitatione officii divini omittit, omittit aliquam coeremoniam levem in celebratione Missae, et aliquod parvum opus servile agit: tria peccata levia committit; nec hujusmodi materiae leves uniuntur, quia tribus praeceptis diversis adversantur 2. Ex diversitate personarum, scilicet cum plures personae distinctae per quid leve idem violant praeceptum. 3. Ex diversitate temporis, quando nempe quis idem diversis temporibus violat praeceptum; v. g. quis diebus singulis Quadragesimae quid leve ante tempus comestionis sumit.

Q. Quandonam habetur contemptus formalis in violatione legis?

R. Habetur ex D. Thoma 2. 2. q. 186. art. 9. quando Subditus legem violat, non quia ab ira, vel ignorantia, vel passione, aut infirmitate impellitur ad legem violandam; sed quia non vult subjici ordinationi legis, legem spernens, vel ejus Conditorem. Hinc si quis legem violat ex ira, fragilitate, ignorantia, tentatione, contemnit equidem legem, sed contemptus iste materialis est, et communis, quippe qui in omni peccato reperitur, nec constituit peccatum speciale a legis transgressione distinctum. At Contemptus formalis adjunctus violationi legis veniali, semper illam violationem reddit gravem, quia contemptus formalis non admittit parvitatem materiae, nam per eum contemnitur auctoritas Supremi Legislatoris Dei, a qua leges humanae originem trahunt, atque hujusmodi contemptus novum constituit peccatum directe contra virtutem obedientiae. D. Thomas 2. 2. q. 105. art. 1. ad 1. Concina, Cuniliati.

Verum hic diverte, quod non dicitur contemptus formalis, si quis contemnat legem uti inutilem, vel levis momenti, aut Legislatorem uti virum indoctum, injustum etc. Quia tunc non contemnitur potestas legislativa, sed vel materia legis, vel persona Legislatoris uti persona privata. Quare habetur peccatum, vel contra virtutem, ad quam res praecepta pertinet, vel contra justitiam, ratione detractionis, et contra observantiam, si est Superior, vel contra pietatem, si est Pater, vel Mater. Quae peccata erunt gravia, vel levia, prout erit gravis, vel levis detractio, et contemptus. Collet.

Q. Potestne Legislator humanus lege sua praecipere, vel prohibere rem gravem sub obligatione levi?

R. Si id faciat ob aliquam gravem circumstantiam pro bono Communitatis, potest; quia recta ratio postulat, ut Legislator rigorem legis temperet, si id exigat aliqua causa ob bonum commune. Si autem nulla ex causa id exequatur, illicite procedit, quia non mensurat obligationem cum materia legis: cum non ex arbitrio, sed ex legibus prudentiae Legislator debeat leges ferre. Concina, Cuniliati.

Q. Lex fundata in praesumptione, obligatne, si in casu particulari non verificetur id quod praesumitur?

Nota, quod praesumptio legis duplex esse potest, juris scilicet, seu periculi moralis, et facti. Prima habetur, cum Legislator judicat prudenter, quod ex tali actione, licet non semper, malum grave sequatur; unde ipse sua lege tale periculum removere intendit, illam actionem graviter periculosam prohibendo. Sic Ecclesia, quia sibi persuasit prudenter, quod ex lectione quorumdam librorum, legentium mentes corrumpantur, licet non omnium, sua lege hujusmodi librorum lectionem, vel retentionem prohi-

buit, ad removendum subversionis periculum. Secunda, seu praesumptio facti habetur, quando Superior ex conjecturis arguit, aliquam actionem fuisse positam, vel actioni aliquam adfuisse circumstantiam, unde ex tali actione, vel circumstantia ad legem, vel praeceptum ferendum movetur. Collet, Cuniliati.

R. Lex fundata in praesumptione Juris, sive periculi obligat in Conscientia ad sui observantiam etiam in casu, quo respectu alicujus particularis personae cessat periculum; quia bujusmodi lex fundatur in prudenti judicio periculi in tali actione semper, vel saepe contigentis; quare, licet in casu particulari cesset tale periculum; semper tamen verificatur, quod in tali actione periculum uti plurimum adest, adeoque subsistit semper fundamentum legis, et per consequens ipsa lex, qua illa actio ob bonum commune prohibetur; si ergo existit lex, obligatur ex ea etiam ille, qui per accidens tali periculo non est obnoxius; quia persona particularis debet se conformare Communitati. Hinc si lex prohibens lectionem, vel retentionem librorum prohibitorum ratione periculi subversionis, subsistit, quoniam semper ratio periculi subsistit relate ad ceteros, licet relate ad aliquem particularem cesset, dicendum, quod relate ad hunc subsistat lex quae eidem prohibeat lectionem, vel retentionem. Collet, Cuniliati.

Si autem lex fundata sit in praesumptione facti, non obligat in Conscientia, si factum desit, quia motivum hujus legis est factum, vel facti circumstantia, et videtur lata sub conditione, *si factum*, vel *circumstantia facti* adsit; quare cessante existentia facti, vel circumstantiae, cui lex innitebatur, videtur cessare ipsa lex. Hinc recte statuit Innocentius III. cap. *Inquisitioni tuae*, de sent. excom., quod conjux non tenetur alteri conjugi debitum petenti, reddere, sciens nullitatem sui matrimonii, et si Episcopus praecipiat sub excommunicatione reddere debitum, non tenetur ei obedire; licet pro foro exteriori ad vitandum scandalum, excommunicationis sententiam debeat humiliter sustinere. Et ratio hujus constitutionis est, quia Episcopus ideo praecipit, quia supponit factum; nempe matrimonium validum, quod cum ita non sit, praeceptum Episcopi nullum est.

Q. Lex poenalis obligatne in Conscientia?

R. Si lex est pure poenalis (quae minus proprie dicitur lex, sed potius dicenda regula, ordinatio, statutum) non obligat in Conscentia, quando violator hujus legis firmum habeat animum solvendi poenam statutam; quia, Legislator praecepit disjunctive aut poenam incurri, aut praeceptum suum adimplere, unde liberum est subdito alterum adimplere. At si est lex mixte poenalis obligat in conscientia tum ad culpam, tum ad poenam, quia lex hujusmodi continet duplicem obligationem, et adimplendi legem, et subeundi poenam, nisi adimpleatur.

Q. Quomodo cognoscitur, an lex sit pure, vel mixte poenalis?

R. Cognoscitur 1. Quod sit pure poenalis ex verbis ipsius Legislatoris, si scilicet expresse declaret, se velle obligare tantum ad poenam, 2. Si lex obliget disjunctive vel ad exequendum id, quod statuitur, vel ad poenam, si secus fiat, tunc enim datur opinio ad alterutrum. 3. Ex communi sapientium sententia; vel ex Consuetudine.

Cognoscitur autem lex uti mixte poenalis, 1. Si superior copulative per legem suam statuat aliquid fieri, vel non fieri, et simul poenam transgres-

soribus imponat; quia tunc datur duplex praeceptum, et proinde duplex obligatio ad culpam scilicet, et ad poenam. 2. Si statuatur contra legis transgressores poena valde gravis; quia prudens Superior non imponit poenam gravem, nisi pro culpa gravi, quae praecessit. 3. Ex materia legis, nempe si legis materia bonum pubblicum directe spectet, bonos mores, Reipublicae tranquillitatem, pacem, actiones lege divina vel naturali praeceptas, vel prohibitas etc.

Quod si dubitetur, an lex sit pure, vel mixte poenalis, interpetranda est, tanquam mixte poenalis, quia quod lex obliget tantum ad poenam, et non ad culpam, est quaedam exceptio a communi condendarum legum regula: exceptio autem est stricte interpretanda in favorem legis, quando de mente Legislatoris non constat. Habert.

Q. Quandonam transgressor legis poenalis tenetur solvere poenam?

Nota 1. Quod poena vel latae sententiae est, vel ferendae: poenae latae sententiae dicitur, si statim post commissum crimen infligitur a lege. Dicitur ferendae sententiae, si lex non infligit poenam; sed si forte violetur lex, minatur infligi per Judicis sententiam, aut condemnatoriam (quae habetur, si per eam reus ad certam poenam a Judice deputatur) aut criminis declaratoriam (quae habetur, si per eam Judex declarat, reum tale crimen commisisse, per quod poena ipso facto incurritur, et proinde poenam statutam ipso facto incurrisse). Collet.

2. Poena alia est positiva, quae aliquam deliquentis actionem requirit, ut persolvatur: uti est poena pecuniaria, dimissio beneficii, exilium, carceres etc. Alia est passiva, quae, ut, persolvatur actionem deliquentis non requirit; ut est censura, irregularitas, privatio vocis activae, inhabilitas ad officia etc.

R. Quando poena est ferendae sententiae, transgressor legis poenalis non tenetur persolvere illam, nisi post Judicis sententiam; quia lex talem poenam non infligit, sed imponendam per Judicis sententiam minatur. Vel est latae sententiae, et subdistinguo: Vel est poena positiva, quae non est valde difficilis in executione, uti est jejunium, eleemosyna, recitatio precum etc. et sicut statim incurritur, ita et statim solvenda est, quia nihil difficile continet quod persolutionem impediat. Dixi, *quod non est valde difficilis;* quia si talis est, vel nimis acerba, uti bonorum privatio, triremes, exilium, privatio juris acquisiti, v. g. beneficii rite obtenti, Cathedrae etc. incurritur statim; sed non est solvenda, nisi post Judicis sententiam, nam naturae adversum videtur ut quis sit sui ipsius carnifex, vel tortor. Vel est poena mere passiva, et incurritur statim, et ante omnem Judicis sententiam, quia nihil impedit ejus persolutionem; unde si quis, etiamsi occulte committat delictum, cui est adnexa censura latae sententiae, irregularitas, privatio vocis activae, et passivae etc. statim est censuratus, irregularis, privatus jure suffragii; nisi causa gravis excuset, v. g. gravis infamia, scandalum, jactum bonorum etc. Collet.

Q. Quid est lex irritans, et quotuplex?

R. Lex irritans est illa, quae actum aliquibus conditionibus a jure requisitis destitutum nullum declarat, et invalidum; sic irritans dicitur lex Tridentini statuens, nullum matrimonium sine Parocho, et testibus celebratum. Lex irritans duplex est. Altera est jure irritans, et est quae actum non pro-

hibet, sed solum actum irritat. Altera prohibens simul,et irritans, et est illa, quae prohibet actum et tum pariter irritat, si ponatur. Collet.

Q. Ad quid obligat lex irritans?

R. 1. Si lex est pure irritans, non obligat in Conscientia ad actum vitandum quia Legislator non praecipit omissionem illius,sed solum irritat illum, si ponatur. Sic non peccat filia renuncians haereditati paternae, sola dote contenta, ut nubat, licet haec renuntiatio a Jure irritetur. Si vero lex est prohibens simul,et irritans actum,tum obligat in Conscientia ad evitandum actum prohibitum,quia Legislator praecipit omissionem illius,et simul irritat, si ponatur. Quare conscius quis sibi alicujus impedimenti dirimentis, tenetur abstinere a contractione matrimonii, aliter peccat graviter, et nulliter contrahit. Antoine, Collet.

2. Si lex irritat actum ipso facto, et ante Judicis sententiam, obligat in Conscientia ad non utendum ipso actu,per legem irritato, quia omni legitimo robore caret, imo obligat ad non utendum iis omnibus, quae per se ex actu irritato sequuntur; nam lex quae irritat actum privat omni usu et omni utilitate morali illius actus. Hinc si quis per Simoniam realem obtinuit beneficium Ecclesiasticum sicut collatio fuit nulla, ita et non potest hujus beneficii fructus percipere, nec redditus administrare, nec jurisdictionem beneficio adnexam exercere.

Dixi, si *lex irritat ipso facto*, quia si actus est irritandus per Judicis sententiam tunc non obligat in Conscientia ante Judicis sententiam,et proinde potest uti illo actu,et iis omnibus,quae ex illo acto sequuntur;quia actus ille ante Judicis sententiam validus reputatur, neque persona privata potest illum irritum declarare, cum irritatio sit publicae potestatis actus. Antoine, Collet.

Q. Quid est tributum, et quotuplex?

R. Est quaedam pensio ad sumptus pro Principatus,ac Reipublicae conservatione, dignitate, et bono faciendos, a Suprema potestate imposita, et a Populo persolvenda. Multiplex est; nam aliud est reale, quod pro fundis immobilibus solvitur, et vocatur *Campatico*, vel *Fondiaria*. Aliud personale, quod pro industria, et bonis mobilibus penditur, et dicitur *Capitatio*, vulgo *Testatico*. Item si solvatur pro rebus, quae introducuntur in Civitatem, vel ab ea extrahuntur, dicitur *Vectigal*. Si solvatur pro rebus, quae vehuntur per pontes, et flumina, dicitur *Portorium*.Si solvatur ob viarum custodiam, vel instaurationem, dicitur *Pedagium;* si denique solvatur pro personarum operibus, dicitur *Angaria*. Concina.

Q. Lex, quae tributum imponit, obligatne in Conscientia?

R. Maxime; nam sicut Princeps, et Respublica habet potestatem ex jure naturali imponendi tributum justum tum ob sui conservationem, tum ob impensas pro bono communi necessario erogandas; sic et Subditi habent obligationem ex eodem naturali jure ortam illud solvendi,praeterea tributa sunt stipendia Principi debita ex justitia, et quidem commutativa; quia sicut ipse pervigil debet esse in regendis, ac defendendis populis, sic Populi debent tribuere ei quidquid opus est, tributa solvendo. Quare Christus Dominus Matth. 22. tributa solvenda esse in Conscientia ostendit, cum dixit;*Reddite quae sunt Caesaris Caesari:* et Apostolus ad Rom. 13. idem ostendit.

Hinc inferas. 1. Quod falsa est sententia illorum, qui asserunt, legem

tributorum esse pure poenalem, et proinde non obligare in conscientia. 2. Defraudantes justa tributa peccant contra Justitiam commutativam, et speciem furti committunt, et proinde tenentur ante omnem Judicis sententiam ad restitutionem Ærario regio, si tributa non sunt locata, vel conductoribus, si locata sunt. Justa autem tributa dicuntur, cum a Suprema Potestate imponuntur ex legitima caussa; scilicet ob bonum publicum etc. habito respectu, ac proportione, tum ad necessitatem boni publici etc., tum ad facultates Subditorum. Collet.

Q. Quid si dubitetur de justitia tributi?

R. Etiam solvendum est, nisi ex gravibus evidentibusque rationibus injustitia appareat; nam in dubio praesumendum est pro justitia in favorem Principis, et Reipublicae possidentis jus praecipiendi. Collet, Stampò.

Q. Obligatne lex subditum ad non ponendum impedimentum adimpletioni ejus; aut ad aliud tollendum si adest, et tolli potest?

R. Maxime, nisi illud, quod impedit legis executionem, necessarium sit, vel ita utile, ut magis expedire videatur illud poni, quam legis adimpletio; et ratio est, quia lex praecipiens finem aliquem, praecipit etiam implicite media ad talem finem conducentia. At quod medium efficacius pro legis adimpletione, magisque necessarium, quam non apponere impedimentum; vel, si adsit, illud removere, si possit? Legislator ergo legem ferendo, implicite praecipit, ut non apponatur impedimentum ad legis observantiam, vel si adsit, removeatur, si possit removeri; et proinde Subditus tenetur obedire etiam quoad hanc partem, aliter peccat contra ipsam legem. Collet.

Dixi Nisi illud, quod impedit legis executionem, necessarium sit, vel ita utile etc. quia si concurrit necessitas, vel utilitas ita magna, ut videatur magis expedire illud quod est legis impedimendum, quam adimpletio legis; et non agitur de praecepto divino negativo, neque de aliquo alio intrinsece malo, tunc non tenetur quis abstinere ab impedimento; quia lex non intendit obligare subditum sub his circumstantiis.

Hinc si quis impediatur ab audiendo sacro, die festivo, ob assistentiam moribundi, non peccat, si non desistat ab assistentia illius, ut Missam audiat, quia magis expedit assistentia moribundi, quam auditio Missae. E contrario qui Magistratum gerit, vel munus Advocati, Medici, Confessarii, etc. Et cognoscit ad munus suum adimplendum, ignorantiam suam impedimentum afferre; tenetur ex praecepto justitiae tale impedimentum removere sufficientem scientiam ad munus suum exercendum comparando, etiam cum gravi suo incommodo; aut debet muneri suo renuntiare; quia magis expedit adimpletio legis naturalis et divinae, quae exposcit rectam muneris sui adimpletionem, quam munus suum ignoranter exercere cum damno aliorum, et detrimento Reipublicae ob propriam utilitatem, vel necessitatem. Collet.

Q. Obligatne lex cum periculo vitae, vel gravis incommodi?

R. Lex naturalis, quae vel prohibet ea, quae sunt intrinsece mala, ut, mendacium, perjurium, fornicatio, blasphemia etc. Vel praecepit quae necessario agenda sunt, uti amor Dei, Proximi, cultus divinus etc. obligat etiam cum periculo vitae, uti habetur Ecclesiastici 4. *Agonizare pro justitia usque ad mortem.* Hinc Ecclesia semper damnavit eos, qui tormentorum vi fidem Christi, etsi exterius, abjuravere.

Lex naturalis, quae ex contractus, et hominum dispositione consurgit,

non obligat cum vitae periculo, vel gravissimi incommodi; quia praesumitur homines noluisse tali juri tantam tribuere vim, ut accedente tali periculo etiam obligarentur. Sic Conjux naturali jure tenetur Conjugi rite petendi debitum conjugale reddere; at si adsit in reddendo periculum vitae, vel gravis incommodi, v. g. inficiandi se lepra, morbo etc. non tenetur. Item tenetur quis jure naturali satisfacere voto, quod emisit; sed si pro voti adimpletione subeat periculum vitae, vel alterius gravis incommodi, non tenetur tunc votum adimplere, sed cessante incommodo tenetur.

Lex vero positiva tum divina, tum humana, regulariter loquendo, non obligat cum periculo vitae, vel gravis incommodi, quia lex positiva praecipere non intendit ea, quae juri naturae obsunt. Jure autem naturali tenentur homines propriam servare vitam, famam, bona etc.; quare si legis positivae executio horum jacturam inferat, Subditi non tenentur legem exequi. Hinc Matth. 12, Christus, etsi lege divina positiva veteri fuisset cuique prohibitum, comedere panes sacros Propositionis, exceptis Sacerdotibus, laudavit tamen Davidem, quod in grave necessitate comedit de panibus illis. Et cap. 4. de regulis Juris habetur: *Quod non est licitum, necessitas facit licitum, nam et Sabbatum custodiri praeceptum est; Machabaei tamen sine culpa sua in Sabbato pugnabant; sic et hodie, si quis jejunium fregerit aegrotus, reus voti non habetur.*

Dixi, *regulariter loquendo*, quia Lex positiva sive divina, sive humana videtur obligare etiam cum periculo vitae in hisce casibus. 1. Quando legis violatio infert contemptum formalem Legislatoris, vel legis, vel christianae Religionis, Fidei etc. aut infert grave scandalum Proximo, tunc enim legis violatio fit intrinsece mala, et ideo ita Jure naturali divino prohibita, ut nullo modo cohonestari possit. Sic si quis, in contemptum Pontificis, vel Ecclesiae Catholicae jubentis jejunium te impellat metu mortis ad illud violandum, debes potius mori, quam jejunium violare. Exigit a te Judaeus, metu mortis, ut Sabbatum pro die Dominico sanctifices in spretum Christianae Religionis, debes potius mortem subire, quam Judaeo indulgere. Nec tibi juvabit protestatio coram Deo, quod ita te geris non ad legis, vel Religionis contemptum, sed unice ad mortem vitandam; nam semper adest contemptus legis, vel Fidei saltem externus, qui etiam est intrinsece malus. Antoine, Collet.

Lex positiva servanda est etiam cum periculo vitae quando aliter legis violatio vergit in detrimentum boni communis. Bonum namque commune praevalet bono privato cujusvis particularis personae. Sic, si Dux militi jubeat, ut pro bono Exercitus, Civitatis vel Castri, hanc, vel illam custodiat stationem, tenetur miles obedire, etiamsi certa mors ipsi immineat, quia praevalet vitae suae bonum commune. Collet.

Q. Ut lex obliget, estne necessaria ejus promulgatio?

R. Promulgatio legis (quae habetur, cum lex jam condita nomine Legislatoris publico denuntiatur sive voce praeconis, sive affixione legis scriptae in locis publicis, et consuetis, sive alio modo juxta consuetudinem locorum, ut subditis innotescat) Promulgatio legis, inquam, necessaria est, ut obliget; quia cum lex sit communis vivendi regula, debet esse Communitati denuntiata, ut Populus juxta legem suas actiones dirigere possit. Hinc. L. 9. C. de legibus habetur. *Leges sacratissimae, quae constringunt homi-*

num vitas, intelligi ab omnibus debent (scilicet per promulgationem), *et universi praescripto earum manifestius cognito prohibita declinent, permissa sectentur.* Et dist. 4. can. 32.: *Leges instituuntur, cum promulgantur.* D. Thomas 1. 2. q. 90. art. 4. Layman, Antoine.

Q. Lex promulgata obligatne statim?

R. Si Lex est imperialis, aut Principum Imperatori Romano subjectorum, non obligat, nisi post duos menses a die promulgationis: Auth. *Ut factae novae constitutiones*, et licet hic Textus loquatur de lege testamentaria, tamen de omnibus Legibus, idem sentiendum esse, asserunt DD. communiter, Van-Espen par. 1. cap. 1. de publicatione §. 4. Si vero lex alterius supremae potestatis, statim post promulgationem legitimam, incipit habere vim obligandi in eo loco, in quo promulgata est: in ceteris vero locis incipit obligare post illud tempus, quo ordinario modo notitia Legis promulgatae ad ea loca pervenire poterat; nam lex in uno loco promulgata, non dicitur moraliter promulgata in aliis locis, nisi post illud tempus, quo moraliter potuit promulgari. Patet ex Bulla *Sicut*, Pii IV. ad calcem Concilii Trident. apposita ibi: *Jure etiam communi sancitum est, ut Constitutiones novae vim, nonnisi post certum tempus, obtineant.* Antoine (1).

Q. Ut lex humana obliget requiriturne, ut sit a populo acceptata?

R. Regulariter loquendo, minime requiritur; nam si obligatio legis dependeret ab acceptatione Populi, potestas legislativa esset penes populum acceptantem, et non penes Superiorem legis conditorem. Iste enim solum proponeret materiam legis, et Populus sua acceptatione vim obligandi legi tribueret; quod falsum, et injustum est dicere. Insuper potestas legislativa inseparabilis est a potestate praecipiendi, et obligandi subditos ad legem servandam, hinc obligatio legis non dependet ab acceptatione Subditorum, sed a voluntate Superioris legem ferentis. Quare Benedictus XIV. lib. XIII. de Synod. Dioeces. cap. 5. n. 3. ait: *Leges potissimum Ecclesiasticae, a Populi acceptatione minime pendent.* Collet, Antoine.

Dixi, *regulariter loquendo;* quia si Legislator intendit, quod lex sua vim obligandi non habeat, nisi post consensum majoris partis populi legem acceptantis, revera vim obligandi non habet, nisi post hujusmodi consensum. Haec autem intentio dicitur haberi 1. Si Legislator id exprimat in sua lege. 2. Si Legislator post legem latam, atque promulgatam, sciat non fuisse a populo acceptatam, neque observari, et taceat, cum possit urgere pro acceptatione, et observantia; tacendo enim consentire videtur Legislator. 3. Si ita ferat Consuetudo legitime introducta atque praescripta.

Q. Sed *quomodo intelligendus est Textus: De quibus* 32. §. de legibus ibi: *Cum ipsae leges nulla alia causa nos teneant, quam quod judicio populi receptae sunt.* Et Textus Gratiani: Can. 4. dist. 4: *Leges instituuntur, cum promulgantur; firmantur vero cum moribus approbantur?*

R. Textus Juris Civilis loquitur non de legibus a supremo Legislatore latis, sed de iis, quae conditae sunt a Superiore, qui facultatem leges condendi habuit a populo sibi reservante jus acceptandi, vel rejiciendi leges, prout bene sibi visum fuerit. Textus Gratiani sensus est, quod leges firman-

(1) Jure novissimo Cod. LL. CC. art. 1. cautum quod Leges rite latae statim post diem promulgationis obstringant.

tur moribus utentium, quatenus subditi utendo legibus, hasque servando, firmae remanent in suo robore; quod si non servarentur, tandem in desuetudinem abirent vel ex Consuetudine legitime praescripta, vel ex tacito Legislatoris consensu. Antoine.

Q. Peccatne Populus, qui Legem justam sine caussa non acceptat?

R. Maxime, quia cum resistat legitimae Potestati, Dei ordinationi resistit, et proinde sibi damnationem adquirit, ut ait Apostolus ad Rom. 13. Quare merito Alexand. VIII. hanc proscripsit propositionem: *Populus non peccat, etiamsi absque ulla caussa non recipiat legem a Principe promulgatam.* Excipe, si populus justa de caussa differat legis executionem, et interim legis incommoda, vel difficultates Legislatori denunciet, ut eis provideat. Antoine, Collet, Stampò.

ADDITAMENTA EX S. LIGORIO (1)

QUAESTIONES CIRCA LEGEM DUBIAM

Quaeritur an in dubiis si lex existat, lex obliget? Resp. minime obligare post adhibitam sufficientem diligentiam ad inquirendam veritatem, praeciso tamen scandalo, vel alio notabili inconvenienti; quia tunc possidet libertas. Ita communiter *Suar.* t. 5. in 3. p. D. 40. Sect. 5. n. 15: *Sanch.* Dec. l. 1. c. 10. n. 32., et 33. Id expresse confirmat *D. Thom.* (quodlib. 15. de verit. n. 3), ubi *nullus ligatur per praeceptum aliquod, nisi mediante scientia illius praecepti.* . . . .

Et idem dicendum cum *Salm. n. 110.* et aliis, si dubitetur an aliquid comprehendatur sub lege, seu an lex extendatur ad aliquid. Idem in dubio an incoeperit legis obligatio, secus autem in dubio an finierit *Salm.* ibidem n. 120. cum *Laym. Sanch. Pal.*

Quid in dubio an caussa, quam habes sit sufficiens ad te excusandum a lege? Quidquid dicat Salas, verius est te teneri ad legem, quia tunc possidet lex antecedenter ad tuam libertatem. *Salm. ibid. n. 112. cum Pal.*

Quid in dubio an lex sit promulgata? Legem non obligare tenent *Dicast. apud Croix ibid. n. 190.* et Salm. d. cap. 2. n. 110. Excipit tamen Croix, si lex fuerit jam usu recepta. . . . .

Quid in dubio an lex praecipiat, vel suadeat? Aut an obliget sub gravi, vel levi? Resp. tunc legem aut non obligare, aut non obligare sub gravi ex regula juris 59. ff. de reg. jur. *Semper in dubiis benigniora sunt praeferenda.* . . . Contra in dubio an lex sit abrogata, aut dispensata, vel adsit caussa excusans a lege? ad eam tenemur ex *communi* . . .

Quid in dubio an advenerit, vel praeterierit tempus obligationis legis?

(1) Theol. mor. tract. de Leg. cap. 1. §. 97. et seq.

Resp. in dubio inceptionis, v. g. an expleveris annos 21. non teneris ad jejunium, quia tunc possessio est pro libertate. Secus in dubio praeteritionis, v. g. an in Sabbato transacta sit hora mediae noctis nequis edere carnes: tunc enim possidet lex. Ita communiter. *Laym l. 1. tr. 1. c. 5. Sanch. de matr. l. 2. D. 41. n. 4.* Quid in dubio an legem impleveris? In dubio negativo teneris implere, secus in positivo. *Carden cum Croix. l. 6. 600.*

CAPUT VIII.

De subjecto Legum

Q. Quinam tenetur servare Leges humanas?

R. Subditi Legislatoris, qui sunt adulti, et rationis compotes. Dixi, *Subditi;* quia lex oritur ex jurisdictione, quae nonnisi cum subditis exerceri potest: ut ex cap. 22. de sent. excom. Dixi *Adulti*, et *rationis compotes;* quia lex datur ad directionem actuum subditis. Directionis autem humanae capaces non sunt, nisi adulti, et quidem mentis compotes (1).

Q. Pueri ne, et amentes tenentur legibus humanis?

R. Pueri ante usum rationis, et perpetuo amentes nullis tenentur legibus, quia non sunt directionis capaces, et ad obediendum habiles. Quare isti non tenentur audire Missam die festo, vel abstinere a carnibus diebus prohibitis. Imo nec peccant, qui eis carnes hisce diebus praebent, vel a Missa audienda eos avertunt. Peccant vero illi, qui hujusmodi pueros, vel amentes inducunt ab blasphemias, ad verba turpia, vel ad alia, quae sunt intrinsece mala: quia licet haec sint in illis materialia tantum; sunt tamen inducentibus formalia peccata, ipsisque tanquam principalibus tribuuntur; quia ipsi inducendo, volunt indirecte peccata illa, et pueris, vel amentibus utuntur, ut instrumentis, unde de eis verificatur regula: *Qui per alium facit, per seipsum facere videtur.* Praeterquam quod pro pueris adest alia ratio, scilicet; quia instruuntur, et assuescunt ad talia proferenda, vel agenda. Collet, Antoine.

Pueri autem, qui pervenerunt ad usum rationis (qui circa septennium plerumque advenit) tenentur ad Leges tum divinas, tum humanas, quia capaces sunt directionis, et obedientiae. Excipe, si lex aliqua requirat majorem aetatem. Quare hujusmodi pueri tenentur audire Missam die festo, abstinere a carnibus diebus prohibitis, confiteri semel in anno etc. At non tenentur ad jejunium, vel ad sacram Paschalem communionem, quia pro his requiritur major aetas. Collet. Antoine.

Amentes item ad tempus, puta ex febri, delirio, vulnere etc. sicut et ebrii, tenentur ad leges humanas, etiam pro eo tempore, quo tales sunt, quia sunt subditi, et per se capaces directionis, et obedientiae, licet per accidens hic, et nunc non sint tales in actu. Quare excusantur a transgressione legis formali, et a peccato, si amentia sibi fuit involuntaria tum directe, tum indirecte, non secus ac excusantur illi, qui invincibiliter legem ignorant. At legem violare videntur, si amentia orta sit ex causa voluntarie posita cum amentiae praevisione; quia legis violatio est eis voluntaria indirecte,

(1) Legibus latis in Utriusque Siciliae Regno omnes in Ditionibus ejus morantes sive cives, sive exteros, vel temporarios teneri cautum art. 5. Cod. LL. Civ.

licet legem violent in actu amentiae, vel ebrietatis: item si quis dat ebrio, vel deliranti die vetito carnem manducandam, peccat, quia carnis manducatio est ei prohibita, sicut et caeteris. Collet, Antoine.

Q. Infideles tenenturne legibus humanis?

R. Si sermo est de legibus civilibus, et politicis suorum Principum, certo tenentur, et quidem jure naturali, quia naturali jure omnes subditi suis Superioribus obedire tenentur. *Omnis anima Potestatibus superioribus subdita sit*, ajebat Apostolus ad Rom. 13. Si vero sermo est de legibus, sive praeceptis spiritualibus, dicendum est, quod omnes, quicumque sint, sive Fideles, sive Infideles, tenentur legibus et praeceptis Evangelii; nam Christus, qui ea tradidit, omnium gentium legifer est, quia Rex regum, et Dominus dominantium. Quoad Leges vero, et praecepta Ecclesiae servanda non tenentur Infideles, qui baptismum non receperunt, nam non sunt Ecclesiae subditi; nemo enim Ecclesiae fit subditus, nisi per baptismum. Cap. 8. de divort. Infideles vero baptizati, quales sunt Haeretici, Apostatae a Fide, Schismatici tenentur legibus Ecclesiae, qui per baptismum facti fuere Ecclesiae subditi, etsi nunc rebelles sint Ecclesiae. Hinc non solum peccat haereticus, qui jejunium ab Ecclesia praeceptum non observat, sed etiam Christianus, qui invitat haereticum ad jejunium violandum. Collet, Cuniliati, Antoine.

Q. Legislator teneturne Legibus suis, vel suorum Praedecessorum?

R. Legislator, qui non ipse solus, sed cum aliis legem tulit, uti accidit in regimine Aristocratico etc. tenetur, sicut et ceteri legem servare tum suam, tum suorum praedecessorum; quia lex illa condita fuit non a se, sed a Communitate, cujus ipse individualis persona est, et proinde subditus, et legibus Communitatis obnoxius: *Turpis enim est omnis pars suo universo non congruens*, ut ait D. Aug. lib. 3. Confess. cap. 8. Collet, Antoine.

Legislator vero, qui solus tulit leges, non tenetur legibus suis, vel suorum praedecessorum, quando materia illarum legum non est sibi congruens; tunc enim leges illae respectu sui leges non sunt ex defectu materiae. Si autem leges sunt ex defectu materiae. Si autem leges sunt de materia congruente tum sibi Legislatori, tum subditis, v. g. de servandis pretiis rerum in contractibus, de non ludendo ludis prohibitis etc. Legislator tenetur has leges servare ex vi directiva tantum, seu in Conscientia, uti patet ex cap. 6. de Const., et ex L. 4. D. de leg. Et ratio est, quia ex jure naturali descendit, ut caput, quoad ejus fieri potest, suis membris conformetur, ut Superior exemplo praeeat subditis, ne scandalum eis praebeat, et impedimentum ad legis observantiam, ut Legislator magis, quam subditus bonum commune promoveat; promovet autem si leges sibi congruentes ad bonum commune latas magis ipse observet, quam subditus. Dixi, *tantum ex vi directiva;* quia non tenetur ex vi coactiva leges suas, vel suorum praedecessorum servare; quia omnis poena a Superiore imponitur subdito; Legislator autem non est sibi subditus, cum non possit quis eodem tempore, et pro eadem caussa esse superior, et subditus, ut accideret in casu. Collet, Habert.

Q. Clerici tenenturne Legibus Civilibus?

R. Maxime, si hujusmodi leges justae sunt, quia Clerici veri cives sunt, et membra politicae Communitatis, et ejus commodis fruuntur, sicut et Lai-

ei; proinde eis etiam praeest Princeps saecularis, et legitime eis praecepta, et Leges tradit, quibus ipsi obedire tenentur. Hinc Apostolus ad Romanos 13. ait generali verbo: *Omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit.*

Q. Vagus teneturne Legibus municipalibus loci, ubi reperiatur?

R. Vagus dicitur, qui nullibi fixum domicilium habet. Vagus tenetur stare legibus loci, ubi reperitur, quia si esset ab hujusmodi legibus immunis esset exlex, nullumque haberet particularem Superiorem; quod contra debitum sui regimen esset. Collet.

Q. Advena ligaturne legibus loci, ubi incolatum fixit?

R. Advena, ille scilicet, qui extra patriam sua domicilium figit, tenetur statim, ac pervenit ad locum, ubi domicilium figere statuit, leges illius loci observare, quia jam factus est ejus incola, et jus domicilii adquisivit: cum domicilium adquiratur statim, ac quis incipit in loco habitare animo ibi permanendi ex L. *Cives*. C. de incolis, et L. *Domicilium* ff. ad Municipalem. Idem dicas de eo, qui alicubi immorari vult per majorem anni partem, uti sunt scholares, mercatores, famuli etc., quia quasi domicilium figit. Antoine.

Q. Peregrinus teneturne Legibus sui territorii, cum ab eo abest?

R. Peregrinus ille dicitur, qui extra territorium, ubi domicilium habet, transit per aliquem locum, vel alicubi immoratur ad breve tempus cum animo redeundi ad propriam domum.

Peregrinus non tenetur Legibus sui territorii, si ab eo abest, quia Leges, et Consuetudines locum afficiunt, et proinde personas in tali loco commorantes ad sui observantiam obligant; quare cum Peregrinus sit extra territorium, territorii legibus, et consuetudinibus non tenetur, Cap. de 2. Constit., in 6. ibi: *Statuto Episcopi*, *quo fures excommunicantur*, *non ligantur ejus subditi, qui extra Dioecesim furantur, cum extra territorium jus dicenti non pareatur impune.* Ubi nota, quod peregrinus non solum est immunis a servandis Legibus sui territorii, sed etiam a servandis praeceptis Juris communis, si ista vel ex privilegio vel ex Consuetudine legitima in eo loco, ubi reperitur, non vigeant, licet vigeant in proprio territorio: et ratio est, quia privilegium locale, vel Consuetudo localis afficit locum, et proinde omnes degentes in tali loco. Antoine.

Q. Danturne casus, in quibus peregrinus, licet absit a suo territorio, adhuc tamen Legibus sui territorii tenetur?

R. Maxime, et primus est, si absit in fraudem, quia fraus, et dolus nemini debet patrocinatori: Cap. *Ex tenore:* de Rescriptis. Iste autem censetur fraudem committere in Legem, qui ex solo fine declinandi Legem, et sine alia justa caussa a proprio territorio discedit.

2. Est, quando quis licet absit a proprio territorio, et extra territorium Legem violet, violatio tamen in proprio territorio censetur facta. Hoc fit cum in proprio territorio non agit, vel non omittit id, quod ei per Legem praescriptum est ibi agere, vel omittere; unde delinquens ratione hujusmodi violationis censetur ibi esse moraliter praesens. L. 2. C. quae res exportari. Hinc beneficiatus absens a territorio beneficii tenetur servare statutum pro illo territorio ab Episcopo latum, si aliquid ad beneficium pertinens imperet; aliter peccat, et censuris, quae forte statuto adnexae sunt, obnoxius fit; quia violatio statui censetur facta in territorio beneficii. Cap. 11. de *Clericis non resident.* Antoine, Collet.

3. Est si Superior subdito praeceptum personale imponat, quia praeceptum personale personam, et non territorium afficit; quare subditus, ubicumque sit, tenetur hujusmodi praeceptum observare, quia adhaeret personae suae. Antoine.

Q. Teneturne ille, qui exit a proprio territorio, ubi aliqua Lex viget, hanc adimplere, antequam exeat, si perventurus sit ad locum, ubi Lex illa non viget?

R. Tenetur quidem, si praevideat non posse eam alibi adimplere, quia Lex, quae actu obligat, actu adimpleri debet, si non possit posthac adimpleri; in casu enim Lex judicatur talis esse, ac si eo solo actu obliget, et solum illud tempus aptum sit ad observantiam ejus.

Hinc si quis exit Neapoli, ubi dies festus S. Augustini observatur, perventurus Capuam, ubi talis festus non colitur, tenetur antequam exeat, si alibi nequeat, Missam audire Neapoli, et etiam expectare, ut audiat, si nondum Missae celebrantur, nisi grave damnum sibi, vel aliis prudenter timeatur. Item si in loco, unde quis discedit, vigeat Lex jejunii, perventurns ad locnm, ubi jejunium non observatur, tenetur jejunare non solum a carnibus abstinendo, sed etiam a jentaculo pro eo tempore, quod est in territorio, ubi dies est esurialis, quia Lex actu obligat, et actu adimpleri debet. Cuniliati, Antoine, Stampò, Collet.

Q. Peregrinus teneturne servare Leges municipales loci, in quo reperitur?

R. Maxime, etiamsi moretur ibi ad breve tempus, et scandalum absit: quia bonum commune territorii, et rectus ordo regiminis postulat, ut Leges municipales, utpote, quae territorium afficiunt, ab omnibus, qui in tali territorio sunt, adimpleantur. Praeterea peregrinus, exeundo a proprio territorio, fit ab ejus legibus municipalibus immunis, unde tenetur legibus territorii, ubi adest; nam qui commodum sentit, incommodum etim sentire tenetur. Regul. Jur. 55. in 5. Hinc ajebat D. Ambrosius epist. 48. apud S. August.: *Cum Romam venio, Sabbatum jejuno, cum Mediolani sum, non jejuno: sic et tu, ad quamcumque Ecclesiam perveneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo, neque quisquam tibi.* Qui textus fertur etiam in dist. 20. *Illa*, in cujus Glossa legitur: *Cum fueris Romae, Romano vivito more; cum fueris alibi, vivito sicut ibi.* Concina.

Ubi nota, quod licet haec doctrina non omnibus probetur, cum aliqui probabiliter aliud sentiant, tamen certum est per omnes DD. quod peregrinus teneatur 1. servare Leges loci, ubi reperitur, si alias adesset periculum scandali, cum vitari scandalum Jus naturale praecipiat. 2. Si eae Leges sint juris communis, licet Consuetudine, vel privilegio in loco domicilii sui non serventur, quia Legislatori Juris communis peregrinus subditus est; et Consuetudo, ac privilegium extra territorium vim non habeat. 3. Si agatur de Legibus et Consuetudinibus loci, quae respiciunt contractuum celebrationem, ac validitatem, aut criminum punitionem; quisque siquidem sortitur forum, ubi contrahit, vel delinquit: Cap. ult. de foro compet. Antoine.

Q. Quid si peregrinus non immoretur, sed solum per aliquem locum transeat, teneturne servare Leges loci, pro eo tempore, quo illuc transit?

R. Si sunt Leges negativae, v. g. Leges, quibus prohibetur esus carnium, asportatio armorum, asportatio victualium etc. peregrinus viator tenetur eas Leges servare, quia hujusmodi Leges in transitu observari possunt, et

aliter scandalum haberi posset, vel illius Communitatis aliqua perturbatio, vel detrimentum. Si autem sunt Leges affirmativae, seu quae aliquam praecipiunt actionem, v. g. audire Missam, jejunare etc. viator tenetur eas observare, si ad eas adimplendas non requiratur mora longior illa, quam facere ibi debeat; quia viator non tenetur immorari ibi data opera, ut Legem ibi obligantem colat, sed tenetur solum servare Legem ibi vigentem, supposito, quod immoretur ibi tanto tempore, ut sine gravi suo incommodo Legem servare eo tempore possit.

Hinc inferas primo si peregrinus viator transeat per locum ubi servatur Lex jejunii, vel alia Lex negativa, quae in territorio sui domicilii non viget, tenetur eam servare per eo tempore, quo ibi moratur: contra si tota die permansit in loco, ubi non erat Lex jejunii, et proinde carnes manducavit; at sero perveniat ad locum, ubi viget jejunium, non potest aliam coenam sumere, nisi eam, quae diei jejunii congruit.

2. Si peregrinus transit per locum, ubi aliquis dies festivus colitur, ibique sistat, ut cibum sumat ipse, vel equus, aut aliquid aliud agat ad breve tempus, non tenetur Missam audire, quia mora non est apta adimpletioni Legis. Contra si ibi immoretur per tempus sufficiens ad Missam audiendam, vel acturus est iter a mane usque ad meridiem per loca, in quibus dies festus agitur, tenetur audire Missam; quia pro eo tempore subjacet Legi, et Legem adimplere potest. Collet, Antoine, Stampò.

Q. Exemptus a jurisdictione Legislatoris obligaturne Legibus istius si in istius territorio moretur?

R. Minime, quia Exemptus subditus non est Legislatoris; nam eo ipso, quod ab ejus jurisdictione eximitur, Subditus esse desinit. Quare cum Lex non obligat, nisi subditos, dicendum, quod lex non obliget exemptum, quia subditus non est. Antoine.

Hinc Religiosi exempti non tenentur Legibus Episcopalibus, vel Synodalibus, regulariter loquendo, quia subditi non sunt. Dixi, *regulariter loquendo*; nam in aliquibus casibus tenentur: quorum primus est, si Episcopus Legem tulit tanquam Apostolicae Sedis delegatus: huic enim etiam Religiosi exempti subditi sunt, quia Sedes Apostolica omnibus praeest. 2. Si Episcopus censuras, et interdicta tulit, aut diem festivum praescripsit, aut aliquod aliud opus pium totius populi devotionem, aut utilitatem, vel necessitatem spectans, uti publicam supplicationem, jejunium etc., modo eorum privilegiis non adversetur, vel Statui regulari, quia Religiosi partes sunt Communitatis, etiamsi exempti. 3. Si Episcopi praeceptum respiciat Sacramentorum administrationem, Sacrificii Missae celebrationem, sanctum cultum etc. Vide Bened. XIV. de Synod. Dioeces. lib. VII. cap. 12. Antoine.

CAPUT IX.

De modo, quo observandae sunt Leges

Q. Quomodo adimplenda est Lex?

R. Si affirmativa est adimpletur per liberam, et voluntariam operis praecepti positionem, sive subditus intentionem habeat ponendi rem praeceptam, sive habeat intentionem adimplendi praeceptum. Et ratio est, quia Lex affirmativa adimplenda est per actus humanos; actus autem humani non sunt, nisi liberi, et voluntarii, hoc est procedentes ab intentione agendi. Si vero

Lex est negativa, adimpletur per abstinentiam, vel cessationem ab opere vetito, quamvis de abstinentia vel cessatione illa non cogitetur; sic aegrotus praeceptum non fornicandi adimplet, etsi ex impotentia non fornicetur (dummodo affectum non habeat fornicandi, licet desint vires corporis) quia Lex non exigit omissionem liberam, sed solum prohibet actum humanum liberum, quo lex violaretur, nempe fornicationem. Concina, Cuniliati, Antoine, ex D. Thoma 2. 2. q. 104. art. 3. ad 2.

Q. Si quis immemor praecepti rite posuit opus praeceptum satisfecitne praecepto?

R. Maxime, quia in eo virtualis voluntas adimplendi praeceptum adfuit; nam si cum praecepti immemor erat, opus praeceptum posuit, a fortiori posuisset praecepti memor. Quare ignorans hodie adesse praeceptum audiendi Missam, hanc devote audit, satisfacit praecepto: ita ut, si postea advertat esse diem festum, non teneatur aliam Missam audire. Concina, Antoine, Cuniliati.

Q. Si quis praecepti memor, rem praeceptam ponit, sed non ex animo adimplendi praeceptum, sed ex devotione, intendens rem praeceptam denuo ponere pro praecepti adimpletione, violatne praeceptum, dato quod postea rem praeceptam denuo non ponat?

R. Dissidium est inter DD.: verius dicendum, quod violet praeceptum, quia ad satisfaciendum praecepto requiritur intentio saltem interpretativa satisfaciendi praecepto: ille autem, qui expresse se determinat ad non satisfaciendum, nullam satisfaciendi intentionem habet, imo contrariam; ergo dicendum, quod praecepto non satisfaciat. Nota tamen cum Concina, quod sententia contraria deservire potest aliquando ad sedandos scrupulos illorum, qui timentes se hic, et nunc non adimplere recte munus suum, licet attente agant, deliberant vel denuo ponere rem praeceptam. Concina, Collet, Sylvius.

Q. Teneturne quis finem Legis intendere, ut Legem adimpleat?

R. Duplex est finis legis. Alter intrinsecus, qui est illud, ad quod Legislator intendit sua Lege obligare, seu est ipsamet res praecepta. Alter extrinsecus, qui est illud, ad quod Legislator rem praeceptam dirigit. Sic adsit lex solvendi aliquod tributum pro constructione Orphanotrophii: solutio tributi dicitur finis intrinsecus hujus legis: constructio Orphanotrophii dicitur finis extrinsecus.

Subditus, ut Legem adimpleat, sufficit, si finem Legis intrinsecum intendat; sic enim substantialem Legis materiam ponit. Non tenetur autem intendere ad finem extrinsecum, quia finis extrinsecus non cadit sub Lege, sed solum ad eum materia Legis dirigitur. Sic subditus Legem adimplet, si tributum solvat, licet, dum solvit, de constructione Orphanotrophii non cogitet.

Excipe si finis extrinsecus expresso praecipiatur: quia tunc intrat in materiam Legis: et finis extrinsecus est intendendus. Hinc si publicae preces Deo faciendae praecipiantur ad deprecandam a populo aliquam calamitatem, subditi, ut praeceptum rite adimpleant, non solum tenentur orare, sed tenentur preces facere etiam pro illa calamitate avertenda. Concina, Antoine.

Q. Teneturne subditus, ut Legi satisfaciat modum Legis servare?

R. Modus Legis duplex esse potest, intrinsecus, et extrinsecus; primus est ille, sine quo Legis substantia adimpleri non potest. Sic modus intrin.

secus jejunii praecepti est abstinentia a cibis vetitis, et unica comestio de cibis permissis debito tempore facienda. Attentio, et devotio est modus intrinsecus orationis etc. Secundus est ille, sine quo Legis substantia servari potest; sic die jejunii sumere solum panem, et aquam hora debita, dicitur modus extrinsecus jejunii, sicut modus extrinsecus orationis est orare brachiis extensis, genibus flexis etc.

Subditus, ut rite Legem adimpleat, tenetur modum Legis intrinsecum servare, qui aliter substantiam Legis non ponit. Non tenetur autem ad modum extrinsecum, quia hic non pertinet ad substantiam Legis. Excipe, si modus extrinsecus expresse a Superiore praecipiatur, nam tunc, cum fiat etiam materia Legis, est adimplendus; aliter non adimpletur totum praeceptum. Hinc si superior orationem flexis genibus praecipiat, flexis genibus est orandum; aliter praeceptum non integre servatur. Antoine.

Q. Satisfacitne praecepto humano, qui illud adimplet per actum ex aliqua circumstantia malum?

R. Si malitia circumstantiae repugnet substantiae praecepti, tollendo honestatem, quae est essentialis actui praecepto, aut quae expresse a Superiore requiritur, non satisfacit praecepto, aut non ponit totum id, quod Lege praecipitur. Hinc non adimplet praeceptum de audiendo Sacro, qui Missam audit loquendo turpiter, vel jocando cum aliquo, quia haec circumstantia adversatur substantiae praecepti, nam destruit devotionem, et attentionem illi actioni debitam. Si autem malitia circumstantiae non opponitur substantiae praecepti, quia per accidens comitatur actum praeceptum, satisfacit praecepto, quia ponit id, quod per Superiorem praecipitur, et actus per accidens vitiatur; sic adimplet praeceptum recitandi horas canonicas Sacerdos, qui eas attente, et devote recitat, licet inanem gloriam ex tali recitatione concipiat; nam ponit totum id, quod Ecclesia exigit, nempe attentam, et devotam officii recitationem ex motivo Religionis; licet captae vanae gloriae peccet. Antoine, Concina, Cunil. Salmantic.

Q. Potestne quis implere unico actu plura praecepta?

R. Mixime: nisi aliter praesumatur de voluntate praecipientis. Et ratio est, quia Superior sub praecepto censetur aliquid aliud a Subdito exigere ultra id, ad quod antea tenebatur, cum non creditur velle praeceptum suum inefficax. Quare si Confessarius imposuit poenitenti jejunium pro satisfactione Sacramentali, non satisfacit poenitens praecepto Confessarii jejunando die vigiliae.

Idem rationabilius dicendum, si illa plura praecepta oriantur ex diversa virtute, vel ex eadem virtute, sed sub diverso respectu; tunc enim ad adimplenda plura praecepta, plures actus distincti requiruntur. Hinc si quis debeat jejuniare semel in heddomada ratione voti, et Confessarius imponat huic pro satisfactione peccatorum, ut semel in hebdomada jejunat, tenetur his in hebdomada jejunare; nam illa duo praecepta oriuntur ex diversis virtutibus, ex Religione scilicet, et ex poenitentia. Sic etiam si Testator heredi jussit ut daret decem Cajo, quos antea ab eodem acceperat mutuos, et deinde jussit in codicillo, ut Cajo decem daret pro illato ei damno; heres non satisfacit utrique Testatoris praecepto, si unica vice det decem, sed tenetur dare viginti: quia illa duo praecepta, licet orta sint ex eadem virtute justitiae, attamen orta sunt sub diverso respectu. Concina, Antoine, Cuniliati.

Dixi, ***nisi aliter constet de voluntate praecipientis;*** quia si ex circumstantiis, vel ex fine, vel ex natura actionis praeceptae, vel ex communi usu, ac interpretatione prudenter praesumatur Superiorem permittere, ut unico actu subditus satisfaciat duplici praecepto, tunc unico actu duplici praecepto potest fieri satis; hoc enim a voluntate Superioris praecipientis dependet; quare si idem dies sit Dominicus, et festivus alicujus Sancti, quis unicam audiendo Missam, utrique praecepto satisfacit. Si Sacerdos est beneficiatus, unica officii recitatione satisfacit muneri suo ratione sacrae ordinationis, et ratione beneficii.

Q. Quid si Confessarius imponat poenitenti auditionem Missae singulis diebus per annum?

R. Poenitens die festo, vel Dominico unicam tenetur audire Missam pro utroque praecepto, Ecclesiae scilicet, et Confessarii, quia nisi Confessarius aliud expresserit, talis censetur fuisse ejus voluntas. Contra, si injungat Confessarius poenitenti auditionem Missae singulis diebus festis per annum, poenitens tenetur diebus festis duplicem audire Missam; aliter praecepto Confessarii non satisfacit, quia mens ejus fuisse censetur ad duplicem Missam illis diebus audiendam obligare poenitentem. Antoine, Concina.

Q. Quid si dubitetur, an ad plures actus, an ad unicum actum voluerit obligare Superior per suam Legem subsequentem?

R. Ponendi sunt plures actus, ut plura praecepta existentia adimpleantur; quia talis censetur esse mens Legislatoris, quando aliud non exprimit. Cuniliati, Concina, Antoine.

Q. Potestne quis eodem tempore per diversos actus plura adimplere praecepta?

R. Maxime: modo unum opus alteri operi non opponatur, et attentio utrique operi possit adhiberi, et sic utraque actio recte fiat: nam tunc ponitur totum id, quod per plura praecepta jubetur, licet eodem tempore. Quare Diaconus, si die festo audiens devote Missam, attente recitet horas canonicas, vel poenitentiam a Confessario impositam persolvat, utrique praecepto satisfacit, quia haec duo praecepta ad eumdem finem tendunt, nempe ad Dei laudem, et unum opus alterum non destruit.

Contra si quis die festo Missam audire intendat eo tempore quo suam discutit Conscientiam, vel sua peccata confitetur, praeceptum de audiendo Sacro non adimplet; quia unum opus alteri opponitur, cum non possit utrique debita tribui attentio. Ita etiam si Confessarius imponat poenitenti tres audire Missas, poenitens Confessarii praeceptum non adimplet, si tres Missas, quae eodem tempore in diversis altaribus celebrantur, audiat; nam attentio ad unam Missam excludit attentionem ad aliam: nec talis praesumitur fuisse Confessarii voluntas. Antoine, Concina.

Q. Teneturne quis servare praecepti partem, si totam non possit?

R. Maxime: si praeceptum dividuum est, seu de re, quae dividi potest, et singulae ejus partes divisim acceptae ad finem a Legislatore intentum accedunt. Et ratio sumitur ex Regula Juris 37. in VI. ***Utile per inutile vitiari non debet, et proinde nec possibile per impossibile, si possibile ab impossibili disjungi potest.*** Hinc obstrictus ad recitandas horas canonicas, si non potest ex aliqua justa caussa recitare singulas, tenetur recitare illam Officii partem, quam sine suo gravi incommodo potest. Unde Innocentius

XI. hanc proscripsit propositionem : *Qui non potest recitare matutinum cum laudibus, potest autem recitare reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.* Item qui ratione infirmitatis die jejunii vesci debet carnibus, debet observare nihilominus abstinentiam, et unicam facere comestionem. Concina, Cuniliati, Antoine.

Q. Quomodo se gerere debet ille, cui duo diversa praecepta eodem tempore adimplenda occurrunt, et simul adimpleri non possunt?

R. Tenetur regulariter loquendo adimplere praestantius praeceptum; quia majus debet praeferre minori; et praeceptum minus ex rationabili mente Legislatoris in tali casu praesumitur non obligare. Hinc in concursu praeceptum naturale praeponderat praecepto positivo divino; praeceptum divinum positivum praefertur praecepto humano; praeceptum Superioris praecepto inferioris, praeceptum praestantioris virtutis praecepto virtutis inferioris, et denique praeceptum negativum praecepto affirmativo.

Dixi *regulariter loquendo*, quia si materia praecepti majoris, vel praestantioris sit levis, materia autem praecepti inferioris sit gravis, tunc praeceptum inferius praeponderat; unde praeferendum est praecepto Superiori, sive praestantiori. Cuniliati, Antoine, Concina.

CAPUT X.

De caussis, quibus desinit obligatio Legis

Q. quibus de caussis Lex desinit obligare?

R. Pluribus, scilicet metu gravi, et ignorantia. de quibus in Tractatu de actibus humanis: item cessatione legis, Abrogatione, Consuetudine, Interpretatione, Epicheja, Dispensatione, et Privilegio, de quibus hic.

§. *I. De Cessatione Legis*

Q. Quomodo potest cessare Lex?

R. Tribus modis 1. Si lapsum sit tempus, vel negotium completum, pro quo Lex lata est 2. Si materia, vel circumstantiae Legis redditae sint injustae, nocivae etc., unde Lex facta est injusta, bono communi nociva, aut saltem inutilis. 3. Si respectu totius Communitatis cesset tota, et adaequata Legis ratio, seu caussa finalis, propter quam Lex lata est. Nam Lex tunc obligat, cum Legislator vult, ut Lex sua vigeat: at in his casibus non praesumitur, quod velit Legislator Legem suam urgere. Ergo in his casibus Lex cessat obligare, et amplius non urget. Antoine.

Ex his haec nota 1. Si causa finalis Legis compacta sit ex pluribus caussis, et ex illis, una, aut altera cessat, at non omnes, tunc Lex non desinit obligare, quia propter ceteras causas, quae remanent, subsistit voluntas Legislatoris obligandi Subditos, cum Lex sua ex reliquis caussis adhuc bono communi utilis est.

2. Si caussa finalis cesset solum respectu aliquarum porsonarum, et non omnium Subditorum, Lex non cessat, sed semper obligat, etiam illas personas, respectu quarum caussa finalis cessavit; mens enim Legislatoris est, ut Lex sua omnes liget semper, ac utilis est bono communi, et facile adim-

pleri potest, et privatae personae conformandae sunt Communitati etsi pro ipsis cesset caussa finalis Legis:quia turpis est omnis pars sua universo non congruens ex Divo Augustino. 3. Confes. Cap. 8.

3. An cessaverit nec ne caussa finalis, et adaequata Legis, non debet judicari a persona particulari, ut cesset Legis obligatio, sed debet cessatio ista judicari ab universa Communitate, vel saltem a saniore parte ejus, quia si esset penes privatam personam judicium de cessatione hujusmodi caussae, daretur periculum hallucinationis, et sic plures Leges violarentur indebite. Concina, Antoine.

§. II. *De Legis abrogatione, et Consuetudine*

Q. Quid est abrogatio Legis?

R. Est Legis existentis abolitio secundum omnes suas partes. Quae, si fiat quoad aliquam Legis partem, derogatio dicitur, non abrogatio. L. 120. ff. de verb. significatione, Concina.

Q. Quinam potest abrogare Legem?

R. Ipse Legislator: quia Lex sua, a libera sua voluntate dependet. Item ejus successor; nam parem potestatem sortitus est. Denique ejus Superior quia voluntas Superioris voluntati inferioris praevalet.

Q. Potestne ipse Legislator abrogare, vel derogare Legem suam, si Superior illam confirmavit?

R. Si confirmatio Legis facta fuit in favorem boni publici, vel tertiae personae, non potest; quia Superior Legem confirmando, illam fecit suam, et propriam. Si autem Lex confirmata fuit in favorem Legislatoris; ut illa haberet majorem auctoritatem, vel splendorem, potest illam abrogare, vel derogare, nisi Superior in confirmando Legem, expresse id prohibuerit. Cap. *Per illorum*, de Praeb. Layman, Concina.

Q. Ad Legis abrogationem requiriturne caussa?

R. Ad validitatem non requiritur: quia Legis subsistentia libera, et voluntaria est Legislatori. Ut autem licita sit abrogatio Legis, requiritur caussa justa, et gravis, seu maxima, et evidens utilitas, vel necessitas. D. Thomas 1. 2. q. 97. art. 2. in C. aliter Legislator ex genere suo graviter peccat; nam abrogatio sine justa caussa facta bono communi nocet, et contemptum Legislationis inducit. Antoine.

Q. Quotuplici modo abrogatur Lex?

R. Triplici modo: 1. Per simplicem revocationem ex Cap. 1. de Constit. in VI. 2. Per Consuetudinem Legi contrariam, a Superiore expresse, vel tacite approbatam, et legitime praescriptam. 3. Per Legem posteriorem, quae priorem Legem revocat, vel aliquid Legi contrarium statuit. Cit. Cap. 1. de Constitut. Antoine.

Q. Quaenam non abrogantur per Legem posteriorem contrariam?

R. Plura: et primo Decreta Concilii generalis, nisi clausula derogatoria expresse adjiciatur, ut colligitur ex Cap. *Ex parte* ult. de Cappel. Monachor. 2. Aliqua rationabilis Consuetudo legitime praescripta, et vigens in aliquo Regno, Provincia, Dioecesi etc., nisi in generali Lege adnexa fuerit clausula talis consuetudinis derogatoria. Cap. 1. de Constitution. in VI. Concina. 3. Lex specialis, quae nec etiam abrogatur per Legem posterio-

rem generalem contrariam, nisi habeatur expressa mentio derogationis: cit. Cap. 1. de Constitut. in VI., Antoine, Layman.

Q. Quid est Consuetudo.

R. Consuetudo vel facti est, vel Juris; prima est repetitio, seu frequentia actuum, vel omissionum, quae et naturalis dicitur, atque causa consuetudinis Juris; secunda, quae Consuetudo formalis dicitur, et de qua sermo est, definitur: *Jus quoddam moribus institutum, quod pro Lege suscipitur, cum deficit Lex.* D. Isidorus lib. 6. etymol. cap. 3., relatus in cap. 5. distinct.

Q. Quotuplex est Consuetudo?

R. Multiplex. Alia est Consuetudo praeter Legem, et est illa, quae novum jus introducit praecipiendo illud, quod antea non erat prohibitum. Alia contra Legem, et est illa, quae Legem praeexistentem abrogat, vel derogat, atque licitum reddit, quod antea erat illicitum, sed obligationem agendi contra Legem non imponit. Alia juxta Legem, et est illa, quae Legem existentem observandam inducit, vel obscuram interpretatur. Collet, Antoine.

Item alia est Canonica, alia Civilis. Prima est, quae versatur circa res spirituales, et Ecclesiasticas, et ad bonum Ecclesiae, et Animarum pertinet, et Jus Canonicum non scriptum, seu Consuetudinarium nuncupatur. Secunda est illa, quae respicit res politicas, et civiles, et ad Populorum regimen, et tranquillitatem spectantes, et Jus civile Consuetudinarium, sive non scriptum, vocatur. Antoine.

Denique Consuetudo vel est universalis, vel particularis. Prima est illa, quae ubique terrarum viget. Secunda, quae et Municipalis dicitur est illa, quae in aliquo Regno, Provincia, Dioecesi, Urbe, Oppido locum habet. Antoine.

Q. Differtne Consuetudo a desuetudine; et a praescriptione?

R. Maxime: et primo Consuetudo differt a desuetudine, quia prima oritur ex repetitione actuum; secunda ex frequenti omissione actuum, quando occasione concurrente, aut necessitate, semper vel saepe Communitas legi obedire non vult. Hinc desuetudo nihil differt a Consuetudine contra Legem. 2. Consuetudo differt e praescriptione, quia Consuetudo parit Legem, seu jus generale, quod respicit Communitatem, nec bonam fidem exigit; Praescriptio autem parit dominium, seu jus proprietatis, et respicit personas particulares, ac bonam fidem requirit. Antoine in notis quaest. 5. de Legib.

Q. Quaenam dotes requiruntur ad Consuetudinem, ut vim Legis adquirat, vel Legis obligationem destruat?

R. Plures, 1. Ut sit honesta, seu rationabilis, non secus ac Lex. Est autem honesta, seu rationabilis, quando non est Juri Divino, vel naturali contraria, quando peccandi licentiam, vel occasionem non praebet; neque est expresse a Jure reprobata, aut in contemptum Legis introducta, aut bono communi perniciosa; nam tunc diceretur abusus, et corruptela. Benedictus XIV. de Synod. lib. 13. cap. 5. n. 5.

2. Ut consuetudo introducatur a Communitate perfecta, vel a majore, et saniore parte ejus, per actus positivos, liberos, notorios ac frequentes exercitos cum animo introducendi Consuetudinem: Hujusmodi sunt: Si illi, qui violant Consuetudinem, puniantur, vel saltem redarguantur, vel uti praevaricato-

res habeantur a ceteris, qui Consuetudinem observant. 2. Si materia Consuetudinis bono communi sit utilis. 3. Si uniformiter Consuetudo observatur a Communitate, vel a majore ejus parte. 4. Si ita Viri prudentes, et docti communiter sentiant. Antoine.

3. Ut ad Consuetudinem concurrat tacitus Principis, sive Superioris consensus, qui praesumitur, quando Princeps, vel Superior non contradicit, cum contradicere possit, vel saltem concurrat consensus juridicus, et legalis, qui nimirum (verba sunt Benedicti XIV.) *habetur per Leges, et Canones omnem Consuetudinem Populi moribus inductam approbantes, eique vim tribuentes abrogandi legem.* Antoine.

4. Ut Consuetudo sit praescripta, seu continuata sine interruptione per tempus legitimum, Superiore non contradicente.

Q. Quodnam tempus requiritur ad praescribendam Consuetudinem?

R. Si Consuetudo contra Legem nondum receptam introducta sit per conniventiam Legislatoris, hoc est sciente, et dissimulante Legislatore, nullum determinatum tempus necessarium est, ut ait Benedictus XIV. loc. cit. n. 5., sed sufficiunt pauci actus a Superiore tolerati, ut praesumatur Legislatorem velle suam Legem revocare, et nolle obligare Communitatem, cui sua Lex displicet. Idemque dicas de Consuetudine eodem modo introducta contra Legem jam receptam, vel Consuetudine praeter Legem, ut ait P. Hennus Tract. de Legibus disp. 3. quaest. 17. art. 3.

Si autem Consuetudo introducta sit per praescriptionem, seu Legislatore consuetudinem ignorante, distinguendum est: si Consuetudo est praeter, vel contra Legem civilem, sufficit decennium; nam hoc tempus vocatur longum in Jure civili, sufficiens ad praescribendum: vel Consuetudo est praeter Legem Ecclesiasticam, sive Canonicam, aut contra Legem Ecclesiasticam nondum receptam, et etiam juxta communiorem sententiam, sufficit decennium. Denique si Consuetudo est contra Legem Ecclesiasticam jam receptam, et obligantem, litigant DD. aliqui enim putant requiri spatium quadraginta annorum, quia hoc tempus requiritur ad praescribendas res Ecclesiae, et proinde etiam ejus jura. At alii verisimilius, quibus adhaerere videtur. Bened. XIV, putant sufficere decennium, nam Jus Canonicum ad declarandam Consuetudinem legitime praescriptam longum tempus exigit. At Jus civile, et Doctores gravissimi decennium tempus longum esse censent: ergo dicendum, quod decennium sufficiat, Antoine, Cuniliati.

Q. Consuetudo praeter Legem habetne vim Legis, ita ut in Conscientia obliget?

R. Maxime, semper ac suis sit praedita dotibus. Ita DD. communiter ex communi Ecclesiae, et Sanctorum Patrum sententia, et praesertim Augustini epist. 36. ibi: *Mos populi Dei, et instituta Majorum pro lege sunt tenenda, et sicut praevaricatores legum divinarum, ita et contemptores consuetudinum coercendi sunt.* Patet etiam ex L. 32., et 33. de Lege. Idem dicendum de Consuetudine hujusmodi non adhuc legitimo tempore praescripta, si ei accedit Principis, vel Superioris consensus, etiamsi tacitus. Antoine.

Q. Consuetudo contra Legem eximitne ab obligatione Legis?

R. Consuetudo contra Legem naturalem, et divinam; quia Consuetudo non est, sed abusus, et corruptela, ut ait Gregorius XI. Cap. ultimo de

Consuetud., non eximit ab earum obligatione, quia eas abrogare non potest. D. Thomas. 1. 2. q. 97. art. 3. ad 1. At Consuetudo contra Legem humanam, si suas habeat dotes, sane abrogat illam, et proinde ab ejus obligatione eximit. Patet ex jure Civili L. 32. D. de Legibus, et ex Jure Canonico cap. ultimo de Consuetudine. Patet denique ex ratione, quia semper ac habetur Consuetudo suis praedita dotibus, adest consensus saltem legalis Superioris volentis, Legem suam non amplius obligare. Antoine.

Neque huic doctrinae obstant Textus cap. 3. de Consuetudine, ibi: *Consuetudo, quae Canonicis obviat institutis, nullius debet esse momenti.* Et Cap. 8. de senteut., et re judicata ibi: *licet usus, vel Consuetudinis non minima sit auctoritas, numquam tamen veritati, aut Legi praejudicat:* non obstant, inquam; nam hi textus vel alii, si qui sunt, intelligendi videntur de Consuetudine, quae est contra rectam rationem, sive Legem naturalem, vel divinam: vel de consuetudine, quae suas non habet dotes.

Q. Peccantne illi, qui Consuetudine nondum legitime praescripta, agunt contra Legem?

R. Maxime nam revera Legem obligantem violant. Excipe, si ita agant, quia viri docti, ac pietate praediti credunt, Legem esse inutilem, vel nimis onerosam, et difficilem, et proinde non obligare. Vel quia statim post Legem editam, subditi exceptionem rationabilem proposuerunt Legislatori, qui deinceps subditorum instantiis, cum posset, non satisfecit, et ipsi proinde contra Legem agere coeperunt, et prosequuntur: nam his casibus praesumitur Legislator velle suam Legem revocare. Cuniliati.

Q. Quid si dubitetur, an Lex sit per Consuetudinem contrariam abrogata?

R. Subditus adhuc tenetur Legem observare, quia Lex est in possessione obligandi, donec non constet, eam fuisse abrogatam, praeterquam quod in dubiis tutior pars est eligenda. Antoine.

Q. Consuetudo rationabilis, et legitime praescripta potestne abrogari per Legem contrariam posteriorem?

R. Maxime, si justa de causa abrogetur ex Cap. 1. de Constit. in 6.: et ratio est, quia si Superior, sive Legislator Legem priorem Lege posteriori potest abrogare a fortiori Consuetudinem, cum non sit robore majori praedita Consuetudo, quam Lex. Adverte tamen, quod pro abrogatione consuetudinis locorum specialium, vel personarum favorem spectantis, requiritur expressa mentio in Lege posteriori derogante Consuetudinem. Ex Cap. 1. de Constitution. in VI. Antoine. Cuniliati.

§. III. *De Legis interpretatione, et Epikeja*

Q. Quid est interpretatio Legis, et quotuplex?

R. Interpretatio est verbi, vel sensus obscuri in Lege contenti clarior expositio: quae sit fiat ab ipsomet Legislatore, vel ejus Superiore, aut Successore, vel ejus Ministro, v. g. Judice, Commissario etc. dicitur *Authentica* interpretatio: si fiat a communi subditorum usu, dicitur interpretatio *Usualis*, de qua habetur Cap. 8. de Constitution: *Optima legum interpres est Consuetudo.* Denique si fiat ab hominibus doctis, prudentibus, et piis,

dicitur interpretatio *doctrinalis*. Datur et alia interpretatio, quae fit per aequitatem, et dicitur *Epikeja*. Antoine.

Q. Quaenam Lex admittit interpretationem?

R. Omnis Lex, tum naturalis, tum positiva. Quoad primam patet: Christus enim Matth. 5. Legem naturalem explicavit, et Ecclesia ex potestate sibi a Christo tradita, controversias circa sensum Legis naturalis ortas plerumque diremit, v. g. non licere pejerare ad vitandam mortem, non licere aliquem occidere ad custodiendam famam, honorem etc. Quoad secundam etiam patet; nam Ecclesia saepe sensus Christianae Legis obscuros declaravit, et Judices Leges tum civiles, tum Canonicas obscuras, vel ambiguas explicarunt. Habert.

Q. Quam vim habeat interpretatio Legis?

R. Si authentica est, et debite promulgata, habet vim Legis, quia procedit ab eadem potestate legislativa vel directe, vel indirecte. Hinc L. 9. et seq. C. de Legibus, et cap. *inter alia*, de sent. excomm. habetur, *quod ejus sit Legem authentice interpretari, cujus est Legem condere.* Idem dic de interpretatione usuali, quia oritur ex Consuetudine, quae vim Legis habet. Si autem doctrinalis est, non habet vim Legis, sed ei adest major, vel minor probabilitas, prout major, vel minor erit qualitas, et numerus Doctorum interpretantium. Ant., Layman.

Q. Quaenam regulae sunt observandae in Legis interpretatione?

R. Plures, quarum prima est, ut interpretatione attendatur ad proprietatem, et communem acceptionem verborum, quando verba sic accepta nec sensum absurdum reddunt, nec Legem inutilem, vel injustam. Antoine, Layman.

2. Si de mente Legislatoris constat, secundum eam Lex interpretanda; si autem non constat, mens Legislatoris intelligenda est ex antecedentibus, vel subsequentibus verbis, et materia Legis ex fine, et circumstantiis ejus, ex usu etc. Quod si nec etiam ex his mens Legislatoris comprehenditur, fiat interpretatio juxta Jus commune ex L. *Praeceptum* C. de appellation... Antoine, Layman, Collet.

3. Si agatur de Lege poenali, in dubio stricte facienda est interpretatio, L. 42. ff. de poenis, et ex Regul. Juris 49. in VI. Ita etiam in Lege onerosa, et exorbitante, vel limitante. Si autem agatur de Lege favorabili, interpretatio lata, et benignior facienda est, ex Regul. 16. Juris in VI.: *Odia restringi et favores convenit ampliari.*

4. Si Lex generaliter, et indefinite loquatur, generaliter, et indefinite ejus verba interpretanda sunt, praesertim in favorabilibus. Hinc effatum illud: *Ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus*, argum. L.8. de publician. etc.

5. In Lege positiva non est facienda extensio de casu ad casum in Lege non comprehensum, licet concurrat eadem, et forsan major ratio; quia si illum casum comprehendere voluisset Legislator, expressisset. Cap. 2. de translatione Episcoporum. Unde in Jure aliud axioma: *In Jure positivo non licet argumentari ex paritate rationis.*

Q. Danturne casus, in quibus in interpretanda Lege positiva fieri potest extensio de casu expresso ad casum non expressum, concurrente tamen eadem ratione?

R. Maxime: et primus est, si agatur de correlativis, hinc si in Jure aliquod dispositum est de emptore, potest extendi, etiam ad venditorem etc.

2. Est, si agatur de aequiparatis secundum Regulas Juris: sic si alicui die jejunii concessum est edere ova, potest etiam edere lacticinia, nam haec in Jure aequiparantur cum ovis.

3. Si agatur de connexis, seu inter se subordinatis: sic cui testamentum facere licet, licet et facere codicillum: sic cui factio testamenti prohibetur, prohibetur etiam factio codicilli.

4. Si aliquod injustum, vel absurdum sequatur, nisi Lex extendatur ad alium casum non expressum.

5. Si in judicio agatur de casu in Jure non deciso, tunc enim Judicis prudentia exigit, ut ad illum definiendum petat argumentum a similibus decisis. L. 12. ff. de Legibus. Layman, Antoine.

Verum adverte, quod Lex poenalis juxta communem Doctorum sententiam, non extenditur ad casus in ea Lege non comprehensos etiamsi eadem concurrat ratio; quia poenae sunt restringendae, non autem ampliandae, uti supra dictum est. Concina.

Q. Quid est Epikeja?

R. Est prudens, et benigna Legis interpretatio, qua casus aliquis particularis creditur ob aliquas circumstantias, excludi a Lege generaliter lata, et proinde Lex in eo casu creditur non obligare. D. Thomas 1. 2. q. 96. art. 6.

Q. In quo differunt interpretatio, et Epikeja?

R. Differunt in hoc: nam interpretatio explicat verbum obscurum Legis, vel ejus sensum non satis notum, Epikeja vero mentem Legislatoris, interpretando, non fuisse Legislatoris voluntatem comprehendere illum casum particularem ratione alicujus circumstantiae in sua Lege generali. Concina.

Q. In quibus locum habere potest Epikeja?

R. In illis Legibus, quae licet generice recta, et justa constituant, in aliquo tamen casu particulari possent a rectitudine, et justitia deficere. D. Thomas. 2. 2. q. 120. a. 1. Cajetanus ibid.

Hinc cum Jus naturale stricte sumptum contineat, praecepta quae universaliter recta sunt, et in nullo casu deficere possunt a recta ratione, uti sunt praecepta colendi Deum, non mentiendi, non adulterandi etc. non admittit Epikejam.

Jus autem naturale permissivum, et late sumptum, cum contineat praecepta, quae licet universaliter recta sint, possunt tamen in aliquo particulari casu a rectitudine deficere, admittit Epikejam. Sic etiam, quia Jus positivum obligat ad ea, quae pluribus recta sunt, et utilia, sed in casu particulari noxia aliquando esse possunt, ideo in illo habet etiam locum Epikeja. D. Thom. 2. 2. quaest. cit. art. cit. : dixi, *quia Jus positivum obligat;* quia si loquamur de Jure positivo infirmante, non admittitur in eo Epikeja, nisi de voluntate Legislatoris clare constet. Jus enim positivum infirmans, seu irritans praescribit formam substantialem actus, et proinde, ista deficiente, actus subsistere non potest. Hinc per Epikejam non est dicendum validum matrimonium contractum sine praesentia Parochi, vel testium; eo quia maxime urgebat necessitas. Layman de Legibus.

Q. Estne licitus Epikejae usus?

R. Maxime, quia Epikeja ordinatur ad hoc, ut, posthabitis verbis Legis,

attendat Subditus ad mentem Legislatoris, et ad id, quod possit in casu particulari recta ratio, et utilitas communis. Immo et aliquando usus Epikejae necessarius est, tunc scilicet, cum attendere ad verba legis idem est, atque voluntati Legislatoris adversari. D. Thomas loc. cit. uti esset; si adimplendo legem juxta generalem sui positionem, justitia, vel bonum commune violetur, vel offendatur alia gravior Lex, v. g. naturalis, vel divina. In his enim casibus praesumitur, quod Legislator nolit obligare. Layman.

Q. Quid, si dubitetur, an aliquis casus a lege excludatur?

R. Tunc locum non habet Epikeja, sed interpretratio, quae ad Legislatorem pertinet ex cap. 51. de sentent. excomm. Quod si Legislatorem quis adire non potest pro interpretatione, nec potest uti Epikeja, sed Legem adimplere tenetur, cum tutiorem debeat eligere partem. D. Thomas loc. cit., Layman loc. cit.

§. IV. *De dispensatione Legis.*

Q. Quid est dispensatio Legis?

R. Est exemptio ab obligatione Legis concessa alicui pro casu particulari, et ex certa caussae cognitione ab habente legitimam potestatem, salva remanente ejusdem Legis obligatione quoad totam communitatem.

Dicitur, *Exemptio ab obligatione Legis,* quia hic est dispensationis effectus, ut dispensatus non teneatur servare Legem, quamvis Lex invariata remaneat, ceterosque obliget.

Dicitur, *concessa alicui*, sive personae individuae, sive Collegio, Communitati etc. quae in Jure persona ficta censetur.

Dicitur, *Pro casu particulari*, quia dispensatio non subtrahit dispensatum ab omni lege, sed a Lege particulari, et in casu particulari, sic dispensatus die jejunii a carnis comestione, non proinde dispensatus est ab unica comestione.

Dicitur, *Ex certa caussae cognitione*, quia Legis dispensatio non est concedenda, nisi ex justa caussa Superiori dispensandi perspecta: ex Cap. *Necessaria*, caus. 1. q. 7.

Dicitur *Ab habente legitimam potestatem*, quia dispensatio est actus jurisdictionis, quae nonnisi in legitima potestate reperitur, cum ejus sit legem dispensare, cujus est legem condere.

Dicitur denique, *Salva remanente etc.*, quia licet dispensatus eximatur ab obligatione Legis, reliqui tamen de Communitate obligationi legis obnoxii remanent. Antoine, Habert.

Hinc dispensatio differt ab absolutione censurarum, quia absolutio a censuris non tollit Legis vinculum, sicut dispensatio, sed solum tollit censurae ligamen. Differt a licentia, quia Superior dans licentiam, non aufert Legis obligationem, uti aufert dispensando, sed solum dat facultatem agendi, tribuens conditionem, sub qua Lex per se non obligat; uam lex fertur sub imbibita conditione,*nisi Superior licentiam praebuerit aliter agendi.* Differt denique a privilegio, quia privilegium non est semper contra jus, sed plerumque praeter jus; dispensatio autem semper est contra jus. Insuper privilegium est permanens. Dispensatio vero non est permanens, sed pro aliqua circumstantia personae, loci, temporis etc. perdurans. Layman, Antoine, Concina.

Q. Quotuplex est dispensatio ?

R. Multiplex: alia enim est totalis, et integra, et est illa, qua Legis obligatio tota relaxatur, ut dispensatio irregularitatis pro ordinibus, beneficiis, dignitatibus recipiendis, administrandis etc.;alia est particularis, qua scilicet relaxatur, obligationis pars, v. g. dispensatio irregularitatis ad solos ordines recipiendos etc.

Alia item expressa est, alia tacita. Prima est, quae fit verbis expressis, quae dispensationem indicant. Secunda est illa, quae fit aliquo facto, vel signo, ex quo mens Superioris apparet, quod hic, et nunc dispensare velit, et equivalet dispensationi expressae, si superior ita se gerit in propria lege, et cum scientia ejus, quod agitur. Hinc si Pontifex scienter ordinet eum, quem scit esse irregularem, vel litteras dimissoriales tribuat ei ad ordines recipiendos: tacite cum eo dispensare videtur.

Q. Si superior videat legem suam violari et tacet, cum facile possit contradicere, et arguere; videturne tacite dispensare ?

R. Aliqui affirmant.Sed verisimilius videndum, quod non censeatur dispensare; quia ad dispensationem requiritur voluntas Superioris concessiva, non autem praesumptiva, vel permissiva. Praeterea haec Superioris tolerantia est iudicium valde dubium de mente Superioris, quod velit dispensare ; cum possit absque animo dispensandi, tolerare violationem legis suae ex metu gravi, reverentiali, ex debilitate animi, ex conniventia etc. Ad dispensationem vero non est satis judicium dubium, sed requiritur judicium moraliter certum, quod Superior dispensare velit. Concina, Collet.

Q. Potestne quis eximere se ab obligatione legis, eo quia certo credit, quod Superior ratam habeat hanc suam exemptionem, vel certo concedat, si petatur dispensatio ?

R. Minime, nam exemptio ab obligatione legis, est quaedam legis vulneratio, ut ajunt DD.,et proinde odiosa est, et restringenda. Praeterea voluntas futura Superioris, qui creditur certo dispensaturus, sciendo dispensationis indigentiam, vel ratam habiturus legis violationem, cum sciet, non potest producere effectum praesentem exemptionis ab obligatione legis ; sicut et lex futura non potest inducere obligationem praesentem , et actualem. Layman ; Concina , Collet.

Q. Daturne in Legislatore humano potestas dispensandi ?

R. Maxime: patet et 1. ad Corinthios cap. 9. *dispensatio mihi credita est.* Hinc pene innumera reperiuntur dispensationum exempla in Jure Canonico, in Conciliis, et praesertim in Tridentino Sess. 25. cap. 18. de reform. Vide D. Thomam 1. 2. quaest. 97. art. 4.

Q. Quotuplex est potestas dispensandi?

R. Duplex, ordinaria, et delegata. Prima est, illa, quae competit alicui ratione sui muneris: et ex ordinaria potestate dispensat ipse Legislator, ejus Successor, et Legislatoris, vel Successoris Superior. Secunda est illa, quae alicui competit ex concessione habentis facultatem ordinariam: quae duplex est a Jure, et ab homine. Dicitur a jure, si Jus alicui talem facultatem delegat: quae si in perpetuum concedatur, et alicui dignitati, vel officio adnexa sit, aequiparatur ordinariae potestati: ex Cap. *Quoniam Abbas,* de officio delegati. Dicitur ab homine, si Superior dispensandi facultatem alicui tribuat. Layman.

Q. Facultas dispensandi delegata expiratne morte delegantis, vel ejus amotione?

R. Vel est concessa per modum purae commissionis, vel mandati, in favorem determinatae causae, vel personae, et tunc mortuo, aut amoto delegante, expirat facultas, si res integra est, scilicet caussa non adhuc incepta est: Cap. *Relatum*, de offic. delegati, et Cap. *Sicut*, de Praebendis in VI. donec causa absoluta fuerit, et negotium expeditum. Vel est concessa per modum gratiae in favorem delegati, et absolute, et sine ulla determinatione temporis, vel personae, et tunc non expirat, quia cum talis facultas concessa sit per modum gratiae, et beneficium sit, debet esse permanens. Cap. *Si tibi absenti*, de Praeb. in VI. Layman.

Q. In quibus Legibus potest Summus Pontifex dispensare, et in quibus celeri Ecclesiarum Praelati?

R. Potest Summus Pontifex dispensare in omni Jure Ecclesiastico tum universali, tum particulari, sive a se condito sive a suis Praedecessoribus: item in decretis Conciliorum ad Fidem non spectantibus, et etiam in Constitutionibus Apostolicis sola apostolica auctoritate latis, v. g. in Constitutione de jejunio quadragesimali, in Constitutione de non ordinandis bigamis etc., quia plenitudinem habet Apostolicae dignitatis: unde Benedictus XIV. lib. 9. de Synod. cap. 4. n. 7. sic. ait: *Pontifex habet supremam auctoritatem sibi a Christo Domino collatam relaxandi, et immutandi, cum opus fuerit, quamcumque Legem Ecclesiasticam.*

Dixi, *In Legibus Apostolicis sola potestate apostolica latis*; quia si sermo sit de Canonibus, quos a Christo auctore acceptos Apostoli promulgarunt, v. g. de parvulorum baptismate, de confirmandis baptizatis etc., vel de Constitutionibus, quae etsi Canonicae sint, continent tamen praecepta Legis naturalis, vel divinae, Pontifex non potest in eis dispensare, quia, cum sit inferior, dispensare non potest in Lege Superioris, scilicet Dei, et Christi. Collet. Antoine.

Celeri Ecclesiarum Praelati, uti Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi etc. possunt dispensare in Legibus a se latis, vel a suis Praedecessoribus, vel in Synodis suis, et quidem independenter a Capitulo, et Clero, quia sunt veri Superiores, quibus sicuti competit jus condendi Leges, ita et jus in eis dispensandi. Concina, Antoine.

Q. Quinam possunt dispensare in Legibus in Concilio Provinciali latis?

R. Singuli Episcopi de Provincia pro suis subditis, et in propria Dioecesi, sicut et Archiepiscopus pro, et in sua Dioecesi. Ita enim fert Consuetudo, et praesumitur, quod talis sit voluntas ipsius Concilii. Excipe, si aliqua Lex reservetur dispensanda ipsi Concilio, quia tunc nec Episcopi, nec Archiepiscopus possunt in ea dispensare, sed solum vel ipsum Concilium, vel Summus Pontifex. Antoine.

Q. Potestne Archiepiscopus dispensare in Legibus Episcopi sui suffraganei?

R. Minime: nam Archiepiscopus non est directus Episcopi Superior, neque ejus dioecesanorum, sed habet solum circa eos jurisdictionem quamdam, cum actu visitat Dioecesim suffraganeam, aut cum ad eum legitime appellatum fuerit. Antoine.

Q. Vicarius generalis potestne dispensare in Lege sui Episcopi?

R. Minime, nisi habeat expressam ab Episcopo facultatem, quia Vicarius generalis non est Episcopo aequalis, sed inferior. Potest autem Vicarius Capitularis, quia hic omnem Episcopi defuncti jurisdictionem assequitur. Cap. unic. de majorit., et obed.

Q. Delegatus ad dispensandum potestne alium subdelegare?

R. Minime ex regula generali Juris: *Delegatus nonpotest subdelegare*: et ratio est, quia delegatus potestatem dispensandi accipit non ut dominus, sed ut simplex executor. Excipe, si delegatus acceperit ab Ordinario delegante facultatem expressam subdelegandi, vel si delegatus fuerit Papae, vel alterius supremi Principis, et ei interdicta non fuerit subdelegatio. Cap. ult. de offic. deleg.

Q. In quibus casibus praesumitur tacite Episcopis concessa a Summo Pontifice facultas dispensandi in Jure Communi Ecclesiastico?

R. In istis: et 1. quando in Lege Pontificia dicitur in ea dispensari posse, uti legitur in Cap. *Postulasti*, de Cleric. excomm., ubi Clerico excommunicato beneficia ecclesiastica retinere prohibetur, nisi fuerit cum eo misericorditer dispensatum. Layman, Suarez, Cuniliati.

2. Si agatur de re levi, aut de re frequenter occurrente, ut si agatur de dispensatione circa alicujus festi observantiam, jejunium, horas Canonicas etc.; nam non est verisimile velle Pontificem gravare Christifideles, ut pro rebus parvi momenti vel frequenter occurrentibus, ad ipsum recurrant; esset enim hoc onus nimis durum. Concina, Layman, Collet, Cuniliati.

3. Si Lex lata sit tantum pro una Provincia, vel Dioecesi. Tunc enim facultas conceditur respective Archiepiscopo, vel Episcopo dispensandi in ea; quia cum hujusmodi Lex bonum publicum determinati loci respiciat, congruum videtur, ut ejus loci Superior dispenset juxta necessitatis, vel alterius circumstantiae exigentiam. Concina.

4. Si dispensationis necessitas urgeat, et periculum sit in mora nec pateat accessus facilis ad Summum Pontificem, vel ejus Legatum. Layman, Concina, Collet.

5. Si consuetudine legitime praescripta Episcopus dispensandi facultatem adquisiverit; quia Consuetudo legitima jus facit. Idem dicendum de aliis Superioribus inferioribus. Quare Parochus ex Consuetudine potest cum suis Parochianis dispensare in festi alicujus observantia, ut alicui operi servili ex aliqua justa causa vacent. Concina.

Q. In dubio potestne Episcopus dispensare in Lege Pontificis?

R. Si dubium est facti, seu objectum dispensationis dubium est, potest quia cum reservatio dispensationis sit odiosa, nam derogat Juri Episcoporum, nonnisi ad casus absolute, et moraliter certos extenditur. Quare si dubitetur, an aliquis sit irregularis, potest cum eo dispensare Episcopus. At si dubium est juris, hoc est, patet quod quis sit irregularis, sed dubitatur, an possit cum eo dispensare Episcopus, hic dispensare non potest, sed recurrendum est ad Pontificem; quia Lex certa per potestatem incertam tolli non potest. Collet.

Q. Quibuscum Legis dispensatio fieri potest?

R. Cum propriis Subditis tantum: quia dispensatio est actus jurisdictionis, quae nonnisi cum subditis exerceri potest. Quare Episcopus non po-

test Legis dispensationem impertiri extraueo, qui in sna Dioecesi reperitur, uti Viator, vel Peregrinus; quia proprie subditus non est. Excipe, si necessitas aliud exigat; quia tunc Episcopos cnm extraoeo potest legis obligationem suspendere, donec ad proprinm Episcopnm recurrat. Collet.

Q. Potestne secum dispensare Legislator, vel alius, qui facultatem habet dispensandi?

R. Maxime potest: nam Snperior non est inferioris conditionis qnam subditus, sed, ut aliqui dicnot, indirecte, scilicet coocedendo alteri potestatem dispensandi, nt hic postea secom dispenset, vel directe etiam ut alii volunt, scilicet immediate secnm dispeosando, quia dispensatio pertinet ad jurisdictionem voluntariam, quae non exigit distioctionem personarnm dispensatoris, et dispensati, sicut exigit jurisdictio contentiosa, et coactiva, quae exigit distinctionem Judicis, et delinqnentis. Antoine, Concina.

Q. Ad dispensandum requiriturne caussa?

R. Maxime, nam dispensatio vulnus Legis est, qnod sine cansa fieri iniquum videtur, patet etiam ex Concilio Trideotino Sess. 15. cap. 58, ubi dicitnr: *Non esse dispensandum in legibus, et Canonibus, nisi ex urgenti, et justa caussa.*

Q. Quaenam potest esse justa dispensandi caussa?

R. Triplex generatim esse potest: oempe pietas, necessitas, et ntilitas, tnm communis, tum etiam privata petentis dispensationem, vel alterius personae.

Q. Dispensatio sine caussa concessa estne licita?

R. Minime, qnia imprudeos est, et irrationabilis; a commnni eoim onere eximit eom, qni eximendus non est. Hinc qui sioe justa canssa dispensat, Legis dissipator dicitur, et ex genere snò graviter peccat; et qnidem 1. contra caritatem, qoia praebet illis scaodalnm, sive aditnm ad Legem infriogendam, et proinde occasionem peccati. Snbditi enim ceteri facile potaot sibi etiam licere, qnod dispensatns sine ulla canssa facit. 2. Peccat cootra justitiam, quia omnis Legislator tenetnr ex justitia Legis soac observantiam procnrare; nam ex jostitia tenetur procurare bonum commooe, ad quod lex tendit. Coocina.

Q. Dispensatio sine caussa estne saltem valida?

R. Si inferior dispeosat in Lege Superioris sine caussa; dispensatio nulla est, nam Superior non praesnmitur communicare ei facultatem dispensandi irratiooabiliter, sed dispensandi prudenter. hoc est, ex debita, ct rationabili caussa. Si autem Dispensator in Lege sua dispcnsat sine caussa, si ignorans dispensat, nnlla est dispensatio; qnia semper praesnmitnr quod dispensare velit ex debita caussa, et nolit Legem dissipare: si autem scienter sine canssa dispensat; probabilios est, ut ait Benedictns XIV. lib. 13. de Synod. cap. 5. n. 7., quod valida sit dispensatio; qnia tota legis obligatio a volnntate Legislatoris dependct: quare si Legislator aliqucm eximit ab obligatione Legis snae, valide eximit. Collet, Cuniliati.

Q. Peccatne Subditus, qui sine sufficienti caussa dispensationem petit?

R. Maxime: tnm qoia petit rem irrationabilem, et bono commuoi noxiam, tnm quia inducere vult Superiorem ad actum ex genere suo malnm, et graviter illicitnm hinc graviter ex genere suo peccat tum contra justitiam, tum contra caritatem. Quod dicendum est etiam, si hnjusmodi dispen-

sationem ultro sibi a Superiore oblatam acceptet subditus; nam peccato Superioris cooperatur. Cuniliati, Antoine, Concina.

Q. Quid si subditus utatur dispensatione, quam sine sufficienti caussa obtinuit?

R. Peccat, et non quidem contra Legem, in qua fuit dispensatus, si dispensatio supponatur valida, sed contra jus naturae, quatenus indebite ipse tamquam pars non conformatur universo suo, scilicet Communitati, et indebite se subtrahit ab onore Legis, cui Communitas obnoxia est. Quare peccat eadem specie peccati, cujus est violatio illius Legis, pro qua dispensatum est, et peccat etiam contra caritatem ratione scandali, quod ceteris praebet. Collet, Antoine, Cuniliati.

Dixi, *Non contra Legem, in qua fuit dispensatus;* quia Lex illa per dispensationem cessavit simul cum poenis, et censuris, si quae erant ei adnexae. Quare si subditus utatur dispensatione sine caussa obtenta pro Lege, quae censuram habebat adnexam, censuram non contrahit. Cuniliati; Antoine, Collet.

Q. Quid si caussa sufficiens dispensationis adsit, sed non cognoscitur a dispensante, quando dispensat?

R. Peccat Dispensator, quia effective vult Legis dispensationem: at valide dispensat, nam voluntatem habet dispensandi, et sufficiens dispensandi caussa a parte rei subsistit, Concina, Collet. Dispensatus vero non peccat utens dispensatione.

Q. Quotuplex esse potest caussa dispensationis?

R. Duplex: altera, quae dicitur finalis, seu motiva, et altera: quae dicitur impulsiva. Prima est illa, quae movet principaliter Dispensatorem ad dispensandum, et sine qua Dispensator non dispensaret, vel saltem dispensaret cum aliquibus adjunctis, et limitationibus. Secunda est illa, qua facilior redditur dispensatio, et sine qua Superior difficiliter dispensaret eadem forma, et eodem modo, quo dispensavit. Antoine, Collet.

Q. Quandonam dispensatio dicitur subreptitia, et quando obreptitia?

R. Subreptitia dicitur, cum in petitione dispensationis reticetur aliqua veritas, quae ex Juris dispositione narranda esset; obreptitia vero vocatur, cum in petitione dispensationis exponitur aliqua falsitas, et ideo dispensatio obtinetur. Collet.

Q. Dispensatio subreptitia, vel obreptitia estne valida?

Si subreptio vel obreptio est circa caussam finalem, seu motivam, nulla est dispensatio, etiamsi sine dolo, et inculpabiliter obtineatur: quia Superior non intendit dispensare, nec revera dispensat, nisi sub his conditionibus: *si preces veritati nitantur: si vera sint exposita: si nihil ex iis, quae exprimenda sunt, reticeatur.* Cum autem subreptitia est dispensatio, vel obreptitia circa caussam finalem, voluntas dispensatoris non verificatur: proinde nec valida est dispensatio. Patet ex Cap. 7, de fine instrum.

Si autem subreptio, et obreptio est circa caussam impulsivam, dispensatio valida est, quia licet ruat caussa accidentalis, remanet tamen caussa motiva dispensationis. Collet.

Q. Quandonam subreptio, vel obreptio, intrat in caussam finalem?

R. 1. Quando occultatur aliquod, quod de jure, vel stylo Curiae, vel ex praxi, et consuetudine exprimendum esset. 2. Si exprimatur falsitas talis,

quae moveat principaliter Dispensatorem ad dispensandum, et sine qua nullatenus dispensaret, vel saltem non tali modo, et forma. 3. Si ex duabus caussis pro obtinenda dispensatione expositis, una tantum vera sit, quae tamen non est sufficiens sola ad impetrationem dispensationis rationabilem. 4. Si legis vinculum, pro quo petitur dispensatio, sit certum, et proponatur uti dubium, licet justa caussa dispensationis exponatur.

Q. Valetne dispensatio obtenta, si in petendo eam expressum non fuit, quod alias fuit sibi denegata dispensatio?

R. Affirmative, nam talis expressio neque a Jure, neque ex stylo Curiae, vel pravi requiritur. Excipe tamen, si dispensatio denegata fuit a Superiore, et postea ab inferiore sub eadem caussa concedatur, nam tunc nulla censetur; quia Superior denegando dispensationem judicavit ejus caussam esse irrationabilem, et non sufficientem, et proinde tacite intendit auferre inferiori facultatem dispensandi sub illa caussa. Collet.

Q. Quid si dispensatio per metum gravem concedatur?

R. Semper ac justa, et rationabilis caussa dispensationis adsit, et Dispensator voluntatem habeat dispensandi, valida est dispensatio; quia metus voluntarium minuit, sed non tollit. Metum tamen injuste incutiens peccat graviter ob injuriam, quod dispensatori infert, sed potest uti dispensatione sic obtenta, nisi dispensator eam revocaverit. Concina.

Q. Cessante causa finali, cessatne dispensatio?

R. 1. Si caussa finalis cessat, seu non subsistit tempore petitionis, sed habetur tempore concessionis, valida est dispensatio, quia ex justa caussa movetur Dispensator ad dispensandum; licet petens, petendo sine caussa, peccaverit.

2. Si aderat caussa tempore petitionis, sed deerat tempore concessionis, dispensatio nulla est; quia Dispensator non intendit dispensare, nisi ob caussam rationabilem, quae ei exponitur.

3. Si dispensatio non conceditur a Superiore directe, sed committitur inferiori concedenda, v. g. a Pontifice committitur Episcopo, vel ab Episcopo committitur Parocho, si caussa non adest eo tempore, quo datur commissio; vel si adfuit tempore commissionis, deest tamen cum commissarius dispensat, dispensatio nulla est, quia cessante caussa finali mandati, cessat mandatum, quando res integra est: cap. 30. de Praeb. in VI. Praeterea datur facultas dispensandi Commissario sub hac conditione sive expressa, sive tacita: *Si vera sint exposita;* unde si veritas deest, deest etiam facultas dispensandi.

Q. Quid si post rite impetratam a Superiore dispensationem, vel ab ejus Commissario, ante dispensationis usum cesset caussa finalis?

R. Licet aliqui contrarium sentiant, probabilius alii cum Sanchez credunt, dispensationem irritari; nam in omni dispensatione praesumitur subintellecta conditio: *modo caussa finalis permaneat tempore executionis, sive usus dispensationis;* non enim praesumitur Superior velle Subditum ab onere universalis Legis eximere, si justa, ac rationabilis causa non existat actu, quo obligatio legis urget, cum Superior non possit hoc licite velle.

A fortiori haec doctrina tenenda est, si dispensatio cadat super praeceptum, quod habet obligationem successivam; quia tunc sicut successiva est obligatio, ita et successiva supponitur dispensatio, et virtualiter multiplex,

ac proinde, ut successivum habeat effectum suum, successiva debet esse ejus caussa finalis. Hinc si Sacerdos fuit dispensatus a recitatione horarum canonicarum, quia caligabant oculi sui, et post aliquot annos lucem claram miraculose adeptus fuit, consurgit in eo obligatio recitandi horas canonicas, quia cessavit dispensatio.

Hic tamen nota, quod si dispensatio rite, et recte obtenta fuit pro aliquo impedimento matrimonii, vel irregularitatis, aut inhabilitatis, et executioni demandata est, dispensatio non cessat, si postea cesset caussa ejus finalis, quia impedimentum legitime sublatum per dispensationem, non reviviscit. Hinc si Clericus obtinuit dispensationem super irregularitate ad ordines recipiendos ratione paupertatis, et Sacerdos factus est, non tenetur abstinere a celebrando, etiam si post sacerdotium dives factus sit. Antoine, Concina, Collet.

Q. Cessatne dispensatio per mortem Dispensantis?

R. Si dispensatio absolute concessa est, quae dici solet gratia facta, non cessat per mortem Dispensantis; quoniam dispensatio isthaec comparatur donationi, quae facta, et acceptata, durat etiam post mortem Donatoris. Et hoc verum est, etiamsi res est integra, seu dispensatio non sit adhuc executioni demandata: Cap. *si cui nulla*, de Praeb. in VI. Hinc facultates illimitatae concessae, quae jurisdictionem contentiosam non respiciunt; uti sunt litterae dimissoriae, facultas audiendi confessiones sacramentales sive unius, sive multorum, absolvendi a censuris in foro interiori, vel a reservatis; item commutandi vota, juramenta, vel in iisdem dispensandi celebrandi Missam in Oratorio privato, aliaeque id genus gratiosae concessiones, non expirant morte Concedentis; quia sunt gratiae factae, et absolute concessae. Concina, Collet, Cuniliati.

Si autem dispensatio alligata est alicui conditioni, v. g. *donec nobis placuerit, ad arbitrium nostrum, ad nostrum beneplacitum etc.*, dispensatio ista cessat morte Concedentis: quia sicut per mortem Concedentis cessat ejus beneplacitum, et arbitrium, sic et facultas ac dispensatio. Nisi vigeat Consuetudo, uti in Ecclesia Neapolitana, quod nisi Successor expresse revocet enunciatas facultates, censetur durare, neque cessare morte Concedentis. Item si dispensatio alicui commissa fuit, et exequenda in favorem alterius, quae dici solet gratia facienda, si res integra est, hoc est negotium non adhuc inceptum est, expirat morte concedentis; quia mandatum, re integra, domini morte finitur ex citat. cap. *Si cui* et ex cap. *Relatum*; de offic. et potest. Judicis delegati. Verum in utroque casu si ante mortem Concedentis inceptum fuit negotium circa quod versabatur dispensatio, seu dispensationi datum fuit aliquod initium, potest Commissarius prosequi usque ad complementum, cap. *Si cui nulla* citat. ex cap. *Relatum*. citat. Collet, Layman, et Cuniliati.

Q. Cessatne dispensatio per revocationem?

R. Cessat quidem, si revocatio facta sit ab ipsomet Legislatore, vel ejus Successore, vel Superiore, quia sicuti isti jurisdictionem habent ad dispensandum ita et ad revocandam dispensationem; et hoc verum est, etiamsi revocatio injusta fuerit, licet in tali casu revocans graviter ex genere suo peccet, quia dispensatio injuriam infert. Concina. Si autem revocatio fiat ab inferiore, cum dispensatio rite impertita fuit a Superiore, haec non ces-

sat, quia revocatio facta est sine ulla jurisdictione. Quod si inferior ex justa caussa, vel ex commissione Superioris rite, recteque dispensavit in Lege Superioris, nulla est etiam revocatio, si postea revocet, sine justa ac urgenti caussa, quia sicut dispensare non poterat sine justa, et urgenti causa, et sine consensu Superioris saltem tacito: ita et revocare non potest sine illius dispensatione. Concina, Salmanticenses.

Q. Cessatne dispensatio per renunciationem?

R. Maxime, si fiat renunciatio ante executionem dispensationis, et sine ullo damno tertii, et Dispensator renunciationem acceptet. Dixi, *sine ullo damno tertii*, quia si fiat cum damno tertii nulla est renunciatio, quia nemo debet sine caussa, et injuste alteri damnum inferre. Dixi, *si Dispensator acceptet*, quia si iste non acceptat dispensationis renunciationem, dispensatio non irritatur. Renuntiatur autem dispensationi vel expresse, vel tacite, si scilicet ponat aliquam actionem dispensationi contrariam, vel non utatur per longum tempus dispensatione, cum utendi occasio pluries ei oblata fuerit. Concina.

§. V. *De Privilegio*

Q. Quid est Privilegium?

R. Est immunitas, sive facultas concessa a legitimo Superiore ex justa caussa permanenter alicui aliquid agendi, vel non praestandi contra, vel praeter legem.

Dicitur, *immunitas,* quia quis per privilegium eximitur a Lege communi, et facultatem habet aliter agendi, ac a Lege praescribitur.

Dicitur, *concessa a Superiore legitimo*, quia nonnisi Superior legitimus privilegium concedere potest, sicut potest et ferre Legem.

Dicitur, *ex justa caussa:* nam privilegium sine justa caussa concessum irrationabile est, et indebitum, praesertim si sit contra Legem.

. Dicitur, *permanenter alicui concessa*, quia privilegium non est facultas transiens ad unum casum, vel actum, sed facultas permanens, et perdurans ad plures actus instar Legis.

Dicitur *agendi aliquid*, *vel non praestandi etc.*, quia privilegium hoc efficit: vel ut privilegiatus agat contra Legem, uti est privilegium. S. Cruciatae vescendi ovis, et lacticiniis tempore vetito: vel ut non praestet aliquid, uti est privilegium non solvendi decimas, vectigalia etc.: vel ut faciat aliquid praeter legem, uti privilegium absolvendi a censuris, a reservatis, dispensandi in votis etc.

Q. Quotuplex est privilegium?

R. Multiplex; nam aliud est scriptum, si scriptura consignatum sit: aliud non scriptum, si voce concessum est: aliud consuetudinarium, illud nempe, quod Consuetudine legitima adquisitum est: aliud personale, si personae concedatur directe, et in favorem ejus: aliud reale, si alicui concedatur relate ad rem aliquam, v. g. dignitatem, locum: aliud gratiosum, quod scilicet ex mera gratia conceditur: aliud remuneratorium, quod confertur in gratiam alicujus officii praestiti: aliud denique temporale, quod nempe confertur ad tempus determinatum: aliud perpetuum, quod scilicet est in perpetuum duraturum. Layman.

Q. Quinam potest privilegium concedere?

R. Superior ille, qui potuit legem condere, quia privilegium est Lex privata, qua eximitur subditus a Lege communi, quam ipse Superior condidit. Et hinc est, quod Superior in iis tantum rebus privilegium concedere potest, de quibus disponendi jus habet. Caniliati, Layman.

Q. Quibusnam potest Privilegium concedi?

R. Subditis: quia sicuti istis legitime intimatur Lex, sic et istis potest privilegium concedi. Potest tamen aliquando privilegium concedi extraneo, si Superior concedens privilegium, habet jurisdictionem supra materiam, pro qua concedit privilegium. Antoine.

Q. Potestne privilegiatus uti privilegio extra territorium Concedentis?

R. Si privilegium est personale, et non aliter a Concedente dispositum est, neque est contra speciale statutum territorii, ubi reperitur, uti potest; quia privilegium personale adhaeret personae, et proinde eam comitatur, quocumque ierit. Si autem locale est, uti non potest tali privilegio extra locum designatum, quia extra illud non habet robur privilegium. Layman, Collet. (1)

Q. Privilegium quomodo est interpretandum?

R. Si privilegium est contra Jus stricte interpretandum est, quia odiosum, et odia restringenda sunt, ex Regula Juris. Excipe, si privilegium concessum sit in favorem caussae piae, vel publicae, vel religiosae, vel si concessum sit motu proprio Concedentis. Si vero privilegium est praeter Jus, sive ultra Jus, quia est mere gratia, ac beneficium, late interpretandum est, nam favores sunt ampliandi. Cap. *Quia circa* de Privilegiis. Excipe, si hoc privilegium in alterius praejudicium cedat; nam tunc stricte interpretandum est, et servata verborum forma. Layman. Ubi nota, quod privilegium non plus operatur, quam verbis exprimitur, et si aliquod dubium exurgat, explanandum juxta regulas, quae expositae sunt pro interpretatione legis. Item nota, quod privilegium interpretandum est ita, ut non sit onerosum privilegiato, et potius illi aliquid tribuat, quam auferat, juxta regulam 61. Juris in VI.: *Quod in gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.* Layman.

Q. Potestne in privilegii interpretatione fieri extensio ad alias personas, actus etc.

R. Minime, etiam si simillima occurrat ratio: nam privilegium non operatur ultra id, quod in eo continetur. Excipe 1. Si aequiparatio juris talem

(1) Ex S. Ligorio Privilegiatus non tenetur regulariter loquendo uti Privilegio. *Reg. 61. Jur. in VI.* Sed excipiendum est 1. Si non utendo, grave damnum Proximo inferret: hoc tamen intellige si per se, non vero consequenter: ex.gr. si Confessarium habeat privilegium absolvendi a peccatis reservatis, post auditam confessionem tenetur eo uti. *Vide Salm. tr. 18. c. 1. n. 11. cum aliis.* 2. Si privilegium cedat in bonum commune, quemadmodum est Privilegium Immunitatis, quo unusquisque tenetur uti. *ex cap. Si diligenti de foro competenti.* 3. Si privilegium tollat impedimentum ad observandum praeceptum: ex. gr. Si infirmus habet domi oratorium privatum, et facile potest audire Sacrum, tenetur privilegio uti. *Suar.* c. 35. 4. 8. etc. Si privilegium non est personale, sed reale addictum loco, vel Dignitati, vel Statui, quemadmodum sunt privilegia concessa Episcopis, et Regularibus. Theol. mor. appendix 11. de Privilegiis, §. III.

extensionem exigat. Hinc privilegium Episcopis concessum a Trid. Sess. 24. cap. 6. dispensandi in irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus excepto homicidio voluntario, extenditur etiam ad eos, qui Episcopo in jurisdictione aequiparantur. 2. Si extentio fiat ad ea, quae privilegio per se, et ordinarie accessoria sunt: nam qui concedit privilegium, praesumitur velle concedere ea omnia, quae requiruntur ad usum privilegii. Arg. L. 2. ff. de jurisdictione omnium Judic. 3. Si extensio sit necessaria ad hoc, ut privilegium non reddatur frustraneum; nam privilegium ita interpretandum est, ut aliquod concedat, quod Juri communi concessum non est. L. 1. ff. ad municipalem, et cap. *In his*; de Privilegiis.

Q. Cessatne Privilegium morte Concedentis?

R. Si privilegium fuit absolute concessum, ita ut dicatur gratia facta, non expirat morte Concedentis, quia gratiam jam obtenta est, et semel obtenta perdurat. Si vero privilegium non fuit absolute concessum, sed sub conditione; v. g. *Usque dum voluerimus: ad nostrum beneplacitum etc.:* Cessat privilegium per mortem concedentis. Argumento L. 4. ff. de locato, quia cessat ejus voluntas, et beneplacitum. Item si privilegium fuit alteri commissum, ut concedatur, et nondum fuit concessum, morte principalis concedentis extinguitur, quia dicitur gratia facienda, quae morte concedentis expirat, si res integra sit. Layman.

Q. Quibus modis cessat privilegium?

R. Pluribus modis, et 1. Expirat, elapso tempore, si privilegium fuit ad tempus concessum. 2. Cessante caussa finali, ex qua obtentum fuit privilegium. 3. Cessante conditione sub qua impetratum fuit. 4. Si privilegium versum sit in grave aliorum detrimentum, si scilicet ex rerum, vel circumstantiarum mutatione, privilegium iniquum, et injustum factum est. 5. Si privilegium cedat in damnum notabile privilegiati. 6. Per renunciationem privilegiati, si privilegium tantum in sui favorem concessum fuit, et renunciando neque ei, neque alteri damnum sequatur. 7. Per non usum legitimo tempore praescriptum, si occasio data fuit utendi, et non usus est. 8. Per abusum privilegii, cum scilicet ex privilegio peccandi occasionem sumit; nam privilegium meretur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate Cap. *Ubi* dist. 74. 9. Per revocationem Concedentis, ejusque Successoris, vel Superioris, si privilegium fuit mere gratiosum: nam si fuit remuneratorium, vel conventionale, nempe concessum ex aliquo pacto, vel onere, non potest revocari, nisi ex gravi caussa ad bonum publicum pertinente, et quidem cum aliqua compensatione juris ablati, nisi facta sit revocatio ob aliquod delictum privilegiati. Layman. Et haec satis de legibus.

TRACTATUS IV.

DE PECCATIS IN GENERE, ET IN SPECIE

Legis transgressio peccatum vocatur ex D. Augustino lib. I. de consens. Evang. cap. 4. Quare post Tractatum de Legibus congruum est, ut de peccatis agatur.

CAPUT I.

De natura, divisione, distinctione, et gravitate peccatorum

Q. Quid est peccatum?

R. Ex D. Augustino contra Faustum lib. 22. cap. 27: *est dictum, factum, concupitum contra Legem Dei aeternam* Hanc definitionem adoptat etiam D. Thomas 1. 2. q. 97. art. 6.

Dicitur, *Dictum, factum, concupitum*, ut denotetur per haec verba materia peccati: nempe actus humanus malus qui esse non potest, nisi dictum factum concupitum, et ut intelligatur etiam, quod tribus modis peccatum committi potest, scilicet ore, opere, et corde.

Dicitur *contra Legem Dei aeternam:* ut per haec verba denotetur forma peccati: nempe ejus malitia, quae consistit in hoc, quod sit contra Legem Dei aeternam. D. Thomas. loc. cit.

Q. Haec definitio competitne peccato?

R. Maxime, nam 1. convenit peccato originali, quia factum fuit a nobis voluntarie, non formaliter, et per modum exercitii, seu actualiter, sed virtualiter, et in caussa morali, quatenus voluntates nostrae continebantur in voluntate Adami omnium hominum Capitis. Concina.

Convenit 2. peccato habituali, quod licet non sit hic, et nunc factum, dictum, concupitum, fuit tamen aliquando factum, dictum, concupitum; tunc scilicet, cum commissum fuit. Concina.

Convenit 3. peccato omissionis, quia, ut ait D. Thomas loc. cit. *Affirmatio et negatio reducuntur ad idem genus, et ideo pro eodem est accipiendum dictum, et non dictum: factum et non factum.* Praeterea quando quis omittit exequi id, quod tenetur exequi, revera dicitur agere contra legem, quae praecipit executionem rei praeceptae, et proinde omissio censetur moralis operatio contra legem. Antoine, Cuniliati.

Convenit 4. peccato, quod fit contra Legem positivam sive divinam, sive humanam; nam sicut omnis Lex positiva ab aeterna Dei Lege ortum trahit, et robur, sic et omnis Legis positivae transgressio est violatio Legis aeternae. Cuniliati.

Convenit 5. peccato veniali, nam eadem Lex aeterna quae prohibet peccatum grave, prohibet peccatum leve, quia prohibet omnem Dei injuriam sive gravem, sive levem. Cuniliati.

Q. Quotuplex est peccatum?

R. Multiplex. Nam aliud est originale, aliud est personale. Primum est illud, quod ex protoparente Adamo per carnalem propagationem trahitur, juxta effatum Apostoli ad Romanos cap. 5: *Per unum hominem peccatum in hunc Mundum intravit; et per peccatum mors, et ita in omnes homi-*

nes mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Secundum, seu personale est illud, quod propria peccantis voluntate committitur.

Q. Quotuplex est peccatum personale?

R. Multiplex. Porro vel est actuale, vel habituale. Actuale est violatio actualis Legis, sive agendo quod Lex prohibet, sive omittendo quod Lex praecepit. Habituale est ipsummet actuale praeteritum moraliter perseverans, et non adhuc per poenitentiam retractatum. Vel, ut aliis placet, est peccati macula remanens in Anima ex actu malo commisso non retractato.

Q. Quid est peccati macula?

R. Licet alii aliter sentiant, attamen rectius, est privatio Gratiae cum ordine, ad actum praeteritum malum. Quae duo efficit: primum, ut ex tali macula obscuretur splendor ex lumine rationis dirigentis consurgens: secundum, ut obscuretur etiam splendor ex Divina Gratia, et ex lumine supernaturali Fidei oriens. Et quia peccator per peccatum grave avertitur a Deo, et convertitur ad creaturas, efficit etiam macula ista, ut peccator Dei inimicus remaneat. Ex peccato etiam veniali aliqua macula inducitur, per quam minuitur caritatis fervor, et nitor bonorum actuum aliquo modo obnubilatur. Concina, Collet, Stampò.

Peccatum actuale item vel mortale est, vel veniale. Primum est gravis Divinae legis transgressio, quae privat Animam gratia sanctificante, et Dei inimicam constituit, atque poenam aeternam meretur, Secundum est levis transgressio Divinae legis, quae amicitiam Dei non dissolvit, neque Animam privat Gratia sanctificante, et poenam temporalem meretur. Collet.

Peccatum etiam aliud est cordis, nempe corde, sive interiori voluntate committitur, et completur, uti pravum desiderium, odium, ira, invidia, haeresis interna, judicium temerarium etc: aliud est oris, quod scilicet lingua, seu verbis committitur, uti turpiloquium, perjurium etc. aliud est operis, illud nempe, quod opere perficitur, uti furtum, adulterium etc.

Praeterea, licet peccatum omne Deo sit injuriosum, et proinde sit contra Deum, ratione tamen virtutum, quae per peccatum laeduntur, Peccatum dici potest, quod aliud sit contra Deum, aliud contra Proximum, et aliud contra seipsum. Peccatum contra Deum dicitur illud, quo offenditur Deus directe, et immediate, cum nempe violatur virtus, quae Deum vel pro objecto immediato habet, uti est Fides, Spes, et Caritas, vel directe respicit, uti Religio: Peccatum contra Proximum dicitur illud, quo specialiter Proximum respicit, uti est justitia, misericordia etc.: Peccatum contra seipsum dicitur illud, quo peccator seipsum offendit, seu violat virtutem, quae respicit seipsum, et versatur in regendo sui ipsius passiones, uti temperantia, fortitudo etc. Cuniliati.

Peccatum etiam vel est commissionis, vel omissionis. Primum est illud, quod committitur violando praeceptum negativum, seu agendo, quod prohibitum est: v. g. furtum. Secundum est illud, quod committitur violando praeceptum affirmativum, non agendo, quod praeceptum est, v. g. non sanctificando diem festum. Stampò, Concina.

Peccatum simul, vel est spirituale, vel carnale. Primum est illud, quod spirituali delectatione committitur, uti superbia etc. Secundum est illud, quod carnali delectatione consumatur, uti est luxuria, gula etc. Stampò Concina.

Peccatum pariter vel dicitur ex infirmitate, et est illud, quod ex passione procedit, puta ex gravi tentatione, gravi concupiscentiae motu. Vel dicitur ex ignorantia, et est illud, quod oritur ex ignorantia, vel inadvertentia vincibili, et culpabili. Vel dicitur ex malitia, quod nempe nulla, vel levi tentatione praecedente, sed ex electione mali, aut ex passione voluntarie excitata, aut ex ignorantia affectata, aut ex habitu malo praedominante committitur. D. Thomas, Cuniliati. Stampò.

Peccatum praeterea vel proprium est, vel alienum. Proprium dicitur, cum ab ipso peccatore committitur. Alienum vero vocatur, cum ab alio commissum sibi imputatur, vel quatenus non impedivit, cum tenebatur, et poterat impedire, vel quatenus positive ad peccatum alterius concurrit cooperando. In his enim casibus videtur esse caussa moralis peccati, et in illud virtualiter saltem consentire.

Potest autem quis peccato alieno gravari his modis, qui his versiculis comprehenduntur, et in Tractatu de Restitutione alia de caussa enunciantur.

Jussio, Consilium, Consensus, Palpo, Recursus.

Participans, Mutus, non obstans, non manifestans.

Scilicet jussione, sive mandato = Consilio, hoc est, suasione, hortatione, instructione = Consensu, nempe consentiendo, suffragando = Palpone; hoc est laudatione, adulatione, exprobratione = Recursu, hoc est patrocinio, favore, cooperatione, exemplo, occasione, scandalo. Denique silentio vitioso, dissimulatione, omissione correctionis, vel instructionis, vel debitae denunciationis, quae comprehenduntur ultimis versiculi verbis Cuniliati, Antoine.

Denique peccatum ab aliquibus dividitur in Philosophicum, et Theologicum. Philosophicum dicitur: Actus humanus disconveniens naturae rationali, ac rectae rationi repugnans, quatenus committitur ab homine advertente in peccando solum disconvenientiam actionis ad rectam rationem, non autem repugnantiam ad Legem aeternam, et offensam Dei, ac proinde, licet gravis, et turpis sit actio, non est tamen Dei offensiva, et ejus amicitiam dissolvens aut digna suppliciis aeternis. Dicitur hoc peccatum philosophicum, quia Philosophus potissimum ad rectam rationem intendit, et convenientiam considerat actionis, vel disconvenientiam ad naturam rationalem.

Peccatum theologicum autem est libera transgressio Divinae Legis, seu actus humanus Dei offensivus, ejusque amicitiam dissolvens, et aeterna poena dignus, utpote qui patratur ab eo, qui in peccando advertit tum ad deformitatem actionis, tum ad Legis violationem, et offensam Dei. Dicitur theologicum, quia ad Theologum spectat haec omnia in peccato considerare. Cuniliati, Stampò.

Q. Daturne peccatum philosophicum ?

R. Minime. Docet enim D. Thomas 1. 2. qu. 61. art. 6. ad 5. Quod licet nos duplicem in peccato malitiam distinguere valeamus, quod nempe peccatum rectae rationi incongruens sit, et naturae rationali proinde disconveniens, ut quod sit offensa Dei, ac violatio Legis Divinae, non possumus tamen alteram malitiam ab altera divellere, nam quod naturae rationali, difforme, et disconveniens est, eo ipso lege etiam Divina naturali prohibitum est, et quidquid Lege Divina naturali prohibitum est, per se, et intrinsece naturae rationali disconvenit. Quare dum aliquod naturae rationali di-

sconveniens agimus, in Legem Divinam simul offendimus, et e contrario. Hinc sicuti nullum potest esse peccatum rectae rationi dissonum, quin sit Legi aeternae repugnans, et Deum offendat, sic nullum peccatum philosophicum, quod non sit etiam theologicum, inveniri poterit. Cuniliati, Stampò.

Jure ergo merito tanquam scandalosa, et erronea damnata fuit ab Alexandro VIII. propositio ista: *Peccatum philosophicum, seu morale est actus humanus disconveniens naturae rationali, et rectae rationi, Theologicum vero, et morale, est transgressio libera divinae legis. Philosophicum quantumvis grave in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque aeterna poena dignum.*

Q. Peccata suntne omnia ejusdem speciei moralis?

R. Minime, quia peccata tunc dicenda sunt ejusdem moralis speciei, cum eamdem habent malitiam, ac difformitatem cum recta ratione; sed hoc verum non est pro omnibus peccatis, quia pleraque malitiam specialem, et essentialiter diversam habent; nam non omnia eodem modo opponuntur legi aeternae; nec eadem ratione naturae rationali disconveniunt; dicendum proinde, quod peccata non sunt omnia ejusdem speciei moralis; sed alia ab aliis specie distinguuntur. Antoine.

Q. Undenam desumitur distinctio specifica peccatorum?

R. Desumitur ex oppositione, quam habet actio mala diversis virtutibus, vel diversis ejusdem virtutis officiis, vel eidem virtuti modo notabiliter diverso. Et ratio est, quia peccatum rationem peccati accipit ex oppositione, quam habet cum Lege aeterna, et recta ratione. Oppositio autem haec specifice, et essentialiter diversa est, quando diversis opponitur virtutibus, vel diversis ejusdem virtutis officiis, vel eidem virtuti, modo notabiliter diverso; ergo. Similiter peccatum specie, et essentialiter diversum est, quando adversatur diversis virtutibus vel diversis ejusdem virtutis officiis, vel eidem virtuti modo notabiliter diverso. Collet, Stampò, Concina.

Hinc haeresis, et desperatio sunt peccata specie distincta, quia prima opponitur Fidei, altera opponitur Spei. Perjurium, et superstitio specie distinguuntur, quia diversis religionis officiis adversantur; nam exigit Religio, ut Deus summa veritas invocetur, uti testis rei justae, et verae, et contra hoc facit perjurium. Exigit item Religio, ut Deus cultu debito honoretur, et Cultus ei debitus creaturae non deferatur, et contra hoc facit superstitio. Furtum, et homicidium sunt specie diversa, quia diverso modo justitiam violant; furtum scilicet tollendo rem alienam, invito rationabiliter domino; et homicidium injuste tollendo vitam. Collet.

Q. Distinctio specifica peccatorum potestne desumi etiam ex eorum circumstantiis?

Nota 1. Circumstantia peccati dicitur illa qualitas, quae advenit peccato per accidens, atque in ejus malitiam influit. Dicitur, *qualitas:* nam circumstantia supponit peccatum, quod sine circumstantiis subsistere potest; dicitur, *quod in ejus malitiam influit;* quia ex D. Thoma 1. 2. qu. 7. art. 2. Circumstantia, quae non influit in moralitatem actionis, circumstantia moralis non est. Hinc quod quis hominem pulchrum, vel deformem occiderit, circumstantia moralis non dicitur; nam haec circumstantia in actionis moralitatem non influit, ut supponimus.

2. Circumstantiae septem numerantur ex D. Thoma 1. 2. qu. 7. hoc versiculo contentae.

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Quis indicat personam agentis, ejusque statum, conditionem, et qualitatem; v. g. Si turpia commisit laicus, vel Sacerdos, solutus, vel uxoratus, consanguineus cum consanguinea etc.

Quid denotat objectum peccati, et objecti qualitatem, conditionem, ac quantitatem, v. g. si occidit extraneum, vel consanguineum, vel Clericum, si furatus est decem, vel centum, si cum periculo vitae, infamiae, scandali, si furatus est rem sacram, rem pauperis etc. Collet.

Ubi significat locum, in quo commissum est peccatum; v. g. homicidium si commissum sit in Ecclesia: si peccatum commissum sit in loco publico etc. Collet.

Quibus auxiliis significat instrumenta, et media, et adjutores, quibus est commissum peccatum; quis occidit hominem veneficio, veneno etc. sollicitavit virginem ad turpia metu gravi, vi, turpibus actibus, dolo, lenone.

Cur significat finem extrinsecum agentis, ob quem commissum est peccatum, v. g. furatus est ad se inebriandum, ad donandum meretrici, abusus est re sacra ad superstionem etc.

Quomodo significat modum peccandi, v. g. si habuit copulam cum meretrice extra vas, vel modo improprio, si peccaverit ex malitia, ex iguorantia culpabili, si ex prava consuetudine, occasione proxima, ex contemptu formali, odio, invidia, etc. Collet.

Quando denotat tempus, quo commissum est peccatum, v. g. si copula fornicaria habita fuit tempore, quo erat solutus, vel uxoratus, vel Subdiaconus. Si peccatum turpe commisit Sacerdos, quo tempore audiebat confessiones, vel Sacrum faciebat, vel gestabat sacram Eucharistiam; si taberna frequentata sit die festo etc. Collet.

3. Peccati circumstantia alia dicitur mutans, alia aggravans, alia denique minuens peccati malitiam. Mutans dicitur illa, quae peccato addit novam malitiam specie distinctam a malitia intrinseca, quae actui peccaminoso inest; et proinde circumstantia mutans dicenda est, quando adjungit peccato aliam novam oppositionem diversae virtuti, vel eidem virtuti modo notabiliter diverso, v. g. quis occidit Clericum, in tali homicidio habetur circumstantia personae mutans; nam praeter malitiam homicidii, quae opponitur justitiae, habetur ex circumstantia personae malitia sacrilegii, quae opponitur Religioni.

Aggravans dicitur illa, quae auget malitiam peccati intra eamdem speciem. Quae triplicis generis est; nam alia est leviter aggravans, quae scilicet ad malitiam mortalem non addit, nisi malitiam venialem, uti si pro aliquo furto materia gravis essent duo caroleni; quis furatus est duos carolenos cum dimidio. Alia est notabiliter aggravans, quae scilicet addit malitiam mortalem actioni jam mortali, ut si quis furatus sit centum aureos. Alia denique dicitur aggravans in infinitum, et est illa, quae transfert peccatum veniale in mortale. Stampò, Concina.

Minuens denique est, quae malitiam actionis minuit, ut necessitas gravis in furto, ignorantia vincibilis non affectata, ob quam commissum est peccatum etc.

R. Distinctio specifica peccatorum desumitur etiam ex circumstantia, quando haec est mutans; nam ista actioni moraliter pravae addit novam, atque specialiter distinctam malitiam, quia specialem repugnantiam, et difformitatem habet cum lege aeterna, ac recta ratione. Concina.

Q. Distincio specifica peccatorum potestne desumi etiam ex diversitate praeceptorum?

R. Maxime, quando praecepta sunt diversa inter se, non quatenus a diversis Superioribus procedunt, uti est homicidii prohibitio a Jure naturali, Divino et humano proveniens; sed quatenus procedunt a diverso motivo formali proximo, seu fine intrinseco, seu diversa virtute. Peccatum namque repugnans diversis praeceptis a diversis virtutibus ortis, seu a diverso motivo formali proximo, diversam, ac distinctam habet malitiam, quia distinctam, ac diversam cum recta ratione, et Lege aeterna habet difformitatem. Sic Beneficiatus sacro ordine initiatus omittens recitare horas canonicas, duplex peccatum specie distinctum committit, quia violat duplex praeceptum, alterum proveniens ex justitia, et alterum a Religione. Concina

Q. Peccata distinguuntur ne numero?

R. Maxime: quia, si specie distinguuntur, distinguuntur etiam numero; nam distinctio speciei necessario secum fert distinctionem numericam. Item peccatum, quod est ejusdem malitiae, ac difformitatis, potest repeti, ac multiplicari.

Q. Undenam desumitur distinctio numerica peccatorum?

R. Distinctio numerica peccatorum (illa scilicet quae solo numero moraliter peccata distinguit, et efficit, ut peccata ejusdem speciei numero moraliter multiplicentur) desumitur 1. ex numero objectorum, ad quae tendit peccatum, sive internum sit, sive externum, dummodo objecta sint integra, totalia, et inter se distincta. Hinc tot sunt numero distincta peccata, etiam in uno, eodemque physico actu, quot sunt illius objecta integra, totalia, ac numero distincta; et ratio est, quia licet actus sit physice unus, laedit tamen jura singulorum objectorum; ac proinde quot numero distinctae laesiones, tot numero distincta peccata. Collet.

Quare si quis unico actu centum aureos centum dominorum surripit, centum committit peccata, quia centum jura laedit. Qui veneno familiam decem personarum extinguere cupit, decem peccata committit ex eadem ratione.

2. Si sermo sit de actibus internis, distinctio numerica peccatorum, seu multiplicatio actuum desumitur etiam ex eorum interruptione, ita ut tot habentur peccata numero distincta, quot sunt actus pravae voluntatis interrupti, et resumpti.

Q. Quandonam actus pravae voluntatis dicuntur interrupti moraliter; et quotuplici modo interrumpuntur?

R. Dicuntur moraliter interrupti, quando nec formaliter, et in se, nec virtualiter, et in aliquo effectu perseverant, ita ut posterior actus non potest dici effectus actus prioris.

Interrumpuntur autem primo formaliter, seu per voluntatem contrariam, aut voluntariam actus prioris displicentiam. Sic si quis de objecto illicito delectetur, vel aliquod illicitum exequi statuit, aut aliquod malum ponere incepit, at postea rem melius considerans, delectationem, vel propositum, vel opus malum inceptum detestetur; si deinde Diabolica fraude victus resumit,

quod retractavit, novum numero peccatum committit; quia retractatio illa effecit, ut actus retractationem praecedens, et actus subsequens duo distincti actus essent, et proinde duo peccata. Cuniliati.

2. Interrumpuntur virtualiter, et interpretative, idest per voluntariam, atque liberam cessationem ab actu pravae voluntatis: quia cum prior voluntas libere, et voluntarie dimissa fuit, non censetur moraliter continuari, nam aliter esse dimissa, et non dimissa; quod contradictorium est. Hinc si quis temerarie judicat de Proximo suo, sed postea voluntarie a tali judicio se distrahit, at deinde hujusmodi judicium resumit, duo peccata committit. quia sunt duo actus virtualiter distincti.

Item virtualiter, et interpretative interrumpuntur actus pravae voluntatis per voluntariam assumptionem actus sive interni, sive externi incompossibilis moraliter cum priori actu interno pravo; nam censetur agens non amplius velle, quod antea volebat; quare si priorem voluntatem resumat, censetur novus voluntatis actus; et proinde novum peccatum. Hinc si quis statuit inimicum occidere, vel puellam deflorare, ac deinde pravam suam voluntatem, neque detestans, neque dimittens, ad audiendam Missam convertitur, vel ad recitandas aliquas pias preces; postque denuo ad pravam suam voluntatem redit, duo peccata committit; quia actus pravae voluntatis fuerunt virtualiter interrumpti per actum virtutis.

Q. Quid si cessatio ab actu pravo interno non sit voluntaria, et libera, sed naturalis, et involuntaria, v. g. si accidat ob somnum, distractionem notabilem, oblivionem etc.?

R. Dicuntur etiam moraliter interrupti, quia actus interni, quomodocumque sint interrupti, censentur esse in suo esse completi; nam non remanent in se, et formaliter; quia sunt actus transeuntes; non remanent in aliquo effectu, et virtualiter; nam interrupti nullum effectum relinquunt; non habetur ergo aliquid, in quo actus positus ante interruptionem conjungatur cum actu post interruptionem ad efformandum unicum peccatum, sed ad actum subsequentem requiritur nova voluntatis determinatio, et proinde actus censetur novus; et ideo novum peccatum. D. Thomas, Suarez, Cuniliati.

3. Actus interni interrumpuntur per notabilem temporis moram; mora enim notabilis efficit, ut actus ante moram non uniatur moraliter cum actu post moram, cum unus in alio virtualiter non contineatur, et ad actum post moram nova voluntatis determinatio requiratur. Excipe tamen, si actus internus per moram interruptus in aliquo effectu, vel actione externa perseveret, ut peccatum compleatur, tunc enim actus internus per moram notabilem non interrumpitur, dummodo non sit extraordinaria; quia prior actus voluntatis in illo effectu, vel actione externa perseverans conjungitur cum actu post moram resumpto, et continuatur. Hinc si quis statuit occidere inimicum in agro, et cum tali proposito e domo sua egreditur, et dirigit iter ad agrum, at iter faciendo distrahitur diversa cogitans, manducat, confabulatur cum amicis, quos invenit; denique post horas aliquas videns inimicum, voluntatem resumit occidendi, actus pravae voluntatis occidendi inimicum non fuit interruptus, sed in effectu, et actione tendente ad peccati complementum perseveravit, et proinde unum constituit peccatum. Collet, Antoine.

Q. Unde 2. desumitur distinctio numerica peccatorum quoad actus externos pravos?

R. Desumitur ex ipsis actibus in suo esse completis, et ad unius peccati complementum non ordinatis; quare tot sunt peccata, quot actus, etiamsi habeant eumdem finem, quia sunt tum physice tum moraliter inter se distincti. Sic si quis se polluit ex intentione perveniendi ad copulam cum meretrice, et copulam habuit, duo peccata commisit; quia fuerunt duo actus pravi externi in se completi.

At si non sunt in se completi, sed subordinati, et referuntur ad unius operis peccaminosi consummationem, tamquam media, et dispositiones, atque sunt ejusdem difformitatis, et tendunt ad idem objectum, et non intercedit magna temporis mora, unum moraliter peccatum constituunt cum ipso actu principali, ad quem fuerunt directi, quia unica moralis actio censetur; supponitur enim in illis unica voluntatis determinatio virtualiter perseverans. Hinc qui statuit copulam fornicariam habere, et proinde oscula, tactus, verba turpia praemittit, ut media ad illam, unum peccatum committit. Antoine.

Dixi, *atque actus sunt ejusdem difformitatis*; quia si actus illi subordinati habeant difformitatem specie diversam a difformitate actionis; ad quam diriguntur, tunc sunt peccata specie, et numero distincta. Quare si quis per dolum inebriat mulierem reluctantem, ut ad eam in ebrietate carnaliter accedat, tria peccata committit specie, et numero distincta; quia, etsi dolus et ebrietas sint actus subordinati tendentes ad idem objectum, nempe copulam, sunt tamen diversae difformitatis; nam dolus opponitur justitiae, ebrietas temperantiae, et copula castitati.

Dixi, *et tendunt ad idem objectum*; quia si tendunt ad objectum diversum, actus illi sunt inter se numero distincti; non enim subordinantur alteri, ut faciant unum cum actione principali. Sic si quis post habitam copulam fornicariam, novas habeat delectationes morosas, oscula, tactus etc. haec sunt peccata numero distincta inter se, et a copula antea habita, quia hi actus non tendunt ad idem objectum nempe ad priorem copulam, quae jam completa fuit; sed ad objectum diversum, scilicet ad novam delectationem carnalem, vel ad aliam copulam.

Dixi denique, *si non intercedit magna temporis mora inter eos;* quia si haec intercedit, actus illi censentur moraliter interrupti, et inter se distincti, ac proinde diversa peccata. Antoine, Collet.

Q. Si una, eademque actione, vel omissione plura laedantur praecepta, committunturne plura peccata?

R. Si illa praecepta oriuntur ex diverso motivo formali proximo, sive ex diversa virtute, tunc sicut habentur plura peccata specie distincta, ita et numero, ut supra dictum est. Hinc si quis violet eodem die jejunium, ad quod tenetur ex voto, et tenetur ratione vigiliae, et insuper ex praecepto Confessarii, qui tali die jejunium imposuit pro satisfactione peccatorum, tria peccata specie, et numero distincta committit; quia violat tria praecepta ex diverso motivo formali, sive ex diversa virtute orta, nempe ex virtute Religionis, ratione voti, ex virtute temperantiae, ratione Vigiliae, et ex virtute Poenitentiae, ratione satisfactionis. Si autem plura praecepta oriantur ex eodem motivo formali, seu ex eadem virtute, tunc unicum est peccatum, licet gravius quia illa praecepta unam, eamdemque honestatem intendunt, ac proinde si violentur, unam eamdemque difformitatem inducit violatio. Hinc si quis violet jejunium die quadragesimae in quem cadit etiam dies vigiliae,

et dies quatuor temporum, unum peccatum committit, licet gravius; nam illa tria praecepta scilicet quadragesimae, vigiliae, et quatuor temporum, oriuntur ex eadem virtute temperantiae. Antoine.

Q. Peccata cordis, oris, et operis circa idem objectum, suntne peccata specie, et numero distincta?

R. Si haec peccata, alterum alteri, sunt subordinata, ac sunt veluti dispositiones, et media ad actum principalem, seu opus; tunc illa unum specie, et numero peccatum constituunt cum actu suo principali, quia censetur unica actio moralis. At si non referuntur ad eumdem actum principalem, sed assumuntur cogitationes, et verba tamquam principalia, quatenus agens in singulis persistere vult, et non ultra progredi, licet paulatim ex cogitatione descendat ad verba; ex verbis denique ad opus, tunc peccata cordis, oris, et operis sunt peccata specie, et numero distincta, quia licet laedatur una eademque virtus, laeditur tamen per diversum modum, diversamque difformitatem; nam aliter opponitur eidem virtuti cogitatio, aliter verbum, et aliter opus.

Hinc si quis turpiter cogitans de muliere praesente, eum ea turpiter loquatur, et tangat, ut eam ad copulam pertrahat, et de facto pertrahit, unum peccatum committit; quia turpis cogitatio, turpia verba, et tactus ad copulam ordinantur, tanquam dispositiones. Contra vero si quis agens cum muliere, hanc turpiter concupiscit, et in hoc desiderio sistit, deinde fervescente libidine, turpiter illam adloquitur, nil cogitans de copula: denique concupiscentia victus, cum ea copulam habet, tria peccata specie, et numero distincta committit. Antoine.

Q. Peccata mortalia suntne omnia aequalis gravitatis?

R. Minime, sed sunt alia aliis graviora. Patet ex Jerem. Thren. 4. *Major effecta est iniquitas filiae populi mei peccato Sodomorum.* Et Joan. cap. 19. *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.* Patet etiam ratione; quia quo nobilior est virtus, quae laeditur, eo gravius est peccatum, quod ei opponitur. Sicut ergo virtutes aequales non sunt, sed aliae aliis nobiliores, sic et peccata, quae eis opponuntur, aequalia non sunt gravitate, sed alia aliis graviora. Collet, Stampò.

Q. Undenam desumitur peccatorum gravitas?

R. Gravitas peccati (quae nihil aliud est nisi mensura malitiae, seu difformitatis, qua peccatum, sive ejusdem, sive diversae speciei: plus minusve naturae rationali, ac Legi disconvenit; plus minusve Deum offendit, et proinde majori, vel minori poena dignum) desumitur ex objecto, fine, et circumstantiis peccati, ita ut quo magis peccati objectum, vel finis, vel circumstantiae sunt naturae rationali, ac legi aeternae difformia, eo magis sunt gravia.

Hinc inferas: 1. Quod actus, qui habet solum objectum pravum, ceteris paribus, est minus gravis, quam actus, qui habet objectum simul, et finem pravum; actus malus, quo est liberior, et intensior eo est gravior; Persona quo magis debet Deo, vel proximo, eo gravius peccatum illius, si contra eos delinquat. Collet, Antoine.

2. Peccata, quae praestantioribus virtutibus directe, et per se opponuntur, regulariter loquendo, ceteris sunt graviora; quia majorem continent difformitatem, et oppositionem cum recta ratione, ac lege aeterna.

Virtutes autem praestantiores sunt: 1. Virtutes Theologicae hoc ordine dispositae, Caritas, Spes, et Fides. 2. Inter virtutes morales Religio, et Poenitentia, quia proximius, quam ceterae Deum respiciunt deinde reliquae sub hoc ordine: Prudentia, Justitia, Fortitudo, Temperantia, et sic etiam virtutes quae ab his procedunt. Quare odium Dei, quod opponitur Caritati, est peccatum gravius desperatione, quae opponitur Spei, et desperatio est gravior actu infidelitatis, quae adversatur Fidei: actus autem infidelitatis gravior violatione voti, quae opponitur Religioni, et violatio voti gravior ebrietate, quae opponitur Temperantiae, et sic de ceteris.

Dixi superius regulariter loquendo esse ceteris graviora peccata illa, que directe opponuntur virtutibus praestantioribus, quia si circumstantiae minus graves eis adnectantur, aut indirecte, et per accidens virtutibus praestantioribus opponantur, nihil prohibet, quod dicantur in comparatione ceterorum minus gravia. D. Thomas 2. 2. qu. 10. art. 3. ad 1. Antoine, Stampò.

CAPUT II.

De Peccato Mortali, et Veniali

Q. Daturne peccatum mortale, et veniale ?

R. Maxime: et patet ex Concilio Tridentino Sess. 6. cap. 11., et Sess. 14. cap. 5. Ex Matth. enim cap. 7. peccata alia assimilantur festucae, et haec sunt venialia, alia assimilantur trabi, et haec sunt peccata mortalia. Item ex Prover. cap. 24. habemus. *Septies in die cadit justus.* Unde infertur, quod si justus dicitur, dum cadit, signum est, quod ejus casus, scilicet peccatum, levis est; nam justus non dicitur qui est in peccato mortali. Contra Apostolus ad Rom. 1. recensendo aliqua peccata, nempe fornicationem, mollitiem, Idolorum servitutem, veneficia etc. subnectit: *Qui talia agunt, digni sunt morte* (scilicet *aeterna*). Collet, Concina, Habert.

Q. In quo differunt peccatum mortale, et veniale ?

R. In pluribus differunt, et 1. peccatum mortale est gravis transgressio Legis, veniale vero est levis Legis violatio, 2. Peccatum mortale avertit hominem a Deo ultimo fine, et convertit illum ad creaturam, unde continet Dei contemptum, saltem virtualem, et privat Animam gratia sanctificante, destruit Dei amicitia, et meretur poenam aeternam, veniale vero non avertit hominem a Deo, neque privat Animam gratia sanctificante, neque Dei amicitiam dissolvit, sed minuit caritatis fervorem, ac poenam temporalem meretur. Concina, Collet, Antoine (1).

(1) Bene hic advertendum id, quod ait *Ronacaglia tr. 2. de peccat. pag. 15. Reg. 1. in praxi*, nempe quod « ubi clarum non est aliquod esse peccatum mortale, non » praeceps sit Confessarius in judicando aliquem transgressorem gravem esse, et » talis peccati reum suum poenitentem pronuntiare. » Etenim valde periculosum est Confessariis damnare aliquid de culpa gravi, ubi certitudo non elucet, ut docuit *S. Thomas Quodlib. 9. art. 15.* dicens: *Omnis quaestio, in qua de peccato mortali quaeritur, nisi expresse veritas habeatur, periculose determinatur.* Et rationem de hac doctrina paullo post adducit, nempe quia *error, quo creditur esse mortale quod non est mortale, ex conscientia ligat ad peccatum mortale.* Quapropter ait *S. Antoninus (p. 1. tit. 2. c. 11. §. 28.) Nisi habeatur auctoritas expressa S. Scripturae, aut Canonis, seu determinationis Ecclesiae, vel evidens ratio, nonni-*

Q. Quotupliciter peccatum potest esse mortale, vel veniale?

R. Dupliciter; nempe per se, et per accidens. Peccatum mortale per se, sive ex genere suo dicitur, quando peccatum ex natura sua mortale est, et independenter a circumstantia aliqua, quae actui advenire potest, uti furtum, homicidium etc. Peccatum mortale per accidens dicitur illud, quod ex natura sua esset leve, sed ex aliqua circumstantia moraliter mala superveniente, fit grave, uti mendacium dictum ex intentione inferendi alteri grave damnum.

Similiter veniale per se, sive ex genere suo, dicitur illud, quod natura sua leve est, verbum otiosum etc, veniale vero per accidens dicitur quando peccatum ex genere suo mortale, fit veniale ratione vel imperfectae advertentiae, vel imperfecti consensus, vel parvitatis materiae.

Item peccatum mortale ex genere suo aliud dicitur ex genere suo non toto, et est illud, quod admittit parvitatem materiae, aliud dicitur mortale ex toto genere suo, et est illud quod non admittit parvitatem materiae. Antoine, Collet.

Q. Qua ratione cognosci potest, an actio indebita sit peccatum mortale, vel veniale?

R. Haec discretio difficillima est: *Delicta enim quis intelligit?* ait Regius Vates Psal. 18.; et D. Augustinus enchyr. cap. 78. *Quae sint leviaquae sint gravia peccata, non humano, sed divino sunt pensanda judicio.* Verum aliquae a Doctoribus traduntur regulae, quibus discernere possumus, quaenam delicta sint peccata mortalia, quaenam venialia; quarum prima est, quod mortale judicandum est, nisi materiae parvitas, vel imperfectio actus excuset, illud opus, quod in sacris Litteris dicitur dignum morte, vel Deo abominabile, vel Regno Coelorum indignum, vel adjunctum habet vae, aut quodpiam simile.

2. Pro mortali habendum peccatum illud, quod traditio Patrum, vel Ecclesiae definitio, vel communis Doctorum sententia, vel ipsa ratio mortale judicaverit.

3. Mortale judicandum peccatum, quod a lege punitur poena gravi; quod continet materiam sive ex sua natura, sive ex Legislatoris intentione gravem, quod malitiam gravem, vel contemptum legis, vel Legislatoris formalem praesefert, et quod vel ipsi agenti, vel Proximo grave damnum infert.

Contra vero, quia oppositorum oppositae sunt rationes, illud veniale dicendum, quod neque ex Scriptura Sancta, neque ex Ecclesiae sensu, neque ex Patrum traditione, vel Doctorum sententia, neque ex aliqua alia circumstantia mortale peccatum judicatur. Collet, Antoine, Stampò.

Q. Quaenam requiruntur ad peccatum in genere?

R. Tria: nempe moralis malitia actionis, vel omissionis, advertentia, et

si periculosissime (peccatum mortale) *determinatur* .... *Nam si determinetur quod ibi sit mortale, et non sit mortale, peccabit contra faciens, quia omne, quod est contra conscientiam aedificat ad gehennam.* Hinc animadvertatur in quale discrimen se immittant illi, qui rigidam doctrinam sectantes facile damnant homines de peccato mortali in iis, in quibus gravis malitia evidenti ratione non apparet, eos sic exponendo periculo damnationis aeternae: et idem dicendum de iis, qui de facili notam laxitatis inurunt sententiis, quae aperte improbabiles non videntur. S. *Ligorius Theol. Mor. de Peccat. in specie Dub.* 1. §. 52.

consensus. Requiritur malitia moralis, hoc est, ut actio, vel omissio vel ratione sui, vel ratione circumstantiae alicujus, sit rectae rationi, vel Legi difformis. Requiritur advertentia, et consensus, hoc est, ut agens, vel omittens agere actualiter, vel virtualiter cognoscat suam actionem, vel omissionem esse rectae ratióni difformem, et nihilominus libere se determinet ad agendum, vel omittendum, vel saltem sibi de actione, vel omissione complaceat. Haec autem requiruntur, quia peccatum tunc imputatur, cum est voluntarium, voluntarium autem non habetur, nisi praecedente advertentia, et consensu. Hinc D. Augustinus lib. de vera Religione 14. ait: *Usque adeo peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium.* Antoine t. 1. n. 138., et t. 2. de peccatis cap. 2. qu. 3. n. 1.

Q. Quid, et quotuplex est advertentia ad peccatum requisita ?

R. Advertentia est sufficiens cognitio malitiae actionis, vel omissionis peccaminosae. Multiplex est, formalis, sive actualis una, virtualis, sive implicita, et interpretativa altera. Prima habetur, cum quis actu, quo actionem, vel omissionem elicit, cognoscit eam esse rectae rationi difformem, atque prohibitam. Secunda habetur, cum quis suae actionis, vel omissionis malitiam moralem potest, et debet advertere, et tamen, ex culpabili negligentia, actu non advertit. Dicitur autem quis posse, et debere advertere, quando aut ipsum objectum praesens, circa quod versatur actio, vel omissio, aut aliquod aliud objectum, vel circumstantia malitiam actionis, vel omissionis sibi habitualiter notae, actu demonstrat, sed quia imprudenter, et inconsiderate agit, prae passione, vel habitu pravo, ipse non advertit. Collet, Stampò, Antoine, Cuniliati.

Advertentia item alia est plena, seu perfecta, alia semiplena, sive imperfecta. Prima est illa quam adhibet homo sui compos, et habens usum rationis expeditum, ita ut, quantum satis est, considerat, vel considerare potest rem, de qua agitur ejusque circumstantias. Altera est illa, quam adhibet homo, qui usum rationis non habet expeditum; nec plene sui compos reperitur: unde rem ad sufficientiam considerare nequit, uti accidit in semidormiente, Cuniliati, Collet (1).

Q. Quid, et quotuplex est consensus ?

R. Consensus est libera acceptatio, et complacentia voluntatis de eo, quod ab intellectu sibi proponitur. Collet de peccatis cap. 4. art. 2.

Multiplex est, et 1. alius est plenus sive perfectus, alius semiplenus, sive imperfectus. Primus est, quem ponit homo plene sui compos, seu habens usum rationis expeditum, ac bene advertens, vel plene advertere potens, ad id, quod agit. Secundus est ille, quem ponit homo non valens plene advertere, sive quia non est plene sui compos, sive quia alio negotio valde distractus. Cuniliati, Collet.

2. Vel est positivus, vel negativus. Primus est cum voluntas expresse acceptat, vel sibi complaceat de eo, quod ab intellectu proponitur. Secun-

(1) Ex S. Ligorio (Lib. V. Theol. Mor. cap. 1. de peccatis in specie n. 54.) Signa imperfectae deliberationis sunt: 1. Si tenuiter, et quasi semidormiens apprehendisti esse malum. 2. Si post, uti melius consideras, judicas te non fuisse facturum, si ita apprehendisses. 3. Si vehementissima passione, apprehensione, vel distractione laborasti, vel turbatus fuisti, ita ut fere nescíveris quid ageres.

dus cum voluntas nec positive probat, nec positive reprobat, nec sibi placet, nec sibi displicet, cum possit, ac debeat illud, quod sibi ab intellectu sufficienter advertente proponitur probare, vel reprobare.

3. Consensus vel est directus, vel indirectus. Primus est, cum voluntas directe in objectum ab intellectu propositum fertur, acceptat, complacet. Alter, qui et Virtualis dicitur, habetur cum voluntas licet directe non feratur in objectum, fertur tamen in aliquod aliud, in quo objectum continetur, vel ex quo scit, vel scire potest, posse oriri, uti si quis non vult directe turpiter loqui, sed vult ebrietatem, ex qua scit, vel scire potest, turpiloquium posse sequi. Collet.

4. Consensus vel est efficax, vel inefficax. Efficax dicitur, cum voluntas malum approbat, et ejus executionem, vel assecutionem intendit, etiamsi illud postea non exequatur vel assequatur. Inefficax dicitur, vel cum voluntas aliquid vult, sed inefficaciter, puta aut desunt sibi media, aut difficilia sunt, et dicitur Desiderium, vel cum voluntas delectatur de objecto malo absque eo, quod ejus executionem, vel assecutionem intendat, v. g. delectatur de occisione inimici occidendi, vel occisi a latronibus; et hic consensus cum delectatione morosa convenit. Collet.

Q. Quaenam requiruntur ad peccatum mortale?

R. Tria, nempe plena advertentia, plenus consensus, et gravitas materiae, seu malitiae: cum enim peccatum mortale sit aeterna poena dignum, requiritur, quod sit delictum plene voluntarium, et revera grave. Antoine, Stampò.

Q. Quaenam advertentia ad peccatum mortale imputabile requiritur, actualisne, vel sufficit virtualis?

R. Non requiritur advertentia actualis, uti quidam somniarunt, nam si requireretur hujusmodi advertentia non peccarent, qui malum agerent ex ignorantia vincibili, vel ex perversa consuetudine, quia isti certo advertentiam actualem non habent, dum peccant. Item non peccarent haeretici, et infideles, qui alieni vivunt a Christi Religione, existimantes actu non solum non peccare, sed obsequium item praestare Altissimo. Sed hoc est facilissimum: ergo non requiritur advertentia actualis; sed sufficit virtualis, quae satis est, ut habeatur voluntarium indirectum, quod sufficit ad peccatum mortale. D. Thomas 1. 2. q. 6. art. 7. ad 3.

Q. Quinam consensus requiritur ad peccatum mortale?

R. Consensus plenus: peccatum enim mortale, utpote quod Dei amicitiam dissolvit, perfectum esse debet in genere suo. Hic autem consensus sufficit, si sit negativus, quia qui sufficienter advertit ad pravos concupiscentiae motus, vel ad turpem, aut illicitam cogitationem, et negative se habet, non positive approbando, nec reprobando illa, cum possit, ac debeat, exponitur periculo proximo consentiendi, et videtur interpretative velle delectationem ex illis accipere. Item sufficit consensus iste, etiamsi sit indirectus: nam voluntas quomodocumque aliquod illicitum vult, opponitur rectae rationi, ac Legi Divinae, quae prohibent malum eligi quocumque modo, vel, acceptari. Hinc ad peccatum mortale committendum non requiritur, ut consensus dirigatur in rem malam directe, sed sufficit, si dirigatur in rem ex qua agens cognovit, vel cognoscere potuit, ac debuit, posse malum oriri. Collet. cap. 4 art. 2. Antoine.

Q. Quibus de causis peccatum ex genere suo mortale potest fieri veniale per accidens ?

R. Tribus de causis nempe vel quia deficit plena advertentia, vel quia deest plenus consensus, vel quia non habetur materiae gravitas ?

Hinc excusantur plerumque a mortali peccato, defectu plenae advertentiae, vel consensus, infantes septennio minores; nam non videntur habere plenam advertentiam malitiae mortalis, ac proinde nec plene istam velle. Dixi, *plerumque*, nam si malitia supplet aetatem, in mortale incidere possunt. Item excusantur semistulti, fatui, semidormientes, vel aliqua vehementi distractione detenti: nam isti pariter nec advertentiam, nec consensum plenum in agendo habere videntur. Collet.

Q. Ex quibus indiciis colligi potest in dubio, an quis peccato plene consenserit ?

R. Ex istis, quorum 1. est: Si persona sit timoratae conscientiae, ac animo ita disposita, ut potius mori velit, quam mortaliter peccare, censetur non plene consensisse, licet in repellenda tentatione fuerit aliquo modo negligens: secus si sit persona pravae vitae, et malis consuetudinibus affecta; et ratio est quia persona proba, si plene consensisset, advertisset, quod non verificatur de persona prava, quae peccatis assueta, facile non advertit consensum praestitisse.

2. Si quis malum grave, quod cogitavit, facile potuisset exequi, et non est exequutus, judicatur non plene consensisse; quia si plene consensisset, ex cogitatione transiisset ad actum.

3. Qui dubitat, an vigilans, vel dormiens, an sui compos, vel impos quidpiam fecerit, censetur non plene consensisse: qui enim vigilat, vel plene sui compos est, reminiscetur ejus, quod pleno consensu fecit, si longa temporis mora non intercessit.

4. Qui loquitur, tangit, oculos in idem objectum consulto, et iterato dirigit, qui diu cogitationem illicitam mente revolvit, praesumitur plenus consensus adesse quia hae actiones a renitente non fiunt. Collet t. 1. fol. 187. Antoine.

Q. Quaenam caussae excusant a peccato, eo quia vel advertentiam tollunt, vel consensum ?

R. Ignorantia invincibilis, impotentia, vis, sive coactio, motus primo primi concupiscentiae, et metus gravis, quando est ita vehemens, ut omnem usum rationis tollat. Dixi *quando est ita vehemens etc.* Quia si metus est simpliciter gravis, cum voluntarium non tollat, sed solum minuat, minuit proinde, sed non tollit culpae gravitatem in iis, quae sunt intrinsece mala. Hinc si quis metu gravi adactus fornicationi consenserit, graviter peccavit, sed gravius peccasset, si fornicatus fuisset sine tali metu. Antoine.

Q. Excusaturne aliquando quis a mortali peccato ratione parvitatis materiae ?

R. Excusatur aliquando, quia ad rationem peccati mortalis requiritur etiam gravitas materiae: hinc si materia levis erit, leve erit peccatum (1).

(1) Ex S. Ligorio (loc. cit. n. 56.) Quando autem materia sit parvi momenti discernendum est morali judicio prudentis, cui sequentes regulae servient.

1. Ut de materia judicetur, non tantum ipsa secundum se absolute est consideranda, sed etiam respective ad finem intentum, ad quem si parum facit, levis est,

Dixi *excusatur aliquando* et non semper, quia dantur peccata, quae parvitatem materiae non admittunt, ac peccata mortalia dicuntur ex toto genere suo.

Q. Quaenam sunt ista peccata, quae parvitatem materiae non admittunt?

R. Sunt illa, quorum materia, sive magna sit, sive parva, gravem malitiam continet, et graviter laedit virtutem, cui opponitur.

Hujusmodi sunt 1. peccata directe opposita virtutibus theologicis, scilicet Fidei, Spei, et Caritati; nam si quis aliquod leve a Deo revelatum, et sibi propositum non credit, ideo non credit, quia supponit, quod Deus, in illo levi revelando, vel mendax fuerit, vel ut insipiens errare potuerit, haec autem suppositio, quis non videt, quod Deo gravissimam inferat injuriam? Similiter si quis desperet aliquod leve bonum posse a Deo consequi, vel aliquo levi contemptu, vel odio Deum prosequatur, nonne graviter Deum offendit, cujus misericordiae non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus; et qui toto corde, et viribus est diligendus?

2. Perjurium stricte sumptum, quoniam si quis invocat Deum in testem mendacii etsi levissimi, judicare videtur, Deum posse, et velle mendacium testari, et proinde esse mendacem, et dolosum, quod gravissime injuriosum est Deo aeternae, et infinitae veritatis: quare rite damnata est propositio 24. ab Innocentio XI. *Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.* Concina.

3. Delectatio venerea deliberate capta, quia delectatio haec, licet levis, consulto volita, graviter disconvenit naturae rationali, et gravem in se continet deordinationem, nam etsi modica sit delectatio illa physice spectata, attamen moraliter gravis est, quia continet proximum periculum ulterius progrediendi, nam vel ad pollutionem, vel ad copulam facile inducere potest, vel saltem ob effraenem concupiscentiae impetum, libenter voluntatem trahere ad consensum actus completi. Concina, Besombes, Collet t. 1. fol. 411.

4. Simonia de jure Divino: nam parvitas materiae vel consideratur ex parte pretii, et tunc quo minus est pretium simoniacum, eo major est injuria, quae rei spirituali irrogatur; quia haec flocci aestimari videtur, vel consideratur ex parte rei spiritualis, et haec licet minima, gravem patitur injuriam, quoniam cum sit inaestimabilis prae omnibus rebus temporalibus, venalis redditur, et rei temporali, qua comparatur, aequalis.

Simoniae adde quodvis aliud peccatum, quo virtutem Religionis, imme-

gravis autem, si multum, ut docet *Vasq.* 1. 2. ad 158. Regula sit: *Non datur parvitas materiae, ubi ob gravitatem non excusatur ratio offensionis, ut accidit in infidelitate, odio Dei, simonia, perjurio, re venerea, et blasphemia.*

2. Attendendae sunt circumstantiae, quia saepe fit, ut res ex se levis, attentis circumstantiis boni communis, vitandi scandali etc. fiat gravis.

3. Ut pars aliqua rei praeceptae sit gravis, ea spectanda est tum absolute, et secundum se, tum etiam in ordine ad totum.

4. In transgressionibus repetitis, si plures materiae parvae, vel secundum se, vel secundum affectus a se productos, moraliter conjungantur, fit materia gravis, quia tunc omnes moraliter reputantur pro una. Contra vero non censetur materia gravis, si parvae materiae nec secundum se, nec secundum effectus reliquos inter se uniantur.

diale impedit, uti est Idolatria, Daemonis invocatio, magia, Superstitio. Haec enim peccata etiam materiae parvitatem excludunt, quia in se summam, plenamque contra Divinam Majestatem irreverentiam, et injuriam continent. Concina, Besombes.

5. Fractio sigilli Sacramentalis; si enim hoc frangatur per revelationem alicujus peccati, etsi levissimi, redditur Sacramentum Poenitentiae odiosum, et retrahuntur Fideles ab eo recipiendo.

6. Fractio jejunii naturalis requisiti ad recipiendam Eucharistiam, tum quia jejunium naturale excludit omnem licet minimam cibi, vel potus sumptionem, tum quia id exigit maxima decentia, qua Corpus Domini sumendum est. Concina.

7. Blasphemia, nam haec tribuit Deo, quod non habet, nec habere potest, vel a Deo removet id, quo carere nequit, propterea adversatur Divinae bonitati, caritati, ac excellentiae, atque illud, quod indebite tribuitur, vel removetur, etsi levissimum, gravissimam Deo irrogat injuriam, et offensionem. Concina.

Nota tamen, quod peccata, quae materiae parvitatem non admittunt, possunt esse aliquando venialia, ratione imperfectionis actus, cum scilicet deest plena advertentia, vel plenus consensus. D. Thomas 1. 2. q. 88. art. 6. Antoine.

Q. Quibus de caussis peccatum per se veniale, fieri potest mortale per accidens?

R. Ex hisce, quae his versiculis continentur:

Scandala, finis, amor, discrimen, temptus, et error, vel levium nexus, his leve grande fiet.

1. *Scandala*, scilicet ratione scandali, nempe quando quis peccatum leve committit, quod praevidet, vel praevidere potest fore alteri occasioni gravis peccati: uti si quis verbum jocosum proferat praevidens aliquem ex illo verbo esse blasphematurum, et ratio est, quia ex virtute caritatis abstinere tenemur, cum possumus, ab iis, quae Proximo occasionem peccandi praebent. Collet, Antoine.

2. *Finis*, hoc est ratione finis moraliter culpabilis adjuncti peccato levi, cum scilicet quis leve peccatum admittit ad finem committendi peccatum grave v. g. quis mendacium dicat ad inducendam mulierem ad turpia: et ratio est, quia illud leve, cum sit medium rei graviter malae, participat de eadem gravitate sui finis, et quia etiam contiuet affectum ad rem mortaliter malam. Collet, Antoine, Stampò.

3. *Amor*, nempe ratione affectus mortaliter culpabilis, seu graviter inordinati, quando scilicet quis ita actualiter affectus est ad rem leviter malam, ut istam velit, etiam si mortaliter mala sit, aut malit peccare mortaliter potius, quam ab ista abstinere, aut ad istam pervenire cupiat, etiam per media graviter illicita; et ratio est, quia ista res leviter mala praefertur divinae amicitiae, ac proinde graviter violatur caritas. Besombes, Collet, Antoine.

4. *Discrimen*, scilicet ratione periculi proximi peccandi mortaliter: quando nempe quis per peccatum leve conjicitur in discrimen proximum peccandi mortaliter; v. g. si quis ex curiositate aspiciat mulierem, satis expertus ex hujusmodi aspectu saepe in delectationem morosam, vel turpe desiderium

incidisse, vel si quis ludo de se licito vacet, ex quo tamen saepe blasphemasse advertit; et ratio est, quia ex eodem praecepto, quo tenemur vitare peccatum, tenemur etiam ejus periculum fugere. Unde si gravis obligatio urget vitandi peccatum,gravis etiam obligatio urget vitandi periculum ejus, etiamsi oriatur ex re leviter mala. Collet. Antoine.

5. *Temptus*, seu ratione contemptus formalis: quando nempe quis legem, vel praeceptum de re levi intendit violare non sibi satisfaciat, sed unice; ut injuriam faciat Legislatori, vel Superiori, vel Legi, aut praecepto; et ratio est, quia tunc videtur contemnere potestatem, quae a Deo est, et proinde Deum ipsum, qui dixit. Lucae 10. *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit.* Collet, Besombes, Antoine.

6. *Error,* hoc est ratione conscientiae erroneae, cum scilicet quis actum venialiter malum exequitur, quem ex conscientia erronea judicat esse mortale peccatum; et ratio est, quia tunc tendit affective in peccatum grave, ac in illud falso apprehensum consentit. Collet, Besombes, Antoine.

7. *Levium nexus*, scilicet ratione coalescentiae, quando nempe materiae leves, seu repetitae legis violationes inter se connectuntur, et materiam gravem ad peccatum mortale sufficientem efficiunt: uti si quis plura commisit furtula intra aliquod tempus, vel pluries qui modicum comedit die jejunii: et ratio est, quia tunc illae materiae parvae coalescentes, materiam gravem efficiunt, et proinde gravem inferunt praecepti violationem, et consequenter grave peccatum. Collet, Besombes, Antoine.

Q. Ex pluribus venialibus ergo potest fieri unum peccatum mortale?

R. Minime, nisi materiae leves coalescant, ut jam dictum est; quia peccatum mortale essentialiter differt a peccato veniali in specie morali; nam peccatum mortale habet malitiam gravem, quae versatur in aversione a Deo, et conversione ad creaturam, quam malitiam non habet peccatum veniale. Hinc veniale quantumlibet multiplicetur, non affert speciem, seu malitiam peccati mortalis, sed singula venialia remanent in propria specie, nempe in malitia levi. Antoine, Collet.

Dixi, *nisi materiae leves coalescant*, quia si coalescunt, fiet ex eis peccatum grave, non quia ex illis pluribus venialibus componitur unum mortale, quod est impossibile, ut dictum est; sed quia objecta illorum venialium coalescunt in unum, et fit objectum grave, quo existente postea illud peccatum, quod esset pro se veniale, si scorsim spectaretur, fit mortale ratione objecti gravis ex pluribus objectis levibus compositi, v. g. quis plura furtula commisit, et proinde plura peccata venialia, at ista non efformant tandem unum mortale peccatum, sed remanent venialia, uti sunt: solum eorum objecta nempe res aliena accepta per plura furtula coalescunt, et efformant objectum grave, nempe rem alienam injuste acceptam in gravi quantitate, ac proinde furtulum post coalescentiam commissum, quod esset veniale praecise spectatum, est peccatum mortale, quia continet objectum grave, et per illud fur fit injustus detentor rei alienae in materia gravi. Collet. Antoine.

Q. Peccata venialia disponuntne ad peccatum mortale committendum?

R. Maxime, et probatur ex Eccles. 19.: *Qui spernit modica, paulatim decidet*, hoc est, ut explicant PP., qui venialia parum curat, et evitare negligit, paulatim in mortalia corruet: unde Bernardus ait: *A minimis incipiunt, qui in maxima proruunt.* Collet, Antoine.

Q. Quid si quis statuat in corde suo sola peccata mortalia vitare, negligens venialia ?

R. Iste graviter peccat, quia agit contra caritatem erga Deum, et erga se; nam periculo valde proximo peccandi mortaliter se exponit, et magnis gratiae divinae adjumentis se privat. Antoine.

CAPUT III.

De peccato Commissionis, et Omissionis

Q. Quid est peccatum Commissionis, et quid peccatum Omissionis ?

R. Peccatum commissionis est voluntaria transgressio praecepti negativi, quo aliquod malum committendum prohibetur: hujusmodi est furtum, quo violatur praeceptum: *Non furtum facies*. Peccatum omissionis est voluntaria transgressio praecepti affirmativi, quo aliquis actus bonus faciendus praecipitur: tale est violatio jejunii ab Ecclesia praecepti. Collet.

Q. Peccatum commissionis, et omissionis differuntne specie morali inter se ?

R. Maxime, etiamsi eidem virtuti opponitur, tum quia diverso difformitatis modo eidem virtuti adversantur, tum quia, ceteris paribus, major inordinatio, et disconvenientia cum recta ratione, et Lege reperitur in peccato commissionis, quam in peccato omissionis; gravius enim, et difformius est ponere actum Legi contrarium, quam non ponere actum a lege praeceptum; quare gravius peccatum est odisse Deum, quam omittere actum amoris Dei praeceptum. Collet, Antoine.

Q. Unde desumitur distinctio specifica, et gravitas peccati omissionis?

R. Ex specie, et bonitate actus praecepti, qui omittitur: sic non adimplere votum emissum opponitur Religioni, quia votum est actus Religionis. Item eo gravius est peccatum omissionis, quo melius est opus praeceptum, quod omittitur. Sic gravius est peccatum non adimplere votum emissum, quam non recitare orationem Dominicam a Confessario praeceptam. Antoine.

Q. Quid requiritur, ut omissio sit culpabilis ?

R. Requiritur 1. Ut quis potuerit rem omissam ponere 2. Ut rem omissam debuerit ponere 3. Ut illam voluntarie praetermiserit. Hinc si quis non audivit Missam die festo, quia aegrotabat in lecto, non peccavit, quia non poterat illam audire. Non audivit quis Missam die feriali, nec etiam peccavit, quia non tenebatur audire: denique non audivit Missam die festo, quia invincibiliter ignorabat esse diem festum, nec etiam peccavit, nam involuntarie Missam praetermisit. Antoine in not. cap. 3. de peccat., et Bened. XIV. Instit. Eccl. 39.

Q. Quandonam quis peccat peccato omissionis, quando ponit caussam, vel quando omissio revera sequitur ?

R. Quando caussam ponit, ex qua praevidet, vel praevidere potest, posse sequi omissionem rei debitae, quia tunc saltem indirecte vult ipsam omissionem. Hinc si Subdiaconus hodie saeculare negotium ordiatur, praevidens vel praevidere potens, quod ob negotium illud horas canonicas non sit recitaturus, peccat contra Religionem tunc, cum negotium assumit, etiam-

si postea ex aliqua circumstantia a negotio solutus, horas canonicas persolvat: et ratio est, quia cum negotium orditus fuit, voluntatem saltem virtualem habuit omittendi horas canonicas. Antoine.

Hic tamen adverte, quod licet quis peccet peccato omissionis quando ponit efficacem omissionis caussam, attamen si omissioni adnexa est aliqua censura, vel poena, haec non incurritur nisi eo tempore, quo actio ex praecepto ponenda est, et non ponitur, quia tunc revera ponitur delictum externum, seu omissio actualis, cui adnexa est censura, vel poena. Antoine.

Q. Quid si quis scienter, vel inadvertentia, aut ignorantia culpabili conjiciat se in morale periculum omittendi rem debitam?

R. Peccat etiam peccato omissionis, dum tali periculo exponitur, quia tunc voluntatem saltem interpretativam habet omittendi rem debitam; quod verum est, etiamsi postea ex aliquo accidenti omissio non sequatur. Antoine. Collet.

Q. Peccatne denuo, qui posuit caussam omissionis, vel ejus morali periculo se exposuit, si cum tempus adimpletionis praecepti venerit, et possit praeceptum adimplere, non adimpleat?

R. Maxime, quia tunc illa actualis omissio est sibi libera, et voluntaria. Hinc si quis die festo diluculo incipiat ludere cum intentione ludendi toto illo mane, et Missam non audiendi, vel iter arripuit cum probabili periculo non audiendi Sacrum, non solum peccavit peccato omissionis cum caussam ejus posuit, vel ejus periculo se exposuit, sed et peccat denuo, dum illo mane missam non audit, desistens a ludo vel ab itinere. Imo hoc verum est, etiamsi tempore, quo urget adimpletio praecepti, impotens sit ad illud adimplendum, nisi antea per poenitentiam retractaverit culpabilem omissionis caussam: quia hac non retractata, dicitur indirecte voluntaria, et proinde culpabilis. Antoine.

CAPUT. IV.

De peccatis ex ignorantia, ex infirmitate, et ex malitia

Q. Differtne peccatum ignorantiae a peccato ex ignorantia?

R. Maxime, quia peccatum ignorantiae est omissio debitae scientiae, seu est negligentia directe, vel indirecte voluntaria in adquirenda cognitione earum rerum, quas aliquis scire tenetur. Peccatum vero ex ignorantia est transgressio Legis, quae fit ob ignorantiam culpabilem. Antoine.

Q. Est ergo ignorantia vincibilis speciale peccatum distinctum a peccato, quod ratione talis ignorantiae committitur?

R. Certe quidem, si ignorantia isthaec etiam non affectata, sit de iis rebus, quas scire tenemur: patet ex Psalm. 24. *Delicta juventutis meae, et ignorantias meas ne memineris, Domine.* Et Eccl. 23. *Ne adincrescant ignorantiae meae, et multiplicentur delicta mea.* D. Thomas 1. 2. qu. 76. art. 2. Quod peccatum tamdiu perseverat, quamdiu durat negligentia in addiscendis iis, quae quis scire tenetur ratione muneris sui, vel officii, vel status, et toties renovatur, quoties advertit quis ignorantiam suam, et cum possit, non conatur eam repellere: et ratio horum omnium est, quia talis ignorantia est libera transgressio praecepti, seu omissio rei praeceptae.

Q. Cui virtuti opponitur ignorantiae peccatum?

R. Peccatum ignorantiae (quod gravius est, quo gravior est, et magis necessaria res ignorata, et quo major est negligentia discendi, ea quae scienda sunt) si versatur circa ea, quae ratione sui scienda sunt ex praecepto Divino, uti sunt Mysteria Christianae Religionis, opponitur virtuti Fidei. Si vero versetur circa ea, quae scienda sunt, ut quis bene munus suum exerceat, opponitur ei virtuti cui opponitur muneris sui non recta administratio. Sic ignorantia vincibilis Judicis, vel Advocati opponitur justitiae commutativae: quia Judex, vel Advocatus justitiam commutativam laedit, cum ob suam ignorantiam litiganti, vel clienti damnum infert, vel periculo inferendi se exponit. Ignorantia vincibilis caeremoniarum sacrarum in Sacerdote opponitur Religioni, quia Sacerdos sacras coeremonias in sacrificando non observans, virtutem Religionis violat. Antoine t. 1. fol. 180., et t. 2. f. 340.

Q. Legis transgressio, quae fit ex ignorantia vincibili, imputaturne ad culpam?

R. Maxime, quia illa transgressio est voluntaria indirecte, et in caussa, scilicet in voluntaria negligentia addiscendi ea, quae agens tenetur scire. Hinc Lucae 23. orabat Christus Patrem, ut dimitteret Judaeis peccata, quae ex ignorantia committebant: *Pater, dimitte illis; non enim sciunt quid faciunt.* Patet id etiam ex SS. PP. Hieronymo, et Augustino contra Pelagianos, item ex Canon. 16. dist. 37., et Can. 2. de Sortileg. Antoine de peccat. fol. 341.

Q. Cui virtuti opponitur peccatum ex ignorantia commissum; et quoties tale peccatum renovatur?

R. Opponitur illi virtuti, cui opponeretur, si fuisset scienter commissum; quia in sua caussa voluntarium est, et proinde est ejusdem speciei ac peccatum scienter commissum, et in se voluntarium. Iteratur autem toties, quoties actio, vel omissio culpabilis ex ignorantia vincibili ponitur; quia toties ponitur voluntaria Legis transgressio numero distincta ab alia simili violatione. Antoine t. 2. fol. 342.

Q. Ignorantia vincibilis, si non excusat a peccato, minuitne saltem malitiam illius?

R. Si ignorantia vincibilis non est directe voluntaria, sed solum indirecte, et in caussa, cum scilicet, est crassa, et supina, minuit malitiam peccati; quia minuit voluntarium, sed non ita minuit, ut mortale fiat veniale, quando negligentia addiscendi gravis est; nam habetur voluntarium sufficiens ad peccatum mortale. Si autem ignorantia vincibilis est directe voluntaria, seu affectata, auget malitiam peccati, quia reddit peccatum magis voluntarium, et ignorantia affectata aequiparatur scientiae. Idem.

Q. Quid dicendum de ignorantia actuali?

R Ignorantia actualis est debitae cognitionis actualis privatio; et differt ab ignorantia habituali, quae denotat privationem habitualem scientiae debitae, de qua loquutum est.

Ignorantia actualis triplex esse potest: nempe inadvertentia, inconsideratio, et oblivio. Inadvertentia est privatio actualis attentionis ad agendum requisita: Inconsideratio est privatio debitae inspectionis sive diligentiae actualis: Oblivio est actualis privatio recordationis rei, quae habitualiter scitur.

Hae omnes veniunt sub communi nomine **ignorantiae actualis**, quatenus agens actu, quo ex his agit, cognitione actuali destitutus est.

Quidquid dictum est de ignorantia habituali, dicendum est de ignorantia actuali, ejusque speciebus; quaevis proinde ex illis speciebus, si invincibilis est in eo, qui debitam cognitionem habitualem habet, excusat a peccato, celerisque, sicut excusat ignorantia habitualis invincibilis: nam currit eadem ratio, nempe quia tollit voluntarium. At si vincibilis est, quatenus inadvertentia, inconsideratio, et oblivio poterat, et debebat vitari, loquendum est eodem modo, ac de ignorantia habituali vincibili.

Q. Quandonam inadvertentia, inconsideratio, et oblivio dicitur vincibilis, seu indirecte voluntaria, et proinde culpabilis?

R. Dicitur vincibilis 1: quando agens cognovit, vel cognoscere debuit, ac potuit teneri ad majorem diligentiam, et inquisitionem in agendo, et illam non posuit: et proinde non advertit, non inspexit, non recordatus fuit, 2. Si diversis negotiis distractus ante actionem, animum non intendit ad ea quae agenda sunt, et exinde sequitur inadvertentia, inconsideratio, vel oblivio: 3. Si inter agendum, opposuit aliquod, quod advertentiam impediat, vel inspectionem, aut recordationem. 4. Si aliquis sibi inest defectus habitualis, v. g. nimia festinatio in agendo, vel nimia desidia, vel alius defectuosus habitus, qui se distractum tenere solet, et hujusmodi defectum sciens depellere non curavit. Antoine.

Q. Quaenam dicuntur peccata ex infirmitate?

R. Illa, quae ex passionis, seu concupiscentiae antecedentis motibus committuntur, sive motus isti a daemone excitentur, sive sponte sua exurgant. Antoine.

Q. Actus pravi, qui ex concupiscentiae motibus oriuntur, imputanturne semper ad culpam

R. Si motus concupiscentiae antecedentis ita vehementes sunt, ut omnem usum rationis, sive advertentiam omnem tollant, actus pravi inde sequuti non imputantur ad culpam; quia neque liberi sunt, neque voluntarii in se, vel in caussa. At si motus concupiscentiae antecedentis vehementes sunt, sed non ita, ut usum omnem rationis, et omnem deliberationem intercipiant, actus pravi inde sequuti imputantur ad culpam, juxta eorum materiam; quia agens voluntarie, et libere obsequitur passioni, seu concupiscentiae inordinatum aliquod dictanti. Verum motus isti minuunt malitiam peccati, quia minuunt cognitionem, et deliberationem voluntatis, sed non ita minuunt, ut peccatum, quod de se grave est, fiat veniale. Quod si actus pravi oriantur ex motibus concupiscentiae consequentis, seu concupiscentiae voluntarie excitatae, imputantur ad culpam, et augetur malitia eorum, quia sunt plene voluntarii.

Q. Motus ipsi concupiscentiae antecedentis imputanturne ad culpam?

R. Motus concupiscentiae etsi graviter inordinati, si sunt prorsus indeliberati, et involuntarii, non imputantur ad peccatum, ex Concilio Tridentino Sess. 5, unde recte damnatae fuerunt propositio 50. Baji: *Prava desideria, quibus ratio non consentit, et quae homo invitus patitur, sunt prohibita praecepto: non concupisces;* Propositio 51.: *Concupiscentia, sive lex membrorum, et prava ejus desideria, quae inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia.* Et propositionis ratio patet, nam hujusmodi motus carent voluntario, et libero, sine quibus peccatum haberi non potest.

At si hujusmodi motibus sive a daemone excitatis, sive sponte exortis praviter inordinatis, accesserit perfecta advertentia, ac perfecta voluntatis adprobatio, vel consensus, vel complacentia, iidem ad culpam mortalem imputantur: quia valde dedecet creaturam rationalem velle, et adprobare ea, quae graviter adversantur rectae rationi, atque gravem deordinationem continent; at si eisdem aliqua imperfecta advertentia adjungatur, tunc isti ad culpam venialem imputantur propter imperfectionem actus. Antoine.

Motus denique isti si libera voluntate excitati sunt, ad culpam imputantur gravem, vel levem, prout, erit materia, quia sunt plene deliberati, ac rectae rationi difformes. Antoine.

Q. Quaenam dicuntur peccata ex malitia?

R. Illa, quae ex mera voluntate committuntur, quatenus non ex tentatione gravi, neque ex ignorantia crassa, vel supina, neque ex passione antecedenti patrantur, sed ex propria malitia, et voluntaria mali electione. Hujusmodi sunt peccata. quae committuntur ex ignorantia affectata, vel ex concupiscentia consequenti, et voluntarie excitata, vel ex contemptu formali, vel ex occasione proxima voluntarii, vel ex prava consuetudine.

Q. Quodnam peccatum est gravius, illudne quod oritur ex malitia, vel illud quod oritur ex infirmitate, vel ignorantia?

R. Illud, quod oritur ex malitia nam oritur ex voluntate prava, et plene voluntaria: at peccatum ex infirmitate, licet sit minus grave relate ad peccatum ex malitia, est tamen gravius peccato commisso ex ignorantia vincibili non affectata quia peccatum ex infirmitate fit cum majori voluntatis inclinatione, quam peccatum ex ignorantia. Antoine.

CAPUT V.

De consuetudine, et occasione peccati, ubi de scandalo, et sollicitatione.

§ I. *De consuetudine peccandi*

Q. Quid est consuetudo peccandi?

R. Est quaedam facilitas orta ex repetitis, et frequentatis actibus, inclinans, et inducens hominem ad ejusdem rationis actus frequentandos. Hinc regulariter tria requiruntur ad constituendam consuetudinem, sive habitum peccandi, nempe 1. Frequentia actuum 2. Ut actus sint ejusdem speciei, nisi sunt in materia turpi, in qua species singulae conveniunt sub eodem luxuriae vitio 3. Ut actus sint moraliter conjuncti.

Q. Consuetudo differtne ab occasione?

R. Differt, quia licet consuetudo sit etiam occasio proxima, et morale, ac proximum periculum peccandi contineat: attamen consuetudo provenit ab intrinseco, nempe a facilitate contracta per repetitos actus ejusdem speciei; occasio autem proxima, praeter probabile, ac proximum periculum relabendi in peccatum, ortum habet ab extrinseco, seu a caussa extra se posita.

Q. Quaenam differentia intercedit inter simplicem consuetudinarium, et recidivum?

R. Hoc est discrimen: quod simplex consuetudinarius post contractam pravam consuetudinem, ad Sacramentum Poenitentiae nunc primo acce-

dens; suam confitetur consuetudinem. Recidivus vero dicitur ille, qui post confessionem non semel relapsus est in eadem peccata sive ex fragilitate, seu consuetudine, sive ex occasione extrinseca. Antoine, Stampò.

Q. Quot lapsus requiruntur in idem peccatum, ut constituatur consuetudo, sive habitus peccandi?

R. Tres, vel quatuor lapsus in idem peccatum intra aliquod temporis intervallum, puta intra mensem, sufficiunt. Imo et aliquando possunt sufficere duo, et aliquando etiam unicus lapsus, si cum tali delectationis vehementia committatur peccatum, ut animus remaneat illaqueatus, et cum inclinatione ad illud repetendum, ut facilliter accidit in rebus turpibus. Hoc tamen discretioni prudentis Confessarii relinquitur decernendum.

Q. Consuetudinarius, et recidivus estne absolvendus?

R. 1. Consuetudinarius ille, cujus consuetudo recens est v. g. quindecim, vel viginti dierum: vel si ejus consuetudo aliquantum diutina est, actus autem rari fuerunt: vel si frequentes, consuetudinarius tamen, antequam ad Sacramentum Poenitentiae accederet, divino illustratus lumine sponte sua; poenitentiae viam ingressus est, et mediis opportunis consuetudinem suam conatus est evellere, hujusmodi consuetudinarius, si poenitens ex animo promittat, non amplius peccaturum, et det signa emendationis, secundum aliquos posset absolvi, quia Confessarius potest prudenter judicare, illum esse dispositum. Verum juxta communiorem sententiam, cui assentimur, et cui standum est, differendo est eidem absolutio, cum, ut ex hac dilatione poenitens magis exhorrescat peccatum suum, et fortius conetur extirpare consuetudinem suam, tum ut experiatur Confessarius, an poenitens fidelis sit in exequendis remediis sibi propositis, et in via poenitentiae, quam arripuit, constans perseveret: nam ut ait P. Antoine de *Poenitentia*, quaest. 5. Vera conversio consuetudinarii est valde rara, ac perdifficilis, nec brevi tempore fieri solet, ut experientia compertum est, cui Sancti Patres consonant.

2. Hinc consuetudinarius ille cujus consuetudo diutina est et inveterata, ac nullo adhibito conatu ad consuetudinem removendam, neque ulla aliquorum dierum praeparatione praemissa ad rite confitendum, Confessario se sistit, dicens se vere dolere de peccatis, et absolutionem petit, huic differenda est absolutio, nisi Confessarius velit sacrilegium committere, nam verisimile est, quod hujusmodi consuetudinarius sit indispositus, quoniam ex Ecclesiastic. Cap. 15. habetur: *Perversi difficile corriguntur:* et ex D. Augustino *Tract. 46. in Joannem. Quam difficile surgit, quem moles consuetudinis premit.* Quare S. Carolus in Istructione Confessarii ait: *Absolutio, donec emendatio perspiciatur, differre debet his, qui licet se peccatum dimissuros polliceantur, ab illo tamen non separandos Confessarius probabiliter judicabit.* Et Innocentius XI. jure hanc damnavit propositionem: *Poenitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturae, et Ecclesiae; etsi emendationis spes nulla appareat, non est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat, se dolere et proponere emendationem.*

3. Recidivus nec etiam est absolvendus; sed differenda est absolutio, quia Confessarius non potest prudenter judicare, et esse moraliter certus, quod ille sit vere dispositus, nam sicut non potest judicare, quod in confessioni-

bus praeteritis habuerit de peccatis suis dolorem verum, firmumque propositum non peccandi in posterum (si enim habuisset non tam facile, nec tam cito relapsus fuisset) sic et debet judicare, quod hujusmodi dolorem, ac propositum nec etiam nunc cum confitetur, revera habeat. Hinc S. Franciscus Salesius in suis Constitutionibus *part. 4 cap. 5. §. 4.* ait de recidivis: *si illud idem promiserunt cum antecedenter confessi sunt, sed promissis non steterunt, Confessarius non debet eis fidem habere, si idem promittant, sed tenetur eis absolutionem differre.* S. Ligorius in Praxi Confessariorum num. 71. *qui post unam Confessionem recidit: sine emendatione, jam verus est recidivus, et fundatam praebet suspicionem suae indispositionis* (1)

Q. Quamdiu Confessarius debet absolutionem consuetudinario vel recidivo differre?

Respondet S. Joannes Chrysostomus *humil. 14. n. 2. ad Corinthios: temporis moram non quaero, sed Animae correctionem, hoc itaque fac demonstres, sintne compuncti, sintne in melius immutati, et res tota confecta est.* Est ergo tamdiu differenda absolutio quamdiu necesse erit, ut judicium moraliter certum fiat a Confessario, consuetudinarium, vel recidivum, consuetudinem, vel recidivam suam removisse, et vitiosum habitum sic vicisse, ut periculum proximum, seu probabile peccandi credatur ablatum, et proinde Poenitentem esse dispositum (2).

Hinc dilationem absolutionis non indiscriminatim imponere debet Confessarius consuetudinario, vel recidivo, sed debet diligenter attendere ad consuetudinis gradum, ad frequentiam actuum, ad opportunitatem occasionum, ad nativam Poenitentis in quaedam vitia propensionem.

Si consuetudinarius vel recidivus frequentes habuit occasiones redeundi

(1) Istis differenda est absolutio per aliquod tempus, usquedum appareat prudens signum emendationis. Et in hoc puncto lugenda est animarum ruina cujus caussa sunt tot mali Confessarii, indistincte absolvendo tot recidivos, qui cum repererint tot Confessarios, qui semper tam facile eos absolvunt, amittunt horrorem in peccando, et pergunt ad putrescendum in coeno vitiorum usque ad mortem· *S. Ligorius homo apost. Tract. ult. Punct. II.* §. 9.

(2) Recte dixerunt Episcopi Belgii in anno 1697. congregati in quodam Decreto edito pro directione Confessariorum suarum Dioecesium de hoc puncto loquentes: *Deum in conversione peccatoris non tam considerare mensuram temporis, quam doloris* (Ap. Croix l. 6. p. 2. n. 1824.). Hinc prohibuerunt ne Confessarii stabili lege exigerent a poenitentibus adhuc recidivis experientiam notabilis temporis antequam eos absolverent. Et jure merito: sola enim probatio temporis non est unicum signum mutatae voluntatis, dum voluntas peccatoris mutatur virtute divinae gratiae, quae tempus non requirit, sed aliquando illico operatur: quapropter mutatio voluntatis bene per alia signa cognosci valet sine experientia temporis. . . . Unde Auctor Libri (*Istruzione pe' novelli Confessori* P. 1. c. 15. n. 359.) sic ait: *Se la ricaduta nasce dalla propria fragilità, senz' altra causa estrinseca volontaria è quasi temerità il dire che ogni ricaduto sia indisposto.* Et alibi (*c. 9. n. 213.*) dicit quod recidivus propter vim mali habitus absolvi debet semper ac firmam ostendit voluntatem adhibendi media ad emendationem, sic subdendo: *E giudichiamo che il fare altrimenti sia troppo rigore, e che il Confessore facendolo s' allontanerebbe dallo spirito della Chiesa, e del Signore, e della natura del Sacramento, il quale non solamente è giudizio, ma è medicina salutare. S. Ligorius homo apost. loc. cit.* §. 11.

ad vias pessimas, et non redit sancto timore, vel amore Dei percitus, videtur propinquare ad dispositionem, et proinde dilatio tam diutina esse non debet.

Si occasiones relabendi sunt rarae, dilatio diuturnior esse debet, ut probetur dispositio.

Si quis alias contraxit consuetudinem, vel fuit recidivus, et per aliquod tempus Confessario benevisum, ei dilata fuit absolutio, verum obtenta absolutione denuo relapsus est, tunc dilatio diuturnior esse debet, et rigidior experientia.

Si consuetudinarius, vel recidivus tantum tempore paschali confiteri solet, dilatio debet esse diuturnior violatione, quae alio tempore imponeretur; nam suspicandum est, quod consuetudinarius, vel recidivus vim sibi inferat ad non relabendum non ex virtute poenitentiae, sed ut absolutionem extorqueat a Confessario, ne infametur apud Parochum, patrem, uxorem, etc.

Si aliquis est consuetudinarius, vel recidivus circa peccata, quae difficilis emendationis sunt, uti vitia luxuriae, et praesertim mollities, diuturnior debet esse dilatio.

Curet autem Confessarius ut, quando diu pro opportunitate debet differre absolutionem Poenitenti, prudenter se gerat, imponendo, ut redeat non post multos dies, sed post octo, vel decem, ad summum, quindecim: ut Poenitens primo non terreatur dilatione tam diuturna, et voluntatem abjiciat amplius confitendi. Secundo, ut frequentius accedens ad Confessarium, salutaria monita audiat, et magis ad poenitentiam promoveatur. 3. Ut interim serio meditetur de Anima sua, et praesertim de novissimis hominum (1).

Q. Quomodo se gerere debet Confessarius cum consuetudinario, vel recidivo, qui post praefixum dilationis tempus redit pro absolutione obtinenda?

(1) Dico per aliquod tempus, eo quod recidivis tam levium, quam gravium culparum non est necessarium differre eis absolutionem per annos, aut menses, ut nimis rigide vult *Iuveninus:* sed regulariter satis erit, si peccatum procedit ex fragilitate intrinseca, dilatio octo, vel decem dierum, prout ait doctus Auctor Libri Romae editi, cui titulus: *Istruzione pe' novelli Confessori*: idemque dicit Auctor Libelli ubique in Italia accepti, cui titulus: *Istruzione pe' Confessori di Terre, e Villaggi* (*Par. 1. cap. 9. n. 215.*). ubi pro hac doctrina citat Ludovicum Habert (cap. 1. §. 4). Adduntque esse excessivam, et periculosam dilationem mensis, quia post tantum tempus difficilis redditur reditus hujusmodi poenitentium. Et huic judicio favet Benedictus XIV. in Bulla *Apostolica* (*Bull.* t. 3.), ubi loquens de Confessariis, qui rite poenitentibus absolutionem differunt, sic deinde eos monet: *Illos quantocius ut revertantur invitent, ut ad Sacramentale forum regressi, absolutionis beneficio donentur*. Nota verba *quantocius*, et *donentur*. Ad summum (dico) his differri potest absolutio per quindecim, aut viginti dies. Sed excipere oportet, qui tempore Praecepti Paschalis confitentur: pro istis enim majoris temporis experientia requiritur, cum juxta suspicio haberi possit quod hi abstineant a relapsu, potius ut censuram effugiant, quam ex vero proposito mutandi vitam. Oportet etiam excipere qui lapsi sunt in occasione proxima extrinseca: isti enim majori egent experientia, cum occasio sit fortius incentivum ad peccandum. Verum semper sufficiet experientia mensis. Caveat tamen Confessarius ne dicat poenitenti, ut non redeat, nisi post mensem, nam hic ob tantam dilationem nimis terrebitur: potius imponat ei, ut redeat post octo, vel quindecim dies, et sic blando modo ipsum transferre ad recipiendam absolutionem in fine mensis. *S. Ligorius homo apost. loc. cit.* §. 10.

R. Semper ac redit ita relapsus, ut cognoscatur adhuc indispositus; quia nec timore, aut amore Dei correptus apparet, debet Confessarius lenibus verbis eum accipere atque novis impositis remediis, absolutionem ad alios dies differre. Neque refert, si bis, vel ter, vel quater eam differt; est enim extirpanda consuetudo peccandi, et recidiva, ut dicatur poenitens vere dispositus, et non suspecta censeatur ejus conversio. Si vero redeat absque relapsu in eadem peccata, pro quibus dilata fuit absolutio, attamen ab aliis mortalibus diversae speciei non abstinuit, idem dicendum est. Si denique redeat absque ullo ralapsu in mortalia, adhuc debet Confessarius differre ei absolutionem, pront prudentia dictaverit, et consuetudo vel recidiva magis, vel minus diuturna fuerit. Expedit enim hoc, ut Confessarius magis experiatur firmitatem propositi sui poenitentis, et iste abominetur magis peccatum suum, et Deo firmius adhaereat.

Q. Daturne casus, in quo Confessarius absque dilatione potest absolutionem impertiri consuetudinario, vel recidivo, nunc primum accedenti ad confessionem, vel redeunti cum aliquo relapsu ad Confessarium, a quo fuit ei ob consuetudinem, vel recidivam peccati dilata absolutio?

R. Maxime, et sunt ii, ex quibus potest judicare prudens Confessarius, poenitentem esse dispositum, eo quia hic idem clara, et extraordinaria affert suae dispositionis, et emendationis signa (1). Cognoscere autem quaenam sint haec clara signa, hoc opus, hic labor est. Solent autem haec assignari a Doctoribus non infimi subsellii.

Primum si consuetudinarius, vel recidivus a postrema confessione maximam diminutionem peccatorum afferat, eo quia occurrentibus iisdem tentationibus, et occasionibus, media a Confessario imposita recte adhibendo, restitit; et maxima ex parte diminuit non solum peccata, in quae solebat relabi, sed et cetera mortalia, cujuscumque speciei, non ad extorquendam absolutionem, sed unice ad sui emendationem, ita ut si denuo relapsus fuit, id accidit post magnam resistentiam tentationi vehementi, et efficaci, vel accidit ex occasione extraordinaria non praevisa, neque quaesita, et post relapsum, statim peccati sui poenituit, neque amplius ad peccata rediit.

Verum advertunt Doctores, quod circa peccata externa; v. g. mollitiem, fornicationem, furtum, blasphemiam etc., diminutio peccatorum non dicitur signum extraordinarium emendationis, nisi cum alio signo extraordinario conjungatur.

Secundum: confessio spontanea, et sincera alicujus gravis peccati, quod prae pudore in alia confessione reticuit, apud eumdem Confessarium, vel apud alium huic similem, dummodo, postquam decreverit vincere pudorem, illud peccatum, vel aliud mortale rursum non commiserit.

Tertio adimpletio alicujus difficilis obligationis, ad quam adimplendam

(1) Melius dicendum quod in hoc puncto nequit certa statui regula, sed Confessarius juxta occurrentes circumstantias gerere se debet: Deo se commendet, et secundum se sentit inspiratum, sic faciat. Ego ita censeo. Si poenitens relapsus est ex fragilitate intrinseca, prout accidit in peccatis irae, odii, blasphemiarum, mollitierum, aut delectationum morosarum, dico cum sententia communissima Doctorum, quod raro expedit differre absolutionem recidivo, cum ille est dispositus, nam sperari debet magis Gratiam Sacramenti, quam dilationem absolutionis illi prodesse posse. *S. Ligorius homo apost.* loc. cit. §. 14.

alias induci non potuit, v. g. restitutio notabilis rei alienae, remotio occasionis sibi valde utilis, vel reconciliatio cum inimico, quem maxime oderat etc., dummodo tamen haec obligationis adimpletio non oriatur ex humana, vel naturali ratione, quam forte meditatus fuit, sed ex animo verae conversionis statuatur.

Quartum si consuetudinarius, vel recidivus sui peccati gravitatem ignorans, vel non advertens, nunc primum eam serio intelligit, et exhorrescit: unde intrinsecus revera dolet, et verbis ex cordis tristitia ploratis, promittit, se Dei auxilio emendari. Idem dicas si peccati gravitatem ex sacra concione cognitam, vel ex repentino casu, v. g. mortis subitaneae sui amici complicis, vel alterius flagelli Dei exhorrescat, et odio habeat peccata sua, non autem peccati poenam, scilicet mortem repentinam etc.: Dummodo tamen etiam illud idem ex eodem vel simili motivo alias non promiserit, et postea non adimpleverit.

Incumbat tamen Confessarius prudens ad recte examinanda hujusmodi dispositionis signa. Haec enim plerumque vel maxima Daemonis astutia, vel nimia humani cordis malitia suppeditare solent. Quare criminanda non erit Confessarii ratio, si consuetudinario, vel recidivo signa emendationis extraordinaria adferenti ad aliquos dies absolutionem differat, ut amplius Poenitentis dispositionem experiatur nisi tamen aliud vel necessitas, vel prudentia dictet.

Advertat etiam Confessarius, quod lacrymae poenitentis, ejusque promissiones prolixae, vel spontaneus accessus ad confitendum, aut desiderium reconciliandi se cum Deo, sive aliud hujusmodi non est dicendum extraordinarium dispositionis signum pro consuetudinario, vel recidivo absolvendo; sed aliquod initium vel suspicio conversionis, cui niti non debet Confessarius, ut absolutionem ei conferat; ad hanc enim recte impertiendam requiritur dispositio Poenitentis moraliter certa. Tandem cum praedicta signa non ab omnibus admittantur; et super experimento reperta sint fallibilia: ideo ab experientiae tempore a Confessario non est recedendum, donec prudens efformet judicium de vera conversione poenitentis: nisi revera appareat signum revera extraordinarium.

Q. Consuetudinarius, vel recidivus, qui confitetur in periculo, vel articulo mortis, estne absolvendus?

R. Maxime; si aliqua signa dederit poenitentiae, quia licet ejus poenitentiae signa dubia sint, quia tamen Sacramenta instituta sunt propter homines, ideo in articulo, vel periculo mortis sunt ministranda eis, qui dubia poenitentiae specimina exhibent, melius enim cum dubio, quam sine Sacramento discedere ex hac vita, et nos, si Sacramenta damus, securitatem non damus. Collet, Stampò.

Q. Quid si consuetudinarius, vel recidivus petit sacramentaliter absolvi a peccatis; quia debet Sacramenta suscipere vel ministrare, ne in infamiam incidat, vel scandalum populo praebeat?

R. Nec etiam absolvendus est, nisi signa extraordinaria suae poenitentiae exhibeat, nam Confessarius neminem absolvere potest, nisi prius moraliter certus sit de vero dolore peccatorum ejus, et de efficaci proposito non relabendi in ea. Confessarius autem hanc moralem certitudinem non potest habere ex sola consuetudinarii, vel recidivi assertione, quae alias

falsa fuit, vel saltem nunc fallax censenda est. Neque scandalum, vel infamia officit, quia hoc sibi Poenitens imputare debet praesertim si alias monitus fuit de delenda consuetudine, vel recidiva; demum huic Poenitenti exponatur haec S. Petri Damiani verba: *Salubrius est in conspectu hominum temporalem pati verecundiam,quam ante Tribunal Supremi Judicis aeternam subire vindictam.* Collet.

Hinc etiam si confiteatur Sponsus nunc contracturus Matrimonium, pro quo parata sunt omnia, quodque, nisi nunc contrahatur, timetur periculum infamiae, scandali, magni damni, si Sponsus consuetudinarius, vel recidivus est in turpibus cum ipsa Sponsa commissis, non est absolvendus, nisi jamdiu ab illo turpi commercio abstineat, et tunc signum aliquod afferat extraordinarium suae dispositionis. Ratio est, quia actualis impoenitentia istius certior praesumitur, quam conversio, quae, si appareat, nonnisi valde dubia est. Neque dicas, quod per Matrimonium cesset culpabile commercium, nam esto ita fiat, ubi tamen nunc est summa praeteritorum peccatorum necessaria requisita detestatio? ubi firmum, et constans propositum; ut mori malit, quam in eadem commissa flagitia relabi? praesumitur quidem longe abesse Poenitens ab hujusmodi animi dispositione, nam si nuptiae differantur, certo redit occasio, et proinde novus relapsus; deficit ergo dispositio ab absolutione requisita. Collet.

Q. Quid si Poenitens sit recidivus in venialia ?

R. Si iste sola venialia, in quae advertenter, et eadem facilitate, qua antea, post confessionem relabi solet, confiteatur, etiamsi dicat, se dolere, et velle emendari, nulla vero signa sincerae poenitentiae ostendit, absolvendus non est, quia deficit dispositio ad absolutionem obtinendam requisita: quare si absolvatur, sacrilegium mortale committit, tum Confessarius qui absolvit, tum poenitens absolutus. Poterit autem Confessarius rite absolvere illum, si cum venialibus aliquod mortale, alias rite confessum sacris clavibus subjiciat, istius vere poenitens; nam tum dolor, propositum, et absolutio cadit directe super peccatum grave, et sufficiens Sacramenti materia ponitur cum forma. Verum non erit absonum, si aliquando Confessarius hujusmodi recidivo absolutionem, et sacramentalem communionem deneget, ut magis exhorrescat venialia, et majori studio conetur ea removere. Collet.

Q. Debetne Confessarius obligare recidivum ad iterandas confessiones, quas durante recidiva fecit?

R. Si recidivus diu, multumque ante confessionem a peccato abstinuit, et se recte confitendum disposuit, et etiam multum post confessionem elaboravit: ut in accepta gratia perseverat, quare si relapsus fuit, id accidit multis post hebdomadibus, et ex vehementi tentatione, vel ex efficaci occasione inopinata, et non quaesita, non est imponenda ei reiteratio confessionum: quia potest Confessarius verisimiliter judicare, eas fuisse validas. Si vero recidivus neque ante, neque post suas confessiones ita se gessit, dubia censenda est ejus dispositio, ac conversio; et sic dubiae saltem, nisi certo malae ejus confessiones censendae sunt, ac proinde repetendae. Collet.

Q. Quaenam censentur remedia aptiora praescribenda consuetudinario, vel recidivo ?

R. Illarum virtutum opera, quae suis vitiis contraria sunt, v. g. pro usura-

rio, eleemosyna, pro ebrioso abstinentia aliqua a vino, et sic de aliis. Praeterea meditatio Novissimorum, recursus ad B. Virginem, ac Sanctos, repetita detestatio peccatorum, auditio Missae, lectio piorum librorum, punitio quaedam toties, quoties in peccatum recidit, v. g. eleemosyna, abstinentia ab aliquo cibo, vel aliqua alia salutari poenitentia etc.

Q. Estne habendus uti recidivus ille, qui post confessionem, licet non relapsus sit in eadem peccata, quae jam confessus est, et pro quibus impertita fuit absolutio, recidit tamen in alia mortalia diversae speciei?

R. Si post confessionem non elaboravit, ut in accepta gratia permaneret; neque occasiones peccandi vitavit, neque tentationibus obstitit, Deo se commendando, meditando etc., sed post aliquot dies ad peccata rediit eadem, qua antea, facilitate, certe ut recidivus habendus est, eique proinde deneganda absolutio est, et curandus uti recidivus; quia suspecta nimis, et dubia est ejus dispositio, non secus, ac dispositio veri recidivi. Re enim vera si in anteacta confessione propositum ejus firmum fuisset, non ita statim, non ita faciliter relapsus fuisset; fuit ergo tunc infirmum, ac apparens ejus non relabendi propositum, tale et nunc existimandum est. Concina.

Q. Teneturne poenitens Confessario interroganti fateri consuetudinem peccati?

R. Maxime, quia sicuti Confessarius habet jus, imo obligationem interrogandi Poenitentem circa peccandi consuetudinem, et circa ea omnia, quae pertinent ad rectam Sacramenti administrationem, ita et poenitens tenetur respondere Confessario interroganti, ut possit facere rectum judicium. Hinc jure damnata fuit ab Innoc. XI. propositio haec: *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.* Praeterquam quod, etsi non interrogetur Poenitens a Confessario de consuetudine, ipse etiam tenetur ex se consuetudinem suam accusare, ut Confessarius de statu Poenitentis rectum judicium efformet.

Q. Qui peccat ex consuetudine, peccatne toties, quoties peccat, licet ad actum non advertat?

R. Maxime, quia illi actus ex consuetudine iterati, licet non sint voluntarii in se, et directe, sunt tamen voluntarii in caussa, quatenus potest, et debet consuetudinem tollere, et non tollit.

Q. Peccatne ille, qui per veram poenitentiam retractavit consuetudinem, et postea peccat ex consuetudine, non advertendo ad actum?

R. Minime, quia tunc actus neque in se voluntarius est, quia non advertitur, neque est voluntarius in caussa, quia haec fuit jam per poenitentiam retractata.

Q. Peccatne ille, qui advertit consuetudinem contraxisse, et illam extirpare non curat?

R. Maxime, quia cum consuetudo sit occasio proxima peccandi, quisque eam removere tenetur; quisque enim tenetur periculum peccandi proximum vitare, ac omne id, quod caussa esse potest peccati. Peccat autem iste graviter, vel leviter, prout est peccatum, circa quod contracta est consuetudo. Antoine.

§. II. *De occasione peccandi*

Q. Quid est occasio peccandi?

R. Est *omne id, quod allicit ad peccatum*, sive ex natura sua, sive ex fragilitate operantis, sive ex aliqua alia circumstantia id contingat. Collet.

Q. Quid est occasio peccandi?

R. Duplex est, *remota* scilicet, et *proxima*. *Remota* est illa, quae non affert probabile periculum peccandi, sive est illa, in qua quis positus non est verisimiliter peccaturus. *Proxima* vero est illa, quae affert morale, seu probabile periculum peccandi, sive ea, in qua quis positus verisimiliter est peccaturus. Concina, Stampò, Antoine, Collet.(1).

Q. Quotuplex est occasio proxima?

R. Duplex: altera dicitur proxima *per se*, et est illa, quae ratione sui et attenta hominum fragilitate, valet inducere quemquam proxime ad peccatum: uti aspectus impudicus, lectio librorum turpium etc.; altera dicitur proxima *per accidens*, et est illa, quae quamvis proxime non inducat ex natura sua homines ad peccandum, hunc tamen, vel illum inducit, attenta speciali fragilitate ipsius, uti est ingressus in cauponam ebrioso, ludus blasphemo, officium Medici, vel Advocati homini ignaro etc.

Utraque occasio enim proxima etiam duplex est, *voluntaria* scilicet, et *involuntaria* seu *necessaria*. *Voluntaria* est illa, quam quis potest facile, et sine gravi incommodo tollere, et a se removere. *Necessaria* est illa, quam quis aut physice, seu naturaliter tollere non potest, eo quia remotio illius non pendet a voluntate occasionarii, uti si quis reperiatur in eadem navi cum muliere, cum qua pluries peccavit, in eodem carcere cum muliere, cum qua pluries peccavit, in eodem carcere cum homine flagitioso, quocum saepius graviter detraxit judicem etc. aut moraliter, h. e. secundum hominum existimationem, quatenus, licet absolute occasionarius tollere eam posset, attamen hic, et nunc, sive novo peccato, eam removere non valet, vel sine gravissimo incommodo, v. g. periculo vitae, infamia maxima, notabilissima bonorum jactura etc: Denique occasio vel est *in esse*, seu actualis, et praesens, uti concubina domo detenta, vel ancilla,

(1) Est quidem in occasione proxima 1. Ille, qui retinet in propria domo aliquam foeminam, cum qua saepe rem habuit. 2. Ille qui frequenter in ludo prorupit in blasphemias, aut fraudes. 3. Ille, qui in aliqua caupona, aut domo saepe se inebriaverit, aut ceciderit in rixas, vel actus, verba, aut cogitationes obscoenas. Porro omnes isti absolvi nequeunt, nisi postquam occasionem abstulerint. . . Et ita pariter non potest absolvi qui aliquam domum adeundo, quamvis semel in anno, semper ibi peccavit, talis enim aditus jam ipsi proxima est occasio. Nec etiam absolvi possunt qui tametsi in occasione positi non labuntur, afferunt tamen aliis grave scandalum. Addunt aliqui DD. negandam quoque absolutionem illi, qui occasionem externam non removet, si cum occasione conjungitur habitus vitiosus, aut magna tentatio, seu vehemens passio, quamvis usque tunc in ea occasione numquam peccaverit: nam facile deinde peccare poterit, si ab occasione se non amoverit. Hinc dicunt quod si umquam aliqua famula tentaretur ab hero, et ipsa se noverit facilem ad labendum, ab ea domo abscedere tenetur, si commode potest, alioquin temere praesumeret se securam habere. *S. Ligorius homo apost. Punct. 1. de iis, qui in occas. prox.* § 2.

quae cum Domino peccat etc, vel non est in esse, sed absens; seu extra se quaesita, uti est caupona, lusoria domus, theatrum etc. (1)

Q. Tenemurne fugere occasionem?

R. Si occasio remota est, eam non tenemur fugere, quia aliter teneremur ex hoc Mundo exire, ut ait Apostolus 1. *ad Corinth.* 5., nam ut ait Sapiens *cap. 14.*: *Creatura quaevis hujus Mundi potest esse nobis occasio peccandi.*

Hic tamen advertendum, quod tenemur fugere quantum fieri potest, occasiones quasdam, quae licet appareant remotae, facile tamen fieri possunt proximae. At si occasio proxima est, illam declinare tenemur. Recta enim ratio postulat, ut non solum peccatum vitemus, sed etiam caussam peccati, et periculum ejus. Hinc qui advertit, se esse in occasione proxima peccandi mortaliter, et eam non removet, graviter peccat; nam illam non fugiendo, cum possit, ostendit velle virtualiter peccatum, ac Dei amicitiam, suamque aeternam salutem contemnere; unde, Ecclesiast. cap. 3. habetur: *qui amat periculum, peribit in illo.* Quinimo toties graviter peccat, quoties in se occasionem proximam graviter peccandi fovere advertit, et non conatur eam removere, si voluntaria est; vel remotam facere, si necessaria fuerit (1).

Q. Poenitens, qui est in occasione, absolvendusne est?

R. Si est in occasione remota absolvendus est, quia aliter nemo erit absolvendus; nam quisque in hoc Mundo in occasione remota peccandi versatur, ut supra dictum est.

Si est in occasione proxima praesenti, sive actuali, nisi prius eam dimittet, absolvendus non est, quia indispositus censetur; nam vult peccatum, cum velit caussam, et periculum ejus. Quare recte confixa fuit ab Innoc. XI. propositio 61.: *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, et non vult omittere; quinimo directe, et ex proposito quaerit, aut ei se ingerit.*

(1) Generaliter advertendum quod ubi agitur de periculo peccati formalis, et praecise peccati turpis, Confessarius quanto magis se rigorosum cum poenitente adhibebit, tanto magis ejus saluti proderit: et contra tanto magis cum illo immunis erit, quanto magis benignus erit in permittendo, ut ille in occasione maneat, aut se immittat. S. Thomas de Villanova Confessarios in hoc condescendentes vocat eos *impios pios*. Haec charitas est contra charitatem. Solent in his casibus poenitentes conari, ut Confessarii apprehendant quod occasionem removendo magnum orietur scandalum. Fortis sit Confessarius ad hujusmodi timores despiciendos; majus semper erit scandalum videre quod poenitens nec etiam post Confessionem occasionem aufert. Aut alii ejus peccatum ignorant, et tunc nihil mali suspicabuntur. Aut sciunt, et tunc poenitens famam potius recuperabit, quam amittet removendo occasionem. *S. Ligorius loc. cit. §. 3.*

(2) Caveant Confessarii a permittendo sponsis domos sponsarum adire, et puellis, earumque parentibus sponsos in domum admittere, quia raro evenit quod tales sponsi non labuntur saltem in verba, aut cogitationes turpes in hujusmodi occasiones, dum omnes aspectus, et colloquia inter sponsos sunt incentiva ad peccandum, estque moraliter impossibile ipsos invicem conversari, et non sentire stimulos ad eos turpes actus, qui tempore matrimonii deinde succedere debent. Generaliter autem loquendo de adolescentibus, et puellis, qui invicem se adamant, non sunt isti omnes indistincte de gravi culpa damnandi, sed ordinarie puto ipsos difficulter esse extra occasionem proximam lethaliter peccandi. *S. Ligorius loc. cit. §. 3.*

Si autem est in occasione proxima absente, et non vult recedere ab ea, nec etiam absolvendus est,nam qui hujusmodi occasioni vult insistere, jam amat periculum peccandi, et suam spiritualem ruinam, et proinde etiam indispositus est.

Q. Quid si hujusmodi occasionarius promittat Confessario se remoturum hujusmodi occasionem?

R. Si alias hoc idem promisit Poenitens, sed promissis defuit, absolvendus non est, donec revera occasionem dimittat, et experiatur Confessarius propositi firmitatem. Si vero nunc primum de hac occasione confitetur, vel alias confessus, monitus tamen non fuit de gravi malitia suae occasionis, atque nunc vera, et clara signa sui doloris praesefert, potest ei fides haberi, et absolutio impertiri docent aliqui. At facilius, quod post absolutionem tum ex daemonis astu, tum ex opportunitate occasionis deficiat in promissis, ideo rectius pro experimento differatur absolutio ad tempus, quod Confessarii prudentia, attentis occasione peccati, dispositione Poenitentis, aliisque circumstantiis, dictaverit.

Hic tamen nota, quod non sufficit removere tantum occasionem peccandi proximam, sed etiam removendum est omne id, quod ad illam pertrahit, et allicit. Hinc si quis mulierem, cum qua peccavit, dimisit, tenetur etiam deinceps ejus aspectum evitare, munuscula, ac litteras respuere si casu ea sibi obviam veniat, non colloqui etc. Si enim haec, aliaque similia fiant, occasio jam adhuc occulte viget. Collet.

Q. Quid si poenitens excusetur, se non posse occasionem removere ex caussa sibi utili, vel pro bono spirituali, vel temporali suo, vel proximi?

R. Debet Confessarius ei suadere peccatum, et peccati caussam nobis esse vitandam etiam cum periculo vitae, et jactura omnium bonorum hujus vitae: *Quid enim* ait Christus *Matth. cap.* 16., *prodest homini si mundum universum lucretur Animae vero suae detrimentum patiatur?* Quod si Confessarii dictis nolit acquiescere, debet Confessarius eum inabsolutum dimittere; et patet ex hisce propositionibus ab Innoc. XI. proscriptis num. 62, et 63: *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando caussa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.* Item: *Licitum est quaerere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel Proximi.*

Q. Quid si poenitens sit in occasione proxima necessaria?

R. Nec etiam est statim absolvendus, sed Confessarius debet ei praescribere remedia opportuna, et non prius debet eum absolvere, quam, recte adhibitis remediis, occasio proxima facta sit omnino remota, et prudenter putet, ablatum esse omne periculum proximum peccandi.

Q. Quaenam remedia occasionario sunt praescribenda?

R. Primo sunt illa, quae directe conferunt ad occasionis proximae remotionem, nempe fuga, quantum fieri poterit, objecti, ex quo periculum lapsus oriri potest, v. g. blasphemat quis ob improbitatem suae uxoris, filii, patris, etc. imperet ei Confessarius, ut quoad ejus fieri poterit, contentionem cum illo habere vitet, silentium servet, illo loquente, et si debet respondere, mansuetum sit responsum, et humile, quia *responsio mollis frangit iram.* Labitur quis ad turpia cum sorore, cognata, affine etc., quae

in eadem domo cohabitat, praescribat ei, ut solus cum sola non alloquatur, ut fugiat aspectum illius, ut nulla amoris signa ei ostendat: imo animum aversum, et despicientem. Deinde imponat ei recursum ad Deum, B. Virginem, Sanctos, fugam otii, meditationem Novissimorum, jejunium, eleemosynam etc. Denique debet eidem praecipere, ut quamprimum ab illa occasione proxima liberari possit, recedat sub aliquo honesto praetextu. Si his praescriptis, etiam, relabitur, absolutio differatur, usquedum occasio proxima non fiat remota, et prudenter, ac jure non credatur eliminatum proximum peccandi periculum.

Q. Quid si quis sit in occasione formaliter proxima, sed materialiter remota: v. g. Mercator semel in anno solet accedere ad nundinas Salernitanas, et ibi cum hospita peccare?

R. Si occasionarius iste eidem vel diverso Confessario alias promisit hujusmodi occasionem removere, sed postea promissis non stetit, absolvendus non est, sed diu, multumque Confessarius absolutionem ei differre debet, et constanti, ac severa probatione ejus emendationem experiri, praesertim si non semel, sed pluries a promissis discessit. Dixi, *diu multumque*, quia non totum annum, loquendo de Mercatore in exemplum adducto, tenetur Confessarius expectare ad experiendum, num Mercator, advenientibus nundinis, fideliter suam adimpleat promissionem; quia vera conversio, si est, ut plurimum signis tam efficacibus se prodit ut omnem dubitandi rationem repellat, quod raro evenit. Collet.

Q. Quid si occasionarius sit in probabili periculo, vel articulo mortis?

R. Si mors ita proxima est, ut tempus occasione removendi non suppetat, atque occasionarius signa verae poenitentiae, ac dispositionis praebet, absolvendus est; quia verisimiliter creditur, quod occasionarius, cum in tali periculo versetur, verum ac firmum habeat propositum occasionem removendi. At si tempus adest congruum ad occasionem removendam, et statim non rejicit eam, non est absolvendus, nisi post occasionis remotionem. Neque Confessarius excusationem audiat scandali, infamiae, periculi, etc., quam forte occasionarius attulerit, quia effingi potest aliquis verisimilis, et honestus praetextus, quo occasionem illico dimittat, et sic scandalum, infamia, periculum evanescat, ac Animae suae bene consulat. Collet.

§. III. *De Scandalo*

Q. Quid est Scandalum?

R. Est dictum, vel factum minus rectum praebens alteri occasionem ruinae spiritualis.

Dicitur *dictum*, vel *factum*, quia sola actio exterior potest esse ruinae spiritualis alterius occasio. Ubi adverte, quod sub dicto, vel facto, venit etiam non dictum, vel non factum, quia adfirmatio, et negatio reducuntur ad idem genus, unde scandalum afferre alteri potest ille, qui invitat ad turpia, et ille qui turpia tenetur impedire, et non impedit.

Dicitur *minus rectum*, quia non requiritur ad inferendum scandalum, ut actio sit revera mala, sed sufficit, si habeat speciem mali, et praebeat alteri occasionem peccandi; quare ponens opus per se indifferens, potest alteri praebere scandalum, et peccare peccato scandali, quando scilicet illud

opus apparet tanquam malum. Sic scandalum videtur afferre viciniae Religiosus, et Clericus, qui domum aliquam, ubi sunt mulieres suspectae, frequentat, licet sine ullo peccato, quia haec frequentatio praesefert speciem mali.

Dicitur, *praebens occasionem*, et non caussam, quia ad rationem scandali non requiritur, ut spiritualis ruina Proximi revera sequatur, seu non requiritur, ut inductus cadat in peccatum, sed sufficit, si ei detur occasio, qua cadere possit in peccatum; quare dari potest scandalum activum sine passivo.

Q. Quotuplex est Scandalum?

R. Duplex, *Activum*, et *Passivum*. Primum est dictum, vel factum minus rectum, ut mox definitum est. Secundum est ruina spiritualis Proximi orta ex dicto, vel facto minus recto alterius.

Q. Scandalum activum quotuplex est?

R. Duplex: *directum* scilicet, et *indirectum*, seu *interpretativum*. Primum est dictum, vel factum, quo quis expresse, et directe intendit ruinam spiritualem proximi, illum tentando, rogando, suadendo etc., ut consentiat in actionem malam, sive ut depravatam reddat Animam istius, sive ut aliquid sibi utile, vel delectabile procuret. Indirectum autem est dictum, factum, quo quis non intendit ruinam Proximi spiritualem, sed vel suum, aut alterius commodum, vel utilitatem; at praevidens, vel praevidere potens, quod suum dictum, vel factum alios inducat, vel inducere possit ad peccatum.

Q. Scandalum passivum quotuplex est?

R. Duplex, *Pusillorum*, et *Pharisaicum*. Primum habetur, quando quis scandalizatur ex actione alterius ob suam ignorantiam, vel fragilitatem. Secundum habetur, quando ex sua mera malitia aliquis scandalizatur. Dicitur hoc scandalum *Pharisaicum*, quia tale erat scandalum Pharisaeorum, et Judaeorum, qui ex bonis Christi operibus scandali, seu propriae spiritualis ruinae occasionem assumebant.

Q. Scandalum sive directum sive indirectum, estne speciale peccatum?

R. Est speciale peccatum contra caritatem, nam licet unicuique datum sit mandatum de Proximo suo: Eccl. cap. 17, scilicet ut ejus spiritualem salutem procuret, scandalosus tamen scandalo suo spiritualem Proximo ruinam afferre directe vel indirecte intendit. Hoc autem peccatum est ex genere suo mortale, et eruitur ex gravi poena, quam minatur Dominus ei, qui scandalum alteri praebet apud Matth. cap. 18: *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur. . . Vae homini illi, per quem scandalum venit.*

Dixi *ex genere suo scandalum esse peccatum grave*, quia si scandalum fuerit tantum culpae venialis occasio, scandalum veniale peccatum erit. Excipe tamen, si scandalum inducat ad venialem culpam, quae grave detrimentum spirituale, vel temporale Communitati, vel tertiae personae inferat, quia tunc scandalum illud mortale peccatum erit; nam indirecte inducit ad mortale. Hinc graviter peccat Superior Communitatis Religiosae, qui culpas veniales Subditorum suorum per congruam correctionem non impedit; quia talis omissio, licet sit caussa venialium defectuum, grave tamen damnum disciplinae, sive regulae remissionem Religioni infert. Collet.

Q. Daturne casus, in quo quis facit actionem minus rectam coram aliquibus, et peccatum scandali non committit?

R. Maxime, et est quando quis dictum, vel factum minus rectum ponit coram hominibus illis, quos ipse praevidet exemplo suo ad peccatum non esse alliciendos: hic enim occasionem ruinae spiritualis non praebet eis, uti est, si quis peccat coram viro valde pio, qui ex peccato alterius potius assumit occasionem virtutis, quam peccati, ut asserit Hieronymus *cap. 18. Matth. Perfecti homines scandala non recipiunt.* Et licet aliquando videatur commoveri vir justus ex peccato alterius, illa commotio tamen scandalum non est, sed vel displicens admiratio, vel indignatio de peccato alterius. Idem dic si peccatum etiam grave committatur coram homine valde improbo, qui exinde nec ansam sumit peccandi. Excipe tamen actiones, quae turpitudinem continent: hae namque cuicumque scandalum afferre possunt, et ejus labefactare cor. Collet, Antoine.

Q. Quot peccata committit ille, qui praebet alteri scandalum?

R. Plura. Primum contra caritatem, quia inducit Proximum ad peccandum, et spiritualem ejus ruinam procurat cum ex caritate teneatur ejus salutem spiritualem intendere. Secundum contra illam virtutem, ad quam laedendam suo scandalo alium inducit, quia quaelibet virtus exigit, ut actus sibi conformes eliciamus, et ut neque per nos violemus, neque per alios eam violare faciamus. Tertium est peccatum illud, quo praebet alteri scandalum. Hinc si quis furando inducit aliquem ab blasphemandum, tria peccata committit, primum contra justitiam, quia injuste rem alterius aufert. Secundum contra caritatem, quia per furtum inducit Proximum ad peccandum. Tertium contra Religionem, quia inducit ad blasphemiam, quae Religioni opponitur.

Q. Teneturne poenitens necessario explicare in confessione quod per peccatum suum praebuit Proximo scandalum?

R. Maxime: quia haec circumstantia mutans est, et in confessione proinde necessario aperienda; nam peccato principali addit novum peccatum contra caritatem. Hinc scandalosus debet manifestare Confessario 1. Peccatum, quo dedit scandalum 2. ad quod peccatum scandalum suum inducebat: 3. Quot personae, et cujus conditionis fuerunt inductae, vel poterant induci ad peccandum; nam quot personae fuerunt inductae vel poterant induci, tot fuerunt objecta peccati, et quidem duplicis. Hinc, si Seius furto suo duos scandalizavit, eos inducendo ad blasphemiam, praeter peccatum furti, commisit alia duo peccata contra caritatem, quia duos induxit ad peccatum: et alia duo contra Religionem, quia illi duo per blasphemiam Religionem laeserunt.

Q. Ille, qui pravo suo exemplo induxit alium ad furandum, vel ad damnum alteri inferendum praeter peccata, quae commisit, teneturne ad restitutionem?

R. Si praevidit, vel praevidere potuit, quod ex pravo suo exemplo induceretur alter ad furandum, vel damnificandum, tenetur ad restitutionem: quia cum quis praevidet, quod per actionem suam illicitam damnum Proximo inferat, tenetur ex justitia abstinere ab illa actione; nam Proximus habet jus ut agens abstineat ab illicitis, quae ei damnum inferre possunt, et proinde non abstinendo laedit jus illius, ideoque cum ex tali laesione da-

mnum oriatur, illud tenetur compensare. Praeterea cum praevidit, furtum, vel damnum ex suo exemplo oriturum, et ab actione, vel omissione non abstinet, cum abstinere possit et debeat, indirecte vult furtum, vel damnum, et proinde ipse censetur caussa, licet indirecta furti, vel damni, juxta *Cap. ultim. de injuriis: et lege 3o. D. ad. L. Aquiliam: Qui occasionem praestat damni, damnum fecisse videtur.* Collet *de justitia tom. 3 fol. 90.* Si vero non praevidet, neque praevidere potuit, non tenetur ad restitutionem; quia non fuit caussa furti vel damni, cum furtum, vel damnum nec directe, nec indirecte fuit sibi voluntarium: fuit ergo tantum occasio damni.

Q. Tenemurne, ut vitemus scandalum passivum Proximi omittere opus aliquod non malum, neque speciem mali habens?

R. Scandalum Pharisaicum, concurrente aliqua rationabili caussa necessitatis, vel utilitatis nostrae, aut alienae, vitare non tenemur, utpote quod oritur ex propria scandalizati malitia: et proinde ipsi malitioso imputandum. Eruitur ex Matth. cap. 15. ubi cum fuerit Christo dictum: *scis, quia Pharisaei audito hoc verbo scandalizati sunt?* Christus respondit: *sinite illos, caeci sunt*, quasi voluisset dicere: ne habeatis rationem eorum scandali; nam oritur ex malitia, quae eos excaecavit. Si vero nulla necessitas, nulla urgeat utilitas, tenemur nos ex caritatis praecepto peccatum Proximi repellere, quando possumus, sine nostro gravi detrimento, vel incommodo, atque nulla adest illud permittendi caussa.

Eo magis scandalum Pusillorum removere tenemur, abstinendo ab iis dictis, vel factis, quae licet non sint mala, neque habeant speciem mali, possunt tamen Proximum fragilem vel ignarum inducere ad peccandum, quando abstinere valeamus ab iis sine gravi incommodo, vel detrimento. Eadem enim lex caritatis exigit, ut impediamus peccatum Proximi infirmi, cum possumus sine gravi nostro incommodo, vel damno, ut supra dictum est, et proinde eadem caritatis lex nos urget, ut ab ejusmodi dictis, vel factis abstineamus, saltem donec Proximus infirmus, vel ignarus de suo indebito scandalo moneatur. Antoine.

Q. Ad removendum pusillorum scandalum suntne omittenda opera bona, quae vel de consilio, aut de praecepto positivo ponenda sunt?

R. Si possunt differri, vel occultari, sunt differenda, aut occultanda ex eadem caritatis lege, quae urget, ut, cum possumus, peccatum Proximi removeamus. Si vero non possumus differre ea, vel occultare; tunc, nisi ex omissione majus damnum immineat nobis, vel aliis, poterunt praetermitti, saltem donec admoneatur Proximus de injusto ejus scandalo, et de ratione, qua ad sic agendum impellimur. Si autem post monitionem non cesset inde scandalizari, tunc cum scandalum sit mere Pharisaicum, opera bona tum de consilio, tum de praecepto positivo non sunt omittenda, neque amplius differenda. D. Thomas, Antoine, Concina.

Q. Ad vitandum grave scandalum Proximi, estne licitum committere peccatum leve, v. g. leviter mentiri, ne quis stuprum committat, pejeret etc.?

R. Minime, quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona, ut monet Apostolus ad Roman. cap. 3. Quare D. Thomas in 4. distinct. 38. qu. 11. art. 4. ait: *dicendum quod homo peccatum veniale committere, ne alius peccet mortaliter, non tenetur; nec benefacit committendo.* A fortiori

non licet committere peccatum grave minus ad vitandum peccatum Proximi gravius. Hinc ad vitandum scandalum non licet facere actionem prohibitam Lege naturali; quia nunquam licet facere actionem intrinsece malam. Item non licet omittere actum Lege naturali praescriptum in iis circumstantiis, in quibus praescribitur, quia talis omissio est etiam intrinsece mala. Nec etiam licet omittere ea, quae sunt necessaria necessitate medii ad salutem; quia, ut ait D. Thomas, secundum ordinem caritatis plus debet homo suam salutem spiritualem diligere, quam alterius. Insuper non licet omittere opus bonum in detrimentum Fidei, vel boni communis spiritualis, quia hujusmodi omissio est etiam intrinsece mala.

Q. Peccatne peccato scandali, qui peccato alterius cooperatur?

Nota, quod quis cooperari potest peccato alterius dupliciter; *remote* scilicet *seu materialiter*, *et proxime*, *seu formaliter*. Cooperatur *remote*; et *materialiter* quis, cum ponit actionem de se non malam, qua alter uti potest sine peccato, v. g. vendit quis gladium militi, qui eo uti potest sine peccato, petit quis pensionem domus a conductore, qui eam solvere potest sine perjurio, vel blasphemia etc. Cooperatur vero *proxime*; seu *formaliter* quis, cum ponit actionem, quae ex aliqua circumstantia influit in peccatum alterius, v. g. vendit quis venenum ei, qui suum inimicum meditatur occidere, exscribit epistolam turpem ei, qui vult illam mittere ad amasiunculam absentem. Hoc notato.

℟. Ille, qui proxime, seu formaliter cooperatur peccato alterius, peccat quidem, ac peccatum ejus scandalum est, quia influit in Proximi peccatum, quod ex caritatis lege removere tenetur (1). Ille vero, qui remote, seu materialiter peccato alterius cooperatur, non peccat, servatis tamen his conditionibus: quarum prima est, ut actio, qua cooperatur sit bona, aut saltem indifferens. Secunda, ut cooperans ponat actionem suam ex fine bono, et absque ulla intentione inducendi Proximum ad peccatum. Tertia, ut cooperetur ex justa caussa, v. g. ex utilitate vel gravis damni remotione, vel alia necessitate. Quarta, ut cooperans non teneatur ex vi sui muneris impedire peccatum alterius, cui cooperatur. Quinta ut alter tali cooperatione non abutatur contra bonum commune Ecclesiae, vel Reipublicae. Sub his enim conditionibus, si res penitus inspiciatur, prudenti existimatione non censetur quis cooperari peccato alterius, sed solum ex justa caussa illud permittere. Cuniliati, Antoine.

Q. Peccatne peccato scandali, qui suadet minus malum ei, qui paratus est jam patrare majus?

℟. Sive illud minus malum, quod suadetur, est distinctum peccatum a graviori, quod quis paratus est facere, certe peccat peccato scandali, quia

(1) Cooperatio *formalis*, est quae evenit cum directe cooperatur ad peccatum (ut est in eo, qui fornicatur): aut cum influit in pravam voluntatem proximi volentis peccare; ut esset servare terga latroni, aut sicario, ut securius furetur, aut occidat: scribere literas amatorias vice Concubinarii, aut afferre dona concubinae: accipere dona ab eo, qui suae honestati insidiatur. Hae, et his similes cooperationes sunt intrinsece malae, quia ipsis datur ansa proximo ad peccatum exequendum, aut saltem istius prava voluntas fovetur, ideoque nulla ex caussa, ne mortis quidem, excusari possunt a mortali. *S. Ligorius homo apost. Tract. IV. de 1. Praecept. Decal. Punct. V. §. 31.*

inducit eum ad novum peccatum licet minus: quae inductio per se mala est, utpote moralis caussa novi peccati. Hinc illi, qui paratus est occidere Cajum non potest quis suadere, ut illum falso accuset de furto; quia habetur ad novum peccatum inductio. Sive illud minus malum non est distinctum a malo graviori, quod fieri statutum erat, sed solum est diminutio illius mali gravioris, v. g. parato occidere Cajum suadet quis, ut non occidat, sed verberet. Et tunc debet suadere remotionem majoris mali, et potest tacere de minori, numquam suadere, quia semper consentiret minori malo, quod semper est illicitum. Antoine de peccato scandali pag. 138. edit. Neap. Verum, ut possit tacere, requiritur, ut hae concurrant conditiones, scilicet 1. Ut taceat minus malum directe ad removendum gravius. 2. Ut non adsit alia via removendi illud. 3. Ut tali silentio damnum tertiae personae non inferatur.

Q. Quid si quis firmo, ac deliberato animo constituerit duo perpatrare crimina disparis malitiae, licitumne est suadere minus, ut vitetur majus?

R. Communior sententia est, quod licitum sit, quia tunc non suadetur malum uti malum, sed suadetur bonum in privatione majoris mali situm: Concina (1).

Q. Potestne quis facere aliquod opus, quod sit alteri occasio peccandi, illud consulto faciens ad alterius experientiam, vel correctionem?

R. Minime, et si id praestet, peccat peccato scandali, quia praebere data opera offendiculi materiam Proximo, idem est ac pellicere eum ad peccandum occasione sua, sine qua forsan non peccaret, unde positive, et proxime cooperatur peccato alterius. Antoine, Cuniliati.

Q. Licetne absque peccato scandali permittere Proximo peccatum ad bonum finem, v. g. ut Proximus deprehensus in crimine, quod permittitur, puniatur, vel saltem redarguatur, vel ut ipse permittens impediat aliquod malum grave sibi, vel alteri imminens?

R. Si hic finis bonus alio modo obtineri non potest, ac probabilis spes adest, quod ex tali permissione obtineatur, neque permittens teneatur impedire, licita est hujusmodi permissio, utpote quae justa, ac rationabilis; nam ex bono fine oritur, neque ullum praebet positivum concursum ad peccatum alterius, et dumtaxat ob honestum finem non impedit, quod in tali casu impedire non tenetur. Cuniliati, Antoine, Concina.

Q. Potestne quis absque peccato scandali petere honestam actionem ab illo, qui potest eam, si velit, sine peccato praestare: sed petens praevidet, quod actio illa ab eo cum peccato sit praestanda?

(1) Dicimus *cum Sanch., Soto, Navar. Molin. Cajet. Sylvest. et Salmant. etc.* confirmari *S. Augustini* auctoritate (contra alios) licere minus malum suadere, ut majus evitetur, quod proximus paratus est exequi, quia tunc qui suadet, non procurat malum, sed bonum, suadens minus malum, licet alterius sit speciei. Ita etiam licet Domino, aut Parenti non auferre occasionem furandi servis, aut filiis, qui jam parati sunt ad furandum, ut in delicto comprehensi melius emendari possint. Ob id permittunt DD. multi posse etiam offerri occasiones furandi, permittendo ut furentur, ut evitentur delicta futura duce S. Thoma (2. 2. q. 78. a 4.), qui sic ait: *Inducere ad peccandum nullo modo licet: uti tamen peccato alterius ad bonum licitum est. S. Ligorius homo apost. Punct. IV. de Scandalo §. 3o.*

R. Maxime, dummodo petens non sit specialiter obstrictus ad tale peccatum impediendum, et nullam habeat intensionem inducendi illud ad peccatum, et gravis necessitas urgeat, vel magna utilitas impellat ad petendam actionem illam honestam: quia in talibus circumstantiis petens non tenetur impedire peccatum Proximi, qui potest illud declinare, si velit: unde scandalum, quod accidit, pharisaicum esse censetur. Cuniliati, Antoine.

Hinc potest quis Sacramenta petere a malo ministro gravi accedente necessitate, si aliud non adsit Minister bonus, a quo petat: potest puella gravi morbo laborans vocare Medicum, a quo credit turpiter amari, si alius Medicus non adsit, a quo curetur, et ipsa nulli periculo consensus, vel delectationis subjiciatur. Potest quis exigere juramentum ab eo, quem, probabiliter credit, pejeratum, vel juraturum per falsos Deos, si gravis, ac justa urgeat necessitas exigendi. Ita laudati Theologi.

Q. Peccatne peccato scandali, qui petit mutuum ab eo, quem certo scit nolle dare, nisi sub injusto foenore?

R. Vel petit mutuum ab usurario, ut suae vel alienae necessitati prospiciat; et non peccat, quia petitio, et collatio mutui bona est: quare qui mutuum postulat, rem bonam, et honestam postulat. Quod autem mutuator nolit mutuum dare, nisi sub usura, malitiae suae est adscribendum, proinde cum peccatum suum ex malitia sua oriatur, scandalum passivum suum Pharisaicum est, quod necessitate urgente, vitare non tenemur. Si autem nullam habeat necessitatem petendi, peccat tunc peccato scandali, etiamsi petat mutuum ab usurario parato ad foenus: quia gratis inducit Proximum ad peccatum quod ipse ex lege caritatis tenetur impedire, quando sine suo gravi incommodo potest. D. Thomas 2. 2. q. 78. art. 4 Concina.

Q. Quid si mercator petat a foenatore pecunias ad exercendam mercaturam?

R. Si mercator ex necessitate prosequi debet negotiationem, et ideo sub usura pecuniam petit a foeneratore, non peccat: quia gravi cogente necessitate licitum est a quocumque rem honestam poscere, uti est mutuum in casu proposito. Si autem nulla, vel levis necessitas id suadeat; v. g. caussa lucrandi, ut ditescat, peccat; quia sine rationabili caussa inducit Proximum ad peccandum.

Q. Mulier, quae se ornat, et aspectui aliorum se praesentat, peccatne peccato scandali?

R. Cum congruenter se ornat mulier ista juxta morem Patriae, qualitatem sui status, et modestiam Christiano debitam neque ei ulla est prava vanitatis, vel lasciviae intentio, non peccat, quia congruens ornatus mulieri debitus est, et proinde mulier utitur jure suo, dum congruenter se ornat. Si autem cum ornatu pravam aliquam conjungit intentionem lasciviae, mortaliter peccat. Et a fortiori, si vestitu lasciviam spirante induta, pectoris, vel scapularum, aut brachiorum nudatione inverecunda comparet, vel si ipsa exemplo est aliis mulieribus ut superfluo, et inverecundo ornatu (vulgo *alla moda*) se ornet: quia alias mulieres inducit ad peccatum, excitat spectatores ad libidinem, et turpium amatorum gregem ad se pertrahit, quis eam a gravi peccato scandali excusaverit? Demum si cum ornatu conjungat intentionem ostentationis, vel inanis gloriae, non vacat culpa; quae non semper mortalis est, ait D. Thomas 2. 2. q. 169. art. 2., sed solum quan-

do conjungitur cum intentione directa, vel indirecta placendi hominibus, eorumque amorem turpem excitandi. Concina (1).

Q. Si Mulier juxta morem patriae congruenter, et modeste ornata apparet, praevidens posse turpes affectus suscitare in corde alicujus determinatae personae, peccatne peccato scandali?

R. Maxime, et quidem graviter, etiamsi ipsa scandalum inferre non intendat, quando hoc sine ulla gravi necessitate, vel utilitate faciat, quia caritatis lex urget, ut evitet Proximi peccatum, quod sine ullo gravi incommodo vitare potest. At si necessitas urgeat apparendi, non peccat, quia non intendit peccatum alterius, sed suae utilitati, vel necessitati prospicere. Concina.

Quae dicta sunt in casu, quo praevidetur scandalum posse inferri determinatae personae, dic eadem, si praevideatur posse inferri scandalum aliquibus indeterminate, sed in aliquo determinato loco, v. g. in convivio, theatro, academia etc., quamvis nesciat, quinam sint, qui possunt promoveri ad turpes cogitationes aspectu suo; quia currit eadem ratio superius adducta. Concina.

Q. Quid dicendum de foemina, quae immodesto ornatu et affectato, ac capite aperto Ecclesiam ingradi audet, et Sacrificio Missae interest; vel Sacramenta suscipere praesumit?

R. Mortaliter peccat, quia evidens scandalum praebet aliis foeminis faciendi idem, et in viris improbis excitet pravos concupiscentiae motus; atque viris devotis distractiones maximas: in sacro enim loco Diabolus majus studium adhibet, et conatum perdendi Animas, unde ista foemina, ad sensum Sanctorum Patrum, *Venatrix Diaboli* dicenda est. Audiatur proinde Apostolus, qui 1. ad Cor cap. 2. ait: 1. *Omnis mulier orans velet caput suum:* deinde subnectit: *vos ipsi judicate: decet Mulierem non velatam orare Deum?* Et D. Augustinus in Epist. ad Possidium: *capillos nudare foeminas, nec maritatas dedecet.* Jure ergo S. Linus Pontifex ab Ecclesiae primordiis sancivit, ne qua mulier, nisi velato capite, in Ecclesiam intraret, et Trullana Synodus Can. 96. idem statuit, atque excommunicationem contra hujus Canonis violatores sancivit, et Tridentina Synodus sess. 22. cap. 9. jubet, ut Sacerdos non incipiat Missam celebrare; nisi prius, qui intersint decenter, et composito corporis habitu adsistant. Idem decrevit S. Carolus Borromaeus in Concilio Mediol. IV. part. 2. tit. 10. Quae dicta sunt de foemina, ceteris paribus, dicenda sunt de viro. Concina.

Q. Vir, vel Foemina fucis, et pigmentis vultum adulterans, ut venustior appareat, peccatne peccato scandali?

R. Maxime, quia ut ait Tertullianus, lib. de cultu foemin. cap. 1.: *Hoc a Daemone inventum est.* Id etiam reprobant S. Cyprianus *lib. de habitu virgin.* S. Ambrosius *lib. 1. de Virgin.* S. Paulinus, S. Thoma, S. Bernar-

(1) Muliebris cultus viros ad lasciviam provocat secundum illud *Proverb. VII. Ecce mulier occurrit illi ornatu meretricio praeparata ad decipiendas animas.* Hinc Chrysostomus *hom. XVII. in Evang. Matth: Si qua vero,* ait, *ideo ornatur, et comitur, ut in se oculos omnium irritet, etiamsi nullum pulchritudine sua potuerit vulnerare, dabit tamen extrema supplicia. Paravit quippe virus, temperavit venenum, porrexit poculum, etiamsi nullus, qui biberet, inventus est.*

dinus aliique sexcenti (1). An autem mortaliter peccet? Asserunt aliqui non semper mortaliter peccare, sed tunc solum, cum hoc faciat ex lascivia, seu cum fine provocandi Proximum ad turpem amorem, vel ad libidinem, vel ad admirandum suam pulchritudinem. At S. Bernardinus, et Alexander Alensis, aliique sanioris doctrinae ajunt, semper mortaliter peccare, quia semper commovet spectatores ad libidinem, vel saltem excitat in eis turpes cogitationes. Concina, aliique.

Q. Peccatne peccato scandali, qui domum, vel vestes, aut alia ornamenta locat meretrici.

R. 1. quoad domum. Si domus locetur intra restrictum Civitatis, Oppidi, Castri, etc., ubi interdictum est meretricibus habitare, peccat quidem, quia praebet commodum ad ejus iniquum commercium, et cooperatur pravo exemplo, quod datur aliis foeminis, et occasioni, quae datur juvenibus turpia commodius committendi. Et hinc est, quod in nostro Neapolis Regno ex Diplomate Caroli Regis sub die 14. Decembris anni 1737. prohibita fuit hujusmodi foeminis inhabitatio in corpore Civitatis, et tantum permissa fuit in quibusdam vilioribus partibus ejusdem, addita poena fustigationis pro meretrice, et amissionis aedium pro domino locatore, et nullitatis contractus locationis. Praeterea sicut ex *Authent. de lenonibus* 1. vetatur locari domum publico usurario, et lenonibus, quorum est puellas seducere, ut ex Civitatibus usurarum occasio, ac turpe commercium removeatur, sic et eadem ratio habetur pro locatione domus meretrici.

2. Quoad vestes, et ornamenta dico, quod si meretrix haec conducat, ut elegantioribus vestibus induta, et ornata melius, et commodius turpe munus suum prosequatur, illicitum est; quia locator, et idem dic de venditore, vere proxime cooperatur peccatis tum ejus, tum illorum, qui ad eam accedunt. Si vero vestes ad simplex corporis tegumentum deserviant, nullum peccatum est, quia necessitati naturali ejus favetur, non autem peccato. Concina, aliique.

Q. Estne licitum famulo, vel famulae inservire domino, vel dominae vacanti turpibus?

R. Si suus famulatus proxime concurrit ad peccatum turpe quod committitur a domino, vel domina, illicitus est, et quidem graviter, quia cooperatur proxime gravi peccato domini, vel dominae suae, et actio quam ponit sic famulando, est determinate mala; et sua indifferentia expoliata, proinde nullo modo excusabilis. Apparet ex Propositione 51. ab Innocentio XI. proscripta: *Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendentem per fenestras ad stuprandam Virginem, et multoties ei subservit, deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a Domino male tractetur: ne torvis oculis aspiciatur, ne domo*

(1) S. Cyprianus (Lib. de Disciplina, et habitu virginum) inquit: *Si tu te sumptuosius comas, et per publicum notabiliter incedas, oculos in te juventutis illicias, suspiria adolescentium post te trahas, concupiscendi libidinem nutrias, suspirandi fomenta succendas, ut, etsi ipsa non pereas alios tamen perdas, et velut gladium te, et venenum videntibus praebeas, excusari non potes, quasi mente casta sis, et pudica.*

ejiciatur. Ex qua propositione eruitur, quod non solum sunt illicitae illae actiones famulorum, quae exprimuntur in ea, sed etiam actiones eis similes, h. e. quae proxime concurrunt ad alterius peccatum, uti esset praeparare lectum ad hic et nunc commodius peccandum, praebere clavem cubiculo mulieris, cum qua debet congredi, invenire locum, in quo congrediatur, mulierem retinere, ne fugiat, vel eam invenire, ut cum ea peccet, vel illam ad domus domini adducere, vel portam amasio advenienti ad peccandum aperire, vel munera allicientia ad peccandum deferre, vel illi litteras amatorias scribere, vel deferre et alia hujusmodi proxime ad peccatum conducentia. Cuniliati, Concina.

Si vero non proxime concurrit famulus vel famula, tunc prudens Confessarius famulum, vel famulam hujusmodi monere debet, ut a famulatu recedat, et ante recessum non absolvet, nisi gravissima caussa accedat differendi ad aliquod tempus recessum. Quomodo enim fieri potest, ut quis cum hujusmodi dominis conversans non corrumpatur? Ait proinde Dominus Numer. cap. 16. *Recedite a tabernaculis hominum impiorum, et nolite tangere, quae ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum.* EtJosue cap. 22.: *Per hanc occasionem avertent filii vestri filios nostros a timore Domini.*

Q. Peccatne peccato scandali, qui pingit, aut sculpit obscoenas imagines, aut qui eas palam detinet?

R. Maxime, et quidem graviter, quia praebet aspicientibus efficacem occasionem peccandi: nam hujusmodi obscoenae picturae, et imagines ad turpia valde excitant aspicientes.

Idem dic de iis, qui Comoedias obscoenas, vel alias hujusmodi turpes compositiones componunt, repraesentant, legendas tradunt etc.

Q. Possuntne caupones, aliique licite vendere vinum iis, quos fore inebriandos praevident, vel cibos vetitos vendere iis, quos pravident violaturos jejunium?

R. Maxime, si id faciant ex gravi urgente caussa, v. g. vitandi mortem, mutilationem, notabilem bonorum jacturam, rixam, calumniam gravem etc. non autem lucrandi cupidine; ratio est, quia hujusmodi venditio horum esculentorum, et poculentorum, eorumque usus sunt per se indifferentes, et fiunt actiones malae ex sola malitia bibentis intemperanter, et manducantis contra Ecclesiae praeceptum. Hinc venditores materialiter cooperantur pravo usui illarum mercium, ideoque cum materialis sit cooperatio, gravi urgente caussa, a peccato excusantur, ut supra dictum est. At si absque notabili suo incommodo denegare possunt tum vinum ebriosis, tum cibos vetitos violaturis jejunium, et ex caussa sola lucrandi non denegant, mortaliter peccant: quia concurrunt ad peccatum Proximi, non impediendo illud quod tenentur impedire, et sine suo notabili incommodo possunt. Concina, Antoine.

Quae dicta sunt de cauponibus, dic etiam de ceteris vendentibus res, quae bono, et malo usui deservire possunt, quando venduntur illi, qui certo eis abusurus est. Hoc item dic de aliis, qui rem, vel operam ex se licitam, nec per se ac proxime ad peccatum influentem, praebent alicui eis abusuro; dummodo adsit justa causa excusans, et nulla adsit intentio cooperandi peccato alterius et abusus non fiat contra bonum Reipublicae, vel Ecclesiae,

quia actiones hujusmodi sunt per se indifferentes, et cooperatio, si qua est, materialis censetur, quae juxta interveniente caussa, a peccato excusatur, et abusus, qui sequitur, ex sola malitia abutentis oritur. Antoine.

Hinc non peccat debitor si solvat pecuniam creditori, qui ea abusurus est in ludo, vel lupanari, quando non potest solutionem differre sine periculo alicujus mali sui.

Non peccat Parochus, si ministret sacramenta peccatori occulto publice petenti, quia denegare non potest sine ejus infamia vel suae existimationis, et prudentiae jactura, vel alterius mali periculo. Non peccat Conjux, si reddat debitum conjugi petenti, qui voto castitatis sine suo consensu emisso obstrictus est, et ipsa debitum denegare non potest sine periculo rixae vel discordiae, aut alterius mali, aut sine incontinentia viri.

Non peccat Famulus, qui solum numerat pecuniam, vel rem tradit, aut in libro describit mutuatarios, quibus pecunia, vel alia res mutuabilis data est sub usuris illicitis. Si aliter dimissio a famulatu sibi certo imminet cum periculo simul alium Dominum huic similem non inveniendi, qui solvat eamdem pensionem sibi, familiae suae necessariam, quapropter vitam nimis aegram ducere teneatur. Cuniliati.

Q. Ad quid tenetur, qui alteri scandalum attulit?

R. Tenetur caussam peccati, quam alteri praebuit, auferre, ut scandalizatus a peccato desistat. Hinc tenetur revocare consilium, vel mandatum pravum, si dedit, veram, sanamque doctrinam edocere eum, quem falso instruxit, exempla virtutum ostendere eis, quibus se vitiosum praebuit, et si scandalo justitiae commutativae violatio adjuncta fuit, tenetur compensare damna, si forte ex eo orta sint. Cuniliati.

§. IV. *De Sollicitatione.*

Q. Quid est sollicitatio?

R. Sollicitatio, de qua hic agitur, est *provocatio facta a Confessario ad turpia, et inhonesta poenitenti.* Haec autem sollicitatio fieri potest verbis, signis, nutibus, tactu, vel scriptura, sive tunc, sive postea legenda, quae turpia indicent, vel ad turpia provocent.

Quare sollicitare dicitur Confessarius Poenitentem, si illum provocet, invitet, aut alliciat ad turpia quibuscumque modis ad venerea tendentibus: quales sunt amplexus, oscula, tactus impudici personae poenitentis, vel personae ipsiusmet Confessarii coram Poenitente, defricatio studiosa, vel deosculatio manus ipsius, vel studiosa pedis compressio, lenis tactus genarum, vellicatio brachiorum, intorsio digitorum, verba amatoria, suspiria affectata, praesertim dum Poenitens turpia confitetur, lascivi gestus, laus venustatis, vel elegantiae Poenitentis sine ulla caussa rationabili prolata, item munera, quae turpem amorem explicant, vel aliqua expressio amoris sensualis: v. g. *nisi Sacerdos essem, tecum nuberem. De te semper cogito praesertim nocte*, et alia similia. Collet.

Q. Quot peccata continet sollicitatio?

R. Plura; 1. Peccatum contra caritatem, ratione scandali quia inducitur Poenitens ad peccandum: 2. Contra castitatem quia ejus laesio procuratur: 3. Contra Religionem, quia infertur injuria Sacramento Poenitentiae,

quod odiosum redditur propter sollicitationem : 4. Contra Religionem ratione voti, quo Confessarius sollicitans obstrictus est : et 5. si poenitens, quae sollicitatur, sit Confessarii filia spiritualis, quod peccatum Pietati opponitur, et incestus spiritualis malitiam continet.

Q. Quid si Confessarius ad aliquod scelus aliud a venereo provocet Poenitentem?

R. Sollicitatio etiam dici potest, quia provocatur Poenitens ad scelus committendum, et plura continet peccata, nempe peccatum contra caritatem ratione scandali, quod praebetur Poenitenti, peccatum contra Religionem ob injuriam Sacramento Poenitentiae irrogatam, et peccatum contra illam virtutem, cujus violatio intenditur. Non est tamen sollicitatio illa, de qua hic loquimur, nempe ad turpia, et quae prohibita, et poenis coercita est a Summis Pontificibus, praesertim a Gregorio XV. per Constitutionem: *Universi Dominici Gregis*, editam anno 1612., et Benedicto XIV. per Constitutionem: *Sacramentum Poenitentiae*, editam anno 1741., qua Pontifex confirmavit omnes et singulas suorum Praedecessorum Constitutiones, et Decreta circa hanc materiam edita.

Q. Quenam sunt circumstantiae, in quibus accipere potest sollicitatio, seu quae sunt capita sollicitationis, quae respicit novissima Bulla Benedicti XIV. nuper citata?

R. Sunt haec septem. I. Si fiat sollicitatio in actu Sacramentalis confessionis. II. Si fiat immediate ante. III. Si fiat immediate post. IV. Si sequatur sollicitatio occasione confessionis. V. Si habeatur praetextu confessionis. VI. Si fiat sollicitatio in confessionali, etiam extra occasionem confessionis. VII. Demum si fiat in alio loco ad audiendas confessiones destinato, aut electo, cum simulatione tamen audiendi ibidem confessionem. Ita ex citata Bulla.

Q. Quando habetur sollicitatio in actu Sacramentalis confessionis?

R. Quando fit sollicitatio illo temporis decursu, quod inter confessionis initium, et absolutionem intercedit, etiamsi absolutio Poenitenti non impertiatur.

Q. Quid si inter confitendum Confessarius tribuat chartam Poenitenti turpia continentem postea legendam, vel aliquod munus amorem turpem indicans?

R. Confessarius iste vere dicitur sollicitare in actu Sacramentalis confessionis, ut apparet ex Propositione 6. ab Alexandro VII. proscripta: *Confessarius, qui in Sacramentali confessione tribuit Poenitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in confessione, et proinde non est denuntiandus.* Hic tamen nota, quod hujusmodi charta vel munera dentur immediate ante vel post confessionem, vel occasione etc., dicitur sollicitatio facta immediate ante, vel post confessionem, vel occasione confessionis etc.

Q. Quando sollicitatio dicitur facta immediate ante, vel immediate post confessionem?

R. Quando inter sollicitationem, et confessionem nihil mediat. A cum audis *nihil*, ne intelligas *nihil physicum*, quatenus inter confessionem, et sollicitationem nullum omnino medium habeatur, sed intellige *nihil morale*, quatenus inter confessionem, et sollicitationem tam breve tempus dif-

tuat, quod hominum prudentum judicio, et juxta loquendi modum, sollicitatio dicitur *immediate ante*, vel *immediate post* confessionem esse facta.

Hinc si mulierem jam paratam ad confessionem faciendam, et incipiendam, Confessarius antequam eam incipiat audire, ad turpia sollicitet, dicitur immediate ante confessionem sollicitare, licet breve temporis intervallum inter provocationem, et confessionem intercedat.

Item si Confessarius post datam absolutionem, eam statim sollicitet, vel cum primum egreditur a confessionali, eam in Ecclesia provocet, vel si ipsam egredientem ab Ecclesia Confessarius sequatur, et in itinere ad turpia extimulet, vel in domo sua, hic confessarius prudentum judicio, dicitur sollicitare immediate post confessionem, quia statim ac potuit, desiderium sollicitandi in confessionem meditatum, executus fuit. Antoine.

Q. *Quando habetur sollicitatio occasione confessionis?*

R. Quando ex confessione Confessarius motivum sumpsit sollicitandi Poenitentem, sive eodem die, sive post aliquod tempus. Quod dupliciter potest fieri: 1. Si Poenitens vel expresse, vel tacite confiteri petivit a Confessario, et iste etiam nullo facto verbo de confessione, ipsam sollicitavit. 2. Si ex audita ejus confessione, Confessarius accepit ausam sollicitandi, quatenus Poenitentis proclivitatem ad turpia intellexit, vel hujusmodi crimina cum aliis perpatrasse, cognovit.

Quare, si Confessarius, qui audivit Poenitentem ad venerea esse proclivem, post confessionem mittat vel litteras (1), vel munera, vel nuntium, quibus ad venerea provocetur, sive secum, sive cum aliis perpatranda, aut ipse domum ejus ibit, ibique sollicitat ad turpia sive alio die, vel alia hebdomada etc. dicitur occasione Confessionis sollicitasse. Similiter si Confessarius postuletur a muliere; ut crastina die audiat suam confessionem, et ipse ex hoc sumit ansam sollicitandi eam, dicitur etiam sollicitatio occasione confessionis. Verum advertendum est, quod signa atque indicia, quod Confessarius occasione confessionis motus sit ad sollicitandum, debent esse moraliter certa, agitur enim de re valde odiosa ob denuntiationem, quae inde sequitur.

Q. *Quando habetur sollicitatio praetextu confessionis?*

R. Quando Confessarius confessionem simulat, et praetexit, ut sub tali velamine poenitentem liberius ad turpia sollicitet, vel cum eo turpia pertratet. Hinc si Confessarius Poenitentem invitet ad confitendum, ut eum in confessione sollicitet ad turpia, vel cum eo turpiter agat, aut Confessarius, et Poenitens simul conveniant de turpibus loqui, vel turpia tractare sub confessionis colore, si revera id factum est, etiam nulla confessione secuta, dicitur sollicitatio facta praetextu confessionis.

Idem similiter dicendum si Confessarius cum Poenitente conspiret, ut ipsa simulet aegrotationem, et sub praetextu, quod aegrotans velit confiteri, faciat Confessarium arcessere, et sic domi turpiter agant. Si de facto id sequatur, sollicitatio dicitur facta praetextu confessionis.

At non dicitur Confessarius sollicitasse praetextu confessionis, si Poenitens, nulla habita conspiratione cum Confessario, imo Confessario ignoran-

(1) Id quoque colligitur ex prop. 6. ab Alexandro VII. proscripta: *Confessarius, qui in Sacramentali confessione tribuit poenitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in confessione; ac proinde non est denuntiandus.*

te, simulans aegrotare, vocavit sub velamine confessionis Confessarium, quem, ut venit, sollicitavit, et cum eo turpiter egit; quia praetextus non fuit ex parte Confessarii, ut exigunt Bullae Pontificum, sed solummodo ex parte Poenitentis. Ita Ligorius, Collet. Eodem modo judicandum de Confessario Regulari, qui pergit ad turpiter agendum, at petit a suo Superiore licentiam egrediendi e Monasterio sub praetextu, quod accedat ad confitendum infirmum, quia nullus est praetextus confessionis cum Poenitente, sed est mendacium Superiori propositum ad obtinendam licentiam egrediendi e Monasterio.

Q. Quando habetur sollicitatio in confessionali?

R. Quando Confessarius in confessionali stans ad turpia, vel inhonesta sollicitat, vel turpia cum aliqua persona pertractat; etiamsi nulla caussa adsit, vel simulatio, vel occasio confessionis.

Q. Quando dicitur facta sollicitatio in alio loco destinato, aut electo ad confessiones audiendas, ibique confessionem simulando?

R. Quando extra confessionale in alio loco vel destinato, vel electo ad confessiones explicandas Confessarius, et Poenitens ita se gerunt, et componunt, ut adstantes putent hic, et nunc administrari Sacramentum Poenitentiae, et tamen ibi Confessarius vel ad turpia Poenitentem sollicitat, vel cum Poenitente turpiter agit.

Hic tamen nota, quod sollicitatio, de qua loquuntur Bullae recensitae, in triplici loco fieri potest, vel in confessionali ordinario, quod confici solet ex ligno, habens laminam ferream, cum parvis foraminibus, quodque in Ecclesia collocatur: vel in alio loco, qui a confessionali ordinario distinctus ad excipiendas confessiones destinatus est, ut in religiosis domibus ad hunc usum constitutae videntur quaedam cellulae, in primo claustro, aut in sacristia, vel denique in quocumque alio loco, quem pro suo arbitratu elegit Confessarius ad excipiendas confessiones.

Si fiat sollicitatio in confessionali ordinario non requiritur simulatio confessionis, sed sufficit, ut Confessarius, vel Sacerdos in eo manens sive sedendo, sive stando, sollicitet ad turpia personam aliquam, aut verbis, signis, actibus turpia peragat. Si vero fiat in loco ad confessiones excipiendas destinato, vel in loco ad confessiones audiendas per ipsummet Confessarium electo, requiritur simulatio confessionis vel occasio ejusdem, ut habeatur sollicitatio ad formam Bullarum. Collet, Stampò.

Q. Quaenam poenae statutae sunt pro sollicitantibus ad turpia, Sacramento Poenitentiae interjecto?

R. Ex citata Bulla Benedicti XIV. *Sacramentum Poenitentiae*, quae circa hanc materiam novissima est, quaeque extenditur per omnes Christiani Orbis partes, atque omnes Sacerdotes tam Saeculares, quam Regulares quomodolibet exemptos, ac Sedi Apostolicae immediate subjectos, et quorumcumque Ordinum vel Institutorum, cujuscumque dignitatis, et praeeminentiae, et quovis privilegio, ac Indulto munitos; Sacerdos quilibet in supra relatis casibus sollicitans incidit in poenam denuntiationis sive Confessarius sit, sive simplex Sacerdos. Praeterea, si sollicitet in actu confessionis, vel occasione, aut praetextu ejus; praeter denuntiationis poenam, incidit in perpetuam inhabilitatem ad sacrificium Missae, ut ex ejusdem Benedicti Decreto edito die 5. Augusti anni 1755. apparet. Haec autem inhabilitatis

poena ferendae sententiae est, uti respondit Sacra Poenitentiaria Romana Auctori *Cl. Instructionis Practicae ad Confessarios*, hoc dubium proponenti, cujus responsi authographum vidi, coutrectavi, relegi (1).

Praeter has poenas jure communi statuta, attendendae sunt aliae poenae, quas Synodales Constitutiones apposuere.

Hic Neapoli, ac in ejus Dioecesi Confessarius quisque etiam Parochus in praefatis circumstantiis, sive capitibus sollicitationis (*illo excepto*, *in loco destinato*, *vel electo*) ad turpia provocans, aut quomodolibet impudice tractans, si saecularis sit, incidit in excommunicationem ipso facto reversatam Archiepiscopo. Si vero regularis, incidit in censuram suspensionis ab audiendis confessionibus ipso facto, etiam eidem Archiepiscopo reservatam. Synod. Pignat. part. 2. cap. 5. n. 14 (2).

Q. Quid si Clericus, qui Sacerdos non est, aut Laicus sollicitandi caussa, simulans se Confessarium inter confitendum, vel confessionis occasione, aut praetextu ad turpia sollicitavit?

R. Denuntiandus non est ratione sollicitationis, quia adductae Bullae de Confessariis, vel Sacerdotibus sollicitantibus loquuntur, nullo facto verbo de Clericis, vel Laicis, proinde, cum odia restringenda sint poenis, non sunt subjiciendi illi, quos lex non designavit. At si vel Clericus, vel Laicus sacramentaliter a peccatis absolvere, vel Missam celebrare audeat, simulans se Sacerdotem, denuntiandus est, ex pluribus Pontificis decretis tamquam suspectus de haeresi. Antoine.

Q. Ut sollicitans denuntiandus sit, requiriturne, ut sollicitatio suum consequatur effectum?

R. Ut sollicitans iste sit denuntiandus non solum non requiritur, ut sequatur sollicitationis effectus, sed nec etiam requiritur, ut Poenitens in sollicitationem consentiat, sed sufficit, ut Sacerdos, vel Confessarius sollicitans in supradictis casibus provocet ad turpia quovis modo, vel tractet de rebus quae vel turpes sunt, vel honestati, atque pudori adversantur; licet hujusmodi sermonibus, aut tractatibus provocare ad turpem non intendat.

Q. Estne denuntiandus Sacerdos, vel Confessarius si in supradictis capitibus masculum, et non foeminam sollicitaverit?

R. Maxime: quia in allata Bulla Benedicti XIV. praecipitur, denuntiari Confessarium, vel Sacerdotem, qui *quamcumque personam* ad illicita provocaverit.

Q. Quid si sollicitavit Poenitentem non ut turpia secum agat, sed cum alia persona, estne denuntiandus?

R. Maxime: quia in supradicta Bulla habetur, quod denuntiandus sit, e-

(1) Responsum istud hisce verbis concipitur: *Sacra Poenitentiaria ad propositum dubium censuit respondendum poenam perpetuae inhabilitatis ad celebrationem Sacrosancti Missae Sacrificii in casibus hujusmodi, ferendae esse sententiae.* Datum Romae in Sacra Poenit. die X. Feb. ann. 1785.

(2) En verba: *Confessarii omnes etiam Parochi ad inhonesta personam quamcumque sive in actu Confessionis, sive ante, vel post immediate, aut praetextu, vel occasione Confessionis, etiam Confessione non sequuta, vel extra Confessionem in Confessionalibus sollicitantes, aut quomodolibet cum eadem impudice tractantes. Respectu Regularium vero censuram suspensionis ab audiendis Confessionibus, quam ipso facto incurrunt nobis tantummodo reservamus.*

tiam si sollicitatio a Confessario *non pro seipso, sed pro alia persona* peracta fuerit.

Q. Estne denuntiandus Confessarius, qui mandat; suadet, rogat Poenitentem, ut inducat aliam personam ad secum turpiter peccandum?

Maxime; quia in supradictis Constitutionibus denuntiari praecipitur quicumque Sacerdos, qui in supra relatis capitibus personas ad inhonesta inter se, sive cum aliis, quomodolibet sollicitare tentaverit, quique sermones illicitos, vel tractatus turpes cum ipsis habuerit.

Q. Estne denuntiandus Poenitens, si ipse sollicitet ad turpia Confessarium?

R. Minime, si Confessarius Poenitentis sollicitationi minime consenserit quia Constitutiones Gregorii, ac Benedicti hoc non statuunt, et cum hae Constitutiones poenales sint, ad casus ibi non expressos non sunt extendendae, etiamsi concurrat eadem ratio.

Dixi, *si Confessarius minime consenserit*, quia si consenserit turpitudini a Poenitente propositae, vel alii turpitudini a Confessario suffectae loco illius, v. g. Poenitens proposuit copulam, sed Confessarius respuens illam, proposuit oscula, vel tactus, vel tacendo acquievit turpitudini Poenitentis, certum est, quod sit denuntiandus; nam in casu sollicitatio videtur esse mutua inter Confessarium, et Poenitentem; et cum mutua sit, expressum est in citat. Benedicti Constit., quod Confessarius denuntiandus sit. Praeterea cum procedat Poenitens ita cum Confessario, ut alter proponat illicita, et alter consentiat; en tractatus inhonestus, et turpis. Demum, si Confessarius taceat, videatur consentire, quia in oblectamentis qui tacet, consentire videtur. Collet.

Q. Quid si Confessarius ex metu gravi a Poenitente incusso ad extorquendum consensum, sollicitationi acquievit?

R. Non est denuntiandus, quia metus iste, licet non excuset a peccato, cum consensus ille fuerit intrinsece malus, excusat tamen ab humanae legis poena, scilicet a denuntiatione contra ipsum facienda. Praeterea Decreta Pontificum non Poenitentes, vel Confessarios de inhonestis tractantes, interjecta confessione afficiunt. In casu autem non confessarius, sed Poenitens tractatum inhonestum habuit, proinde nimis durum, quod nocens, et nequam insontem accuset, et insons pro sonte puniatur. Hinc licet peccaverit, poena tamen non est plectendus. Collet.

Q. Si Confessarius, vel Sacerdos in casibus a jure statutis Poenitentem sollicitavit, quae sollicitationis vim, prae simplicitate, vel ignorantia non intellexit, estne denuntiandus a persona sollicitata, quando ista ad cognitionem sollicitationis pervenit?

R. Maxime, quia ad effugiendam denuntiationis obligationem nulla datur temporis praescriptio; ut patet ex verbis Bullae Benedicti XIV; *etiamsi longum tempum post ipsam sollicitationem jam effluxerit.*

Q. Estne denuntiandus Confessarius, qui actus, vel sermones leviter turpes cum Poenitente exercuit in supra relatis capitibus?

R. Maxime, etiamsi Confessarius per hujusmodi actus non habuerit propositum ulterius progrediendi, sive ad turpia gravia inducendi Poenitentem; ratio est, quia si alio tempore aliqui actus a gravi turpitudine excusari possent, non sic tamen in administratione tam tremendi, ac venerandi

Sacramenti, in quo agitur de justificatione Poenitentis. cui per hujusmodi actus gravis injuria infertur. Excipe solum si inadvertenter positi fuerint; quod ex circumstantiis judicandum est.

Q. Estne denuntiandus Confessarius, qui Puellam, vel Puerum usum rationis perfectum non habentem, sibi oblatum, ut confiteatur, turpiter tangat, vel de turpibus interrogat, sine ulla rationabili caussa?

R. Maxime, quia revera habetur tractatio de rebus inhonestis occasione confessionis, et quidem ad delectandum.

Q. Estne denuntiandus Confessarius, vel Sacerdos, qui in supradictis capitibus turpia colloquia habeat, non ad inducendum Poenitentem ad turpia. sed solum ad oblectamentum, et scurrilitatem?

R. Maxime, quia in supracitatis Constitutionibus non solum provocatio ad turpia, sed etiam quivis inhonesti sermones, atque impudici tractatus sub poena denuntiationis prohibentur.

Q. Lex denuntiationem praecipiens obligatne sub gravi?

R. Maxime, quia finis hujus legis gravis est, tendit enim ad removendum ab Ecclesia Dei tam impium crimen quod Catholicae Religioni, ac Sacramento Poenitentiae Fidelibus tam necessario, ac salutari maxime per se adversatur.

Q. Quinam tenentur denuntiare Confessarium sollicitantem?

R. Tenentur primo ipsa persona sollicitata, sive mas, sive foemina sit, cujuscumque conditionis. Secundo, qui sollicitationem fortuito auribus suis audivit auditu immediato ab ipsa persona sollicitata, vel sollicitante, vel audivit auditu mediato a tertia persona, dummodo tamen personae istae ita sint fide dignae, ut de eis prorsus dubitari non possit. Tertio, qui fortuito videret fieri sollicitationem.

Q. Si quis scit sollicitationem sub secreto naturali, teneturne ad denuntiationem?

R. Negant plerique Theologi, ex eo, quia fortior est lex naturalis de servando secreto, quam lex positiva de denuntiando. Sed plures alii probabilius affirmant; quia nemo tenetur ad secretum, etiam juramento promissum, quando secretum vergit in damnum commune, ut est in casu. Conveniunt autem Theologi utriusque sententiae patroni, quod cessat obligatio denuntiandi, quando manifestatio sollicitationis sibi facta fuit, caussa petendi consilii; nam tunc manifestatio secreti esset contra hominum commercium, ac contra bonum publicum, quod certe in consiliis petendis intervenit. Ita Ligorius de Sacramento Poenitentiae, in Append. de sollicit. num. 698.

Q. Ante denuntiationem estne praemittenda fraterna correctio?

R. Minime, quia haec denuntiatio cum jubeatur ob suspicionem haeresis, exigit bonum fidei, ut fiat denuntiatio ad hoc, ut delinquens a Superiore corrigatur ad exemplum ceterorum. Ita statuit Alexander VII. die 8. Julii anno 1660., ac S. Inquisitio Romana, quae sub die 27. Septembris anni 1628. propositionem docentem esse praemittendam denuntiationi pro sollicitationis crimine, correctionem, proscripsit, tamquam falsam, disciplinae Ecclesiasticae relaxativam, et Bullas reddentem inutiles.

Q. Estne facienda denuntiatio, quando Confessarius est jam emendatus, et veniam petit a Poenitente de scandalo sibi praestito, aut quando longum tempus effluxit a sollicitatione?

R. Maxime, quia denuntiatio facienda est non solum ad delinquentis emendationem, sed etiam ad ejus punitionem proinde denuntiandus est, etiam si longum tempus effluxerit, ut patet ex cit. Benedicti Constitutione superius relata.

Q. Teneturne poenitens Confessarium sollicitantem denuntiare, quando ipsemet Confessarius sollicitans se denuntiavit?

R. Maxime, quia debet obedire legi sic praecipienti, et quia etiam potuit sollicitans mutare, vel minuere crimen suum. Ita statutum fuit in Supremo S. Inquisitionis Tribunali die 26. Julii 1628. Collet.

Q. Si ipse poenitens sollicitatus denuntiavit, teneturne denuntiare etiam iste, qui a poenitente audivit sollicitationem?

R. Non tenetur, quia denuntiatio ejus nullam aliam haberet vim, praeter eam, quam habuit denuntiatio principalis, a quo audivit. Collet.

Q. Quid si poenitens dubitet de persona, an fuerit Cajus, vel Franciscus, aut sciat fuisse Franciscum, deficiunt tamen testes ad crimen probandum?

R. Debet hoc non obstante ipse facere denuntiationem, quia discernere personam, vel probare delictum spectat ad Superiorem, cui fit denuntiatio. Tenetur tamen persona denuntians exponere Superiori dubium, ne innocens pro reo puniatur.

Q. Num poenitens liberetur ab onere denuntiandi, si confiteatur eidem Confessario, qui sollicitavit, quique in se suscipit onus denuntiationis?

R. Minime, et clare patet ex Propositione proscripta ab Alexandro VII. quae est num. 7. his verbis: *modus evadendi obligationem denuntiandae sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante. Hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi.*

Q. Teneturne poenitens facere denuntiationem, si sollicitans est suus consanguineus?

R. Litigium est inter Doctores. Probabilius autem est, quod teneatur, quia bonum fidei, ac bonum commune totius Ecclesiae, cui favet denuntiatio, prevalere debet bono privato consanguinei. Collet.

Q. Teneturne poenitens denuntiare Confessarium sollicitantem, si ipse sollicitationi consenserit?

R. Maxime, et expresse patet ex Bulla Benedicti XIV: nam mulier non tenetur dicere se consensisse, sed solum fuisse sollicitatam, imo si interrogetur imprudenter, an consenserit, non tenetur manifestare suum consensum, et quid inde secutum sit, ut expresse patet ex edicto S. Inquisitionis edito die 27. Septembris anni 1724. Ligorius.

Q. Quid si poenitens habet votum, vel juramentum de non revelando quicquid sibi dictum sit a Confessario, teneturne denuntiare sollicitationem sibi a Confessario factam?

R. Maxime, quia hujusmodi votum, vel juramentum in casu non obligat, quia non est de re bona, atque honesta, imo est de re illicita, quia est contra legem.

Q. Estne absolvendus poenitens, quia non vult facere denuntiationem, ad quam tenetur, et inciditne in aliquam poenam?

R. Antequam denuntiet non est quidem absolvendus, quia est indispositus, cum Ecclesiae praecepto graviter obliganti nolit obedire. Expresse pa-

tet ex laudata Bulla Benedicti XIV, et si intra mensem a die scientiae, non facit denuntiationem, incurrit excommunicationem Papae reservatam, uti patet ex pluribus S. Inquisitionis Decretis, et praesertim ex illo edito die 10. Martii anno 1677. An autem jam factā denuntiatione, excommunicatio contracta, quia tempore debito omissa fuit denuntiatio, remaneat adhuc Papae reservata, litigium est inter Doctores, et satis probabile judicat, quod non sit Papae reservata. Ligorius loc. cit. num. 683.

Q. Quid si poenitens hic, et nunc est impeditus ad faciendam denuntiationem?

R. Potest absolvi, si dispositus sit, et sincere promittat denuntiare, cum primum poterit, et persona talis sit, ut ei possit haberi fides, ita ex praefata Bulla. Haec autem dilatio permitti potest, quando impedimentum non est perpetuum, quia si perpetuum est, poenitens tenetur denuntiare per epistolam, vel per mediam personam, aut monere Superiorem, ut mittat aliquem, quem prudentia dictaverit, ad excipiendam denuntiationem.

Q. Teneturne Confessarius assumere in hoc casu onus deferendi denuntiationem poenitentis impediti?

R. Docent Doctores quamplurimi non teneri, quia non adest praeceptum Ecclesiae id imponens. Excipe si denuntiatio facienda sit ad publicum vitandum scandalum, vel periculum aliquod Religionis, vel aliquod damnum valde grave. Ligorius loc. cit.

Q. Cuinam facienda est denuntiatio?

R. Inquisitoribus, ubi adest S. Inquisitionis Tribunal, aliter facienda est Ordinario loci. Si autem denuntiandus est loci Ordinarius, vel Episcopus, denuntiatio facienda est Summo Pontifici.

Q. Quid si abierit in aliam Dioecesim Confessarius sollicitans?

R. Ille, qui denuntiare debet, tenetur facere denuntiationem Episcopo suo, ut hic postea moneat Pastorem Dioecesis, in qua est Confessarius sollicitans, de denuntiatione sibi facta, ut reus puniatur.

Q. Quid si sit mortuus sollicitans?

R. Cessat tunc obligatio denuntiationis, quia jam ab Ecclesia recessit morbidus Minister, et cessavit finis a lege intentus, emendatio scilicet delinquentis, et ejus in aliorum exemplum punitio. Collet.

Q. Incurritne excommunicationem poenitens, qui non facit denuntiationem ex metu gravi?

R. Minime; quia inobedientia haec non oritur ex contumacia, sed ex metu gravi: quo stante humanae leges non obligant, quia obligare nolunt cum tanto Fidelium incommodo. Collet.

Q. Confessarius, qui audit inter confitendum, personam esse sollicitatam, vel aliam, quae sollicitationis certam habet notitiam, ad quid tenetur?

R. Tenetur sub gravi illam monere de onere denuntiationis, et absolutionem ei denegare, usque dum non denuntiet, ut supra dictum est ex cit. Bulla. Quod verum est, etiam si praevideat Confessarius, monitionem suam non esse profuturam, quia agitur de bono Religionis. Quod si Confessarius ei obligationem denuntiandi consulto, et malitiose non imponat, vel doceat irrationabiliter, ad id non teneri, denuntiandus est, tamquam suspectus de

haeresi, ut pro modo culpae puniatur. Ita ex Constitutione citat. Gregorii, Ferrarius verbo *sollicitatio ad turpia*.

Hinc nota, quod non est denuntiandus Confessarius, qui ex ignorantia (dummodo non sit affectata) Poenitentem de denuntiatione facienda non monet: quia in citat. Bulla adest clausula: *Poenitentes, quos noverit sollicitatos*: quare excluditur omnis ignorantia, quae affectata non est. At denuntiandus est, si Confessarius non imponat onus denuntiationis ex eo, quia verisimiliter credit, sollicitantem non punitum iri; nam judicium non est penes ipsum, sed penes Superiores, qui habendi sunt ut recte fungentes officio suo, licet subdito ratio agendi non innotescat.

Q. Qui innocentem Sacerdotem; vel Confessarium falso sollicitationis crimine apud Ecclesiasticos Judices accusat, vel procurat, ut accusetur, inciditne in aliquam poenam?

R. Incurrit reservationem Summi Pontificis, qua fit, ut hujusmodi gravissimum peccatum contra justitiam commissum, absolvi non possit, excepto mortis articulo, nisi tantum a Summo Pontifice, ut clare patet ex cit. Bulla Benedicti XIV.

Q. Confessarius qui absolvit complicem in peccatis contra sextum Praeceptum, absolvitne valide, et in aliquam poenam incurrit?

R. Nulliter absolvit, quia ipso facto privatur jurisdictione ad Confessionem audiendam sui complicis, eumque absolvendum, ut clare patet ex Bulla Benedicti XIV. *Sacramentum Poenitentiae* saepius citata. Absolvendo item ex eadem Bulla incidit ipso facto in excommunicationem Papae reservatam.

Jure Dioecesano Neapolitano Confessarius absolvens complicem de turpibus, praeter hanc excommunicationem, sive saecularis sit, sive regularis incurrit in poenam suspensionis ab audiendis Confessionibus: ita ex Synodo Pignatellana part. 2. cap. 5. n. 5 (1).

Q. Quid si Confessarius turpiter agens cum aliqua persona ei suadeat, ut pro absolutione veniat ad pedes suos, docens quod jure optimo possit eam absolvere?

R. Iste Confessarius, ut suspectus de haeresi, est denuntiandus; docet enim id, quod ab Ecclesia damnatum est, scilicet validam complicis absolutionem.

Q. Si Confessarius ob ignorantiam absolverit complicem; incurritne in poenas?

R. Si invincibiliter ignoravit personam, quam absolvit, fuisse sui peccati turpis complicem, poenas non incurrit, quia non habuit voluntatem absolvendi complicem. Si autem ignoraverit poenas pro tali absolutione latas, incurrit in eas, quia ignorantia isthaec vel nimis crassa est, vel affectata.

Q. Confessarius qui absolvit personam a se sollicitatam, quae sollicitationi consensit, verum nullus effectus secutus ex ea est, at de tali consensu praestito confitetur, incurritne poenas.

(1) En verba: *Pariter Confessarii omnes etiam Parochi attentantes praedictas personas, et quascumque alias, cum quibus extra antedictos casus* (scilicet sollicitationis) *quomodolibet impudice versati fuerint, a peccatis, quorum ipsi complices sint, nulliter absolvere: qui omnes, etiam Regulares etiam in censuram suspensionis ab audiendis Confessionibus ipso facto incidunt, Nobis tantummodo reservatam.*

*

R. Incurrit quidem, quia verificatur absolvisse complicem in peccato turpi.

Q. Daturne casus, in quo potest Confessarius rite absolvere complicem?

R. Maxime in articulo, vel proximo periculo mortis, quando non adest alius Confessarius, vel Sacerdos, qui possit illius confessionem audire, eumque absolvere: vel si adest alius Confessarius, vel Sacerdos, cui possit confiteri moribundus, nisi confiteatur cum Confessario complice, gravem infamiam subit, vel subit ipsemet Confessarius complex, aut grave scandalum, quod nullo modo vitari possit, suboritur. Sic ex citata Bulla, *Sacramentum Poenitentiae*. Et ex alia Bulla *Apostolici muneris*, ejusdem Pontificis Benedicti XIV.

Q. Quid si cum adsit alius Sacerdos, vel Confessarius, quocum valeat poenitens confiteri, Confessarius tamen complex declinare nolit, dum posset, infamiam, vel scandalum, et proinde se ingerit ad absolvendum?

R. In hoc casu Confessarius complex incurrit in poenas, jam recensitas, quia deest vera necessitas, cum infamiam, scandalum vitare poterat, recedendo, vel alia ratione. Verum absolutio moribundi declaratur valida, ne ejus salus aeterna periclitetur. Patet ex citata Bulla *Apostolici muneris.*

Q. Potestne Confessarius absolvere complicem vi Jubilaei, vel Bulla S. Cruciatae?

R. Minime, et expresse patet ex verbis citatae Bullae Benedicti XIV.

Q. Potestne Confessarius absolvere complicem, quocum turpiter peccavit, quo tempore Confessarius non erat Sacerdos, vel Clericus?

R. Minime, quia semper verificatur absolutio complicis, in re turpi, quam absolutionem prohibent, et irritam declarant supra laudatae Constitutiones.

Q. Quid si complex fuerit rite confessus turpitudinem suam alio Confessario, et fuit de ea rite absolutus, sed nunc denuo confitetur eam cum Confessario complice?

R. Eo quia peccatum illud turpe alias rite absolutum fuit, nunc suae confessionis materia voluntaria est, ac proinde potest poenitens rite denuo absolvi; nam Bulla prohibet complicis absolutionem pro illa vice, qua peccatum turpe est materia confessionis necessaria, non autem voluntaria.

Q. Confessarius, si extra casus denuntiationis turpiter agit cum poenitente quocumque modo, e. g. loquendo, deosculando, tangendo etc. incurritne in aliquam poenam?

R. De Jure communi in nullam poenam incidit. Standum est ergo Juri municipali Dioecesum. Enimvero in hac Dioecesi Neapolitana hujusmodi Confessarius incurrit in casum reservatum Archiepiscopo absque censura (1). At ad incurrendum illum, requiritur, ut sollicitans ad turpia, vel turpiter agens sit Confessarius, vel Parochus, et ut turpiter tractet cum persona si-

(1) Id expresse cautum hisce effatis: *Confessarii omnes etiam Curati ad obscoena quaslibet personas sibi frequenter confitentes, licet non immediate post, vel ante Confessionem inducentes, seu sollicitantes, vel cum iis quomodolibet impudice tractantes incidant etc.*

bi frequenter confessa. Quae autem dicatur sibi frequenter confessa, arbitrio Confessarii prudentis remittendum est.

CAPUT VI.

De peccatis mere internis

Q. Quodnam peccatum dicitur mere internum?

R. Illud, quod sine ulla actione, vel signo externo, sed solo interno voluntatis affectu committitur.

Q. Peccatum internum quotuplici modo committi potest?

R. Triplici modo, nempe consensu, sive proposito, desiderio, et delectatione morosa.

Consensu, sive *proposito* committitur, cum voluntas absolute, et quantum est ex se, efficaciter statuit exequi, vel assequi per media possibilia aliquid illicitum sibi propositum, etiamsi postea illud non exequatur, vel assequatur.

Desiderio committitur, cum voluntas appetit exequi, vel assequi aliquod illicitum sibi propositum, sed inefficaciter; quia media non suppetunt: unde non dicit absolute: *Volo, statuo, sed vellem, statuerem.* Hinc fit, quod consensus, et desiderium idem sunt in ratione volitionis, et solum differunt in ratione modi, cum primum sit volitio efficax, secundum vero inefficax.

Delectatione denique *morosa* committitur peccatum internum, cum voluntas praescindit ab intentione, et desiderio exequendi, vel assequendi aliquod illicitum, et solum de eo sibi complacet, et in ea complacentia advertenter immoratur, unde *morosa* dicitur, ut ait D. Thomas 1. 2. q. 74. art. 6. non a mora temporis, quo in delectatione quis sistit, sed a mora rationis, quae libere in tali delectatione moratur. Antoine, Layman, Concina t. 4. f. 323.

Hinc consensus, et desiderium circa illicita definiri potest: *Actus, atque motus voluntatis, quo fertur in objectum pravum, statuendo illud exequi, vel assequi, si potest, vel optando executionem illius, vel assecutionem, si non potest.*

Delectatio autem morosa est deliberata complacentia de objecto pravo cogitato, sine assecutionis, vel executionis intentione.

Proinde consensus, et desiderium differunt a delectatione morosa, quia consensus, et desiderium tendunt in objectum pravum cogitatum pro executione, vel assecutione, efficaciter, et respiciunt futurum. Delectatio autem morosa ab objecti pravi executione, vel assecutione praescindit, et de objecto pravo, ut praesente delectatur, et ideo tempus praesens respicit. Vide Anacletum, Stampò, aliosque.

Q. Consensus, desiderium, et delectatio morosa circa res illicitas, suntne peccatum?

R. Maxime peccatum sunt, nam exigit recta ratio, atque Lex divina, ut nullo modo voluntas nostra objectum malum naturae rationali disconveniens approbet, velit, vel in eo sibi complaceat, sed respuat omnino, atque refugiat. Quare Apostolus ad Galatas 5. ait: *Abstineamus a carnalibus desideriis, quae militant adversus Animam*, item *perversae cogitationes*

peccata sunt, et a Deo separant: Proverb. 15; et Sapient. 1. Ergo consensus, desiderium, et delectatio morosa circa illicita, peccata sunt, utpote perversae cogitationes, quae per se rectae rationi adversae sunt, et praecepto Decalogi *Non concupisces*, vetitae, ut Catholica tenet Ecclesia. Antoine, Concina, Stampò, Collet. t. 1. f. 184.

Q. Cujus speciei, et cujus gravitatis peccata sunt consensus, desiderium, et delectatio morosa?

R. Sunt peccata ejusdem speciei, et gravitatis, ac est objectum malum, circa quod versantur: nam actus interni malitiam, et gravitatem sumunt ab objecto, sive actu externo suis circumstantiis vestito. D. Thomas quaest. 15. de veritat. art. 6. Hinc si quis optavit occidere inimicum Clericum, peccavit graviter contra justitiam, et contra Religionem, licet postea non occiderit, quia occisio Clerici est grave peccatum Justitiae, et Religioni oppositum. Siquis delectationem morosam habet de copula cum uxore aliena habita, contra castitatem, et contra justitiam peccat, quia adulterium est grave peccatum castitati, et justitiae oppositum. Collet t. 1. f. 539.

Q. Teneturne statim post sufficientem advertentiam reprimere positive pravos concupiscentiae motus, ac repellere pravas cogitationes per media decentia, vel sufficit, si negative nos procedamus, non consentiendo, nec dissentiendo eis?

R. Tenemur statim positive obsistere eis per media convenientia, graviter alioqui, regulariter loquendo, peccamus, quia, ut ait D. Augustinus lib. 12. de Trinit. cap. 12. *Haec statim, ac attingunt animum respui debent, nisi enim statim positive resistamus, signum est, quod animus eis adhaeret, ac delectationem de eis voluntarie capiat, delectatio autem voluntaria, et morosa peccatum est.* Praeterea ex Tridentino sess. 5. can. 5. debemus fortiter ex Divina Gratia repugnare concupiscentiae, ut haec nobis non noceat: repugnantia autem positivam resistentiam designat, non negativam. Denique, si non positive resistamus statim, sed negative procedamus, in repellendis pravis concupiscentiae motibus, ac iniquis cogitationibus, exponimur periculo proximo labendi in positivum, ac formale desiderium, vel delectationem morosam objecti pravi, sed periculum proximum peccati fugiendum est; tenemur itaque statim obsistere, et quidem positive, concupiscentiae motibus, pravisque cogitationibus.

Dixi, *regulariter loquendo*: quia potest quis aliquando ex rationabili caussa negative se habere in pravis motibus, et cogitationibus, et non peccat: et primo si hi motus, cogitationesque pravae diuturnae sint, et quis ad resistendum eis positive, debeat desistere ab honesto suo munere; v. g. Confessarii, Medici, etc., 2. Si prudens timeat, quod ex positiva et formali resistentia, motus, ac pravae cogitationes magis augeantur. 3. Si eo devenit, ut ex omni objecto sibi tales motus, ac cogitationes excitentur. Si maximopere attendat ad aliquod opus honestum, et non resistit positive, ne distrahatur. Collet t. 1. fol. 185., Cuniliati, Stampò, Concina. fol. 324.

Q. Tenemurne dimittere actiones ex quibus pravi concupiscentiae motus, vel cogitationes insurgunt, licet interne eis resistamus?

R. Maxime, nisi justa caussa impediat. Deus enim jubet, et recta ratio dictat, non solum vitare peccatum, sed etiam omne id, ex quo peccatum proxime oriri potest, juxta illud Matth. 5. *Si oculus tuus scandalizat te;*

erue eum. Hinc si motus concupiscentiae vehementes sunt, vel cogitationes pravae, ac molestae actiones, quae eorum caussae sunt, etiam si sint leviter illicitae, uti sunt aspectus, collocutio, lectio libri turpis etc. statim ac advertuntur, sunt dimittendae, etiam si positive motibus, cogitationibusque resistatur, aliter peccatum mortale committitur, qui afferunt proximum periculum pollutionis, vel delectationis morosae, vel ulterioris consensus. At si motus concupiscentiae, ac cogitationes pravae non sunt ita vehementes, et animum nonnisi leviter pungunt, qui eorum caussam non tollit, levitar peccat, dummodo illos motus, cogitationesque non intendat, nec probabile periculum consentiendi adsit. Collet. f. 185., Antoine f. 403., Habert, Stampò.

Dixi, *nisi justa caussa impediat*; quia si habetur justa caussa non refugiendi hujusmodi actiones, uti accidit Confessario in audiendo confessiones, vel studenti Chirurgo, vel Medico in medela aliquarum corporis partium etc. et periculum consensus non adest (nam si adesset, omnino abstinendum esset) non adest obligatio refugiendi; nam tunc illae motiones interiores, cogitationes pravae, neque sunt voluntariae directae, neque indirectae. Collet t. 1. f. 185., e f. 402., et fol. 412. Antoine t. 2. f. 401.

Q. Desiderium pravum rei prohibitae elicitum sub conditione, si res illa prohibita non esset, estne peccaminosum?

Si conditio apposita auferat totam rei prohibitae malitiam, ut accidit in iis, quae Jure positivo vetita sunt: unde mala sunt, quia prohibita, et in iis etiam, quae prohibita sunt Jure naturali, sed aliquando, sub alia circumstantia licent, et haec circumstantia pro conditione assumitur; tunc hujusmodi desiderium, per se loquendo, non est peccaminosum: nam voluntas fertur in objectum, sive opus, quod nullam continet malitiam. Quare si quis optet manducare carnes die Veneris, si prohibitum non esset, vel morti tradere iniquum sicarium, si Judex esset, vel contrahere matrimonium, si voto castitatis non esset ligatus, non videtur peccare; quia conditio apposita omnem ab objecto malitiam removet.

Dixi, *per se loquendo;* nam hujusmodi desiderium ratione otiositatis, et levitatis, peccatum est, sed veniale: imo et potest esse mortale, si periculum proximum afferat desiderii absoluti de re graviter mala.

Si vero conditio apposita totam objecti malitiam non auferat, ut accidit in iis, quae aut ratione sui, aut ratione alicujus circumstantiae, sunt intrinsece mala, tunc desiderium sub conditione positum peccatum erit, juxta materiam, grave si materia erit gravis, leve, si materia erit levis: et ratio est, quia voluntas tendit in objectum pravum, ut est, in se; nam conditio apposita non removet ejus malitiam, cum impossibile sit, rem intrinsece malam non esse prohibitam. Antoine t. 2. f. 361., Stampò.

Q. Peccatne peccato incestus, adulterii, vel sacrilegii, qui dum in corde suo delectationem morosam vel desiderium turpe concepit circa aliquam mulierem sibi consanguineam, vel uxoratam, vel monialem, mente praescindit ab his circumstantiis, et intendit in mulierem, qua mulierem, non qua consanguineam, uxoratam, vel monialem?

R. Maxime, quia ejusdem naturae, et conditionis est delectatio alicujus operationis, ac ipsamet operatio; ut ait D. Thomas quaest. 15. de verit. art. 6.; quare sicuti ipse peccans carnali opere cum tali muliere, etiam

praescindendo a circumstantiis supradictis, peccatum committeret incestus, adulterii, vel sacrilegii, ita et delectationem, vel desiderium assumens de eadem sub enunciata praecisione. Antoine t. 2. f. 368. in notis.

Q. Quid si quis delectetur de objecto graviter malo, sub conditione, quae opus illud licitum redderet, si verificaretur v. g. delectatur de copula cum foemina aliena, si esset uxor sua?

R. Graviter peccat: quia appetitus sensitivus fertur in objectum, ut est in se, et omni conditione destitutum, quoniam sequitur imaginationem, quae conditionem apponere non valet, nec praescindere malitiam ab objecto. Insuper quaevis delectatio de objecto intrinsece malo perinde mala est sub quacumque conditione, ac si esset tali conditione destituta, quia delectatio est complacentia de objecto pravo uti praesenti. Unde si objectum in praesentiarum est malum, mala etiam est delectatio de eodem. Antoine ibid. 362.

Q. Cogitatio voluntaria de re mala estne aliquando illicita?

R. Maxime, quando cogitatio isthaec necessaria est, vel utilis ad munus suum honestum exequendum, vel ad aliud honeste agendum, vel ad comparandam cognitionem sibi utilem, vel necessariam, modo absit omnis affectus ad rem illam illicitam, et omne periculum consentiendi, quia tunc non cogitat de re tamquam illicita, sed de re sibi utili, vel necessaria. At si cogitatio ista inutilis sit, et ex curiositate assumatur, peccatum est leve, vel grave, prout erit objectum; quia voluntaria cogitatio de re mala, quae sine ulla necessitate, vel utilitate fit, procedit ex prava inclinatione animi ad rem malam, et aliud non est, nisi delectatio morosa. Antoine t. 2. f. 371., Collet. 184., D. Thom. 1. 2. q. 74. art. 8., Stampò.

Q. Estne licitum delectari de cognitione, seu notitia habita de re mala?

R. Si delectatur quis de cognitione rei malae, quoniam cognitio ista est sibi necessaria, vel utilis, v. g. delectatur Confessarius de accepta cognitione rei obscoenae, quia ex tali cognitione advertit peccati malitiam, vel gravitatem, et tunc licita est delectatio cognitionis, dummodo ab ipsa re abhorreat animus; quia sicuti cognitio sub tali respectu mala non est, ita et ejus delectatio. Vel cognitio non est sibi utilis, nec necessaria, et tunc si procedit delectatio ex affectu veniali curiositatis, peccatum leve est, si non consentiat in malum grave, neque periculum adsit consentiendi. At si procedit ex affectu graviter inordinato, vel cum periculo consensus vel ex fine graviter malo, tunc peccatum grave est. Antoine ibid. f. 372., Concina t. 4. f. 323.

Q. Estne peccatum delectari de modo patrandi malum, vel de aliqua ejus circumstantia?

R. Si talis modus, vel circumstantia per se mala non sunt, sed delectationem excitant, quatenus mira, artificiosa, et insolita sunt, delectatio peccatum saltem grave non est, nam objectum per se malum non est. Dixi, *saltem mortale non est;* quia non excusatur a veniali ratione otiositatis, vel curiositatis. Imo non excusatur a mortali, si habeatur scandalum aliorum ex signo externo delectationis, vel periculum consentiendi in delectationem illius mali gravis. Quod si modus patrandi malum, vel circumstantia per se mala sunt, malum est etiam delectari de illis. Antoine t. 2. f. 367.

Q. Quid si quis delectetur de opere hic et nunc graviter illicito, quod fuit aliquando sibi licitum, aut in posterum sibi licebit?

R. Si opus est intrinsece malum, grave peccatum committit, quia delectatio morosa est affectus complacentiae de objecto, uti praesenti. Objectum autem praesens hic, et nunc revera malum est, et a malitia actuali non separatur per reflexionem, quod fuit, vel erit licitum. Hinc si viduus delectetur de actu conjugali exercito tempore matrimonii, aut Sponsa delectetur eodem actu tempore matrimonii exercendo, mortaliter peccat, quia oblectatur de actu illo uti praesenti, et proinde hinc, et nunc graviter malo. Praeterquam quod cum hujumodi delectatione conjungitur periculum proximum pollutionis, vel ulterioris consensus; unde mala est etiam ratione periculi.

Si autem opus est malum, quia prohibitum, tunc ejus delectatio per se peccatum non est, quia objectum cum non sit intrinsece malum, separatur ab ejus malitia per reflexionem, quod sibi licuit aliquando, vel licebit. Sic non peccat quis, si delectetur de opere servili die festo ob necessitatem praestito, quia non delectatur de re intrinsece mala, Dixi *per se*, quia haec delectatio, cum non vacet aliqua animi inordinatione, nec etiam a peccato veniali vacat. Stampò t. 1. f. 147. Collet. t. 1. f. 186 (1).

Q. Quid de Conjuge, qui voluntarie veneream delectationem sibi suscitat ex actibus conjugalibus habitis vel habendis, cum altera Compars est absens?

R. Graviter peccat, etiamsi id fiat sine periculo pollutionis, quia delectatio venerea solum in usu matrimonii permissa est, et a peccato excusatur ratione ordinis, quem habet delectatio ista ad copulam. At extra matrimonii usum, intrinsece mala est, quia nonnisi ad mollitiem ordinatur. Collet. t. 1. f. 434.

Q. Quid si quis delectetur de opere ex se mortaliter peccaminoso, quod commisit, sed sibi imputatum non fuit propter aliquam excusantem caussam, v. g. ignorantiam, oblivionem, vim etc.?

R. Iste peccat: quia delectatur de objecto per se malo, et rectae rationi difformi. Caussa namque, quae excusavit a culpa, et malitiam formalem operis abstulit, non abstulit item malitiam objectivam. Hinc rite damnata fuit propos. 15. ab Innocentio XI.: *Licitum est filio gaudere de parrici-*

(1) Quaer. An Sponsus possit delectari de congressu cum sponsa sub conditione si esset sibi uxor, aut cogitando ad tempus, quo erit uxor? Alii absolute admittunt. Alii admittunt, modo delectatio sit de solo appetitu rationabili, praeciso periculo appetitus sensitivi, nimirum sine spirituum commotione. Sed nos cum *Sanch. Suar. Laym. Azor. Salm. Holzman. Roncaglia, Croix* etc. dicimus neutrum esse admittendum, quia delectatio facit objectum sibi praesens, et cum sit tunc praesens objectum a conditione cohonestante praecisum, tunc objectum certe est malum, et quamvis consensus sit conditionatus erga objectum, est tamen absolutus erga delectationem. Aliud est autem, ait *Roncaglia*, si sponsus desiderat simpliciter copulam futuram cum sponsa, quando sibi erit uxor: quia tunc optet rem ad tempus, quo revera illa sibi licita erit. Sed hoc non obstante, ego subjungo quod per hujusmodi desideria, cum quis moratur in iis cogitationibus, magnum subest periculum delectationis praesentis, ideoque debet Confessarius omnino prohibere ne sponsi in hujusmodi desideriis morentur. *S Ligorius homo apost. Cap. 11. de peccatis in part. Dub. 11. §. 51.*

dio parentis a se in ebrietate patrato propter ingentes divitias inde ex haereditate consecutas. Collet. t. 1. f. 186. Stampò f. 248.

Q. Licetne de opere malo patrato delectari non ratione sui, sed ratione effectus boni inde secuti ?

R. Minime, nam sicut fieri non debet malum, licet inde eveniat bonum, ut ait Apostolus . . . . . ita non licet delectari de opere ex se malo patrato licet hoc fuerit boni effectus origo; ait enim D. Thomas in 3. dist. 31. qu. 1. art. 3. *idem judicium est, secundum Philosophum, de delectatione, et opere.* Patet etiam ex propositione proscripta superius allata. Collet. , Stampò.

Q. Estne licita delectatio de affectu bono secuto ex opere malo ?

R. Si delectatio conjunctam habet actualem displicentiam de opere malo commisso, delectatio de affectu licita est: quia objectum ejus, nempe effectus bonus, malum non est. Quare non peccat qui delectatur de quiete suae familiae orta ex occisione inimici, vel de haereditate magna sibi parta ex extinctione familiae alicujus. Stampò, Collet.

Q. Estne licitum aliquando delectari de morte vel alio malo proximi, vel ista proximo optare ?

R. Si delectatio, aut desiderium est de morte spirituali vel malo spirituali Proximi, v. g. quod commiserit peccatum, quod impoenitens mortuus sit etc., numquam licita est hujusmodi delectatio, vel desiderium; qua ex caritate tenemur bonum spirituale Proximo, ac aeternam salutem optare, et velle, sicut et nobis.

Si desiderium, et delectatio est de morte, vel malo temporali, sed procedit ex bono fine spirituali, v. g. quia per mortem, vel malum temporale alterius, ablata est occasio peccandi, scandalum, discordia etc. desiderium, et delectatio culpa vacant; sunt enim de re bona, nempe de remotione occasionis scandali, discordiae etc. et patet ex illo Joan. 11. *Lazarus mortuus est, et gaudeo propter vos, credatis.*

Si delectatio, et desiderium hujusmodi procedit ex bono fine temporali, qui respicit bonum temporale commune, quatenus ex morte, vel malo alterius temporali, majus emolumentum Reipublicae accedit, delectatio, et desiderium hujusmodi licitum est; nam bonum commune praefertur cuicumque bono temporali privatae personae (1).

Denique si delectatio, vel desiderium hujusmodi procedit ex bono fine

(1) Licet gaudere, et cupere damnum temporale proximi ob bonum commune, aut innocentis, aut proximi. Ita docent *Toletus, Nav., Bonac. Salmant. Roncaglia* cum S. Thoma (in 3. Sen. Dist. 30. q. 1. a. 1. ad 4.), qui sic loquitur: *potest aliquis salva charitate optare malum temporale alicui et gaudere in quantum est impedimentum malorum alterius, vel communitatis, vel Ecclesiae.* Item scribit S. Gregorius: *Evenire plerumque potest ut non amissa charitate, et inimici nostri ruina laetificet, et rursus ejus gloria sine invidiae culpa contristet, cum et ruente eo, quosdam bene erigi credimus, et proficiente illo plerosque injuste opprimi formidamus. Mor. lib. 22. c. 22.* Quare licet (semper tamen servato ordine charitatis) optare, aut sibi complacere de infirmitate, aut morte impii ad exemplum aliorum, et ut cesset ille a praebendis scandalis, aut ruinae esse alio modo animabus. Ita etiam gaudere licet de damno temporali privati ad evitandum damnum commune. *S. Ligorius homo apost. loc. cit. § 53.*

temporali, qui respicit privatam personam, delectatio, et desiderium illicitum est, et peccaminosum; quia contra caritatis praeceptum est, velle consulere nobis, vel aliis cum damno proximi. Hinc recte damnatae fuerunt ab Innocentio XI. propositio 13. *Si cum debita moderatione facias, potest absque peccato mortali de vita alicujus tristari, et de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, et desiderare non quidem ex displicentia personae, sed ob aliquod temporale emolumentum.* Et propositio 14.: *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem, ut malum patris, sed ut bonum cupientis*, scilicet, quia obventura est ei pinguis haereditas. Concina Dissert. 5. de Carit. f. 348.

Q. Quid dicendum, si quis tristitiam concipiat de bono opere ?

R. Sicut delectatio morosa de quolibet objecto malo est peccatum, et quidem ejusdem speciei, et gravitatis, ac est objectum, de quo procedit delectatio, etiamsi non habetur propositum, desiderium, aut periculum assecutionis, vel executionis; sic deliberata tristitia, displicentia de opere bono est peccatum oppositum illi virtuti, a quo procedit bonum, et est grave, vel leve, juxta qualitatem boni, de quo tristatur. Rectae enim rationi, ac legi adversum est, odisse bonum et amare malum ei oppositum; delectari de malo, et tristari de bono ejus opposito. Antoine f. 367

CAPUT VII

De peccatis capitalibus

Q. Quot sunt peccata capitalia, et quare ita vocantur ?

R. Sunt septem, nempe Superbia, Avaritia, Luxuria, Ira, Gula, Invidia et Acedia. Ex his duo sunt carnalia, quaetenus carnali delectatione perficiuntur. Cetera spiritualia, quia spirituali delectatione committuntur. Dicuntur omnia capitalia, quia non solum sunt per se peccata; sed etiam sunt radix, et caussa multorum aliorum peccatorum. Antoine, Concina.

§. I. *De Superbia*

Q. Quid est Superbia ?

R. Est appetitus inordinatus propriae excellentiae. D. Thomas 2.2. quest. 162. Dicitur *appetitus*, scilicet desiderium complacentiä, amor. Dicitur, *inordinatus*, hoc est contra rectum rationis ordinem, quatenus superbus refugit subjici, quibus debet, vel altiora se quaerit. Dicitur *propriae excellentiae*, idest perfectionis propriae, quam superbus ante alios habet, vel habere praesumit. Collet. t. 1. Stampò.

Q. Quotuplex est Superbia ?

R. Duplex: perfecta scilicet, et imperfecta. Prima habetur, cum quis a semetipso bonum sive animi, sive corporis habere, vel possidere existimat, vel si credit a Deo obtinuisse, credit simul obtinuisse, ratione suorum meritorum. Item cum finem ultimum suum in propria excellentia obtinenda, vel conservanda reponit, ita ut quidquid excellentiae appetat, non ad Dei gloriam, sed unice, et absolute propter suam appetat. Denique cum non

vult Dei praeceptis, vel suorum Superiorum justis ordinationibus submitti; quia subjectionem hujusmodi suae excellentiae indignam reputat.

Secunda habetur, cum quis jactat, se habere, quod non habet, vel cum despectis ceteris, singularis in aliquo videri cupit, vel cum ab aliis vult magni haberi, honorari, laudari, aliter dolet, vel irascitur, vel cum judicio proprio pertinaciter et injuste adhaeret. Collet. t. 1. f. 208. Antoine t. 2. f. 372.

Q. Superbia quale peccatum est?

R. Est ex genere suo peccatum mortale; quia adversatur caritati Dei, nam superbus vel directe, vel indirecte sibi tribuit, quod Deo tribuendum est, juxta illud Psalm. 11., ***Linguam nostram magnificabimus, labia nostra a nobis sunt quis noster Dominus est?*** Adversatur etiam caritati Proximi, quia superbus extollendo se, intendit Proximi sui depressionem. Hic tamen nota, quod superbia perfecta semper est peccatum mortale, quia graviter adversatur caritati Dei, ejusque honori et excellentiae. Superbia vero imperfecta non semper est mortalis, sed solum quando conjungitur cum gravi Proximi detrimento, vel despectu. Collet. loc. cit. Concina t. 10. fol. 420.

Q. Quot sunt filiae Superbiae?

R. Sunt tres, nempe Praesumptio, Ambitio, et Vanagloria. Praesumptio est appetitus inordinatus aggrediendi aliquid quod vires proprias excedit; sic praesumptio est Sacerdotis, qui vult obire munus Confessarii absque sufficienti scientia, dotibusque necessariis. Praesumptio peccatum mortale est, si gravem injuriam Deo, vel grave damnum sive ipsi praesumptuoso, sive alteri inferat, vel inferre possit: item si usurpetur dignitas, vel potestas, vel officium, et eorum intuitu agat, v. g. quis sine potestate legitima judicandi, judicare praesumit. Collet loc. cit. Antoine t. 2. f. 375.

Ambitio est inordinatus appetitus dominandi, vel extollendi se per dignitatem, honorem, et potentiam super ceteros, vel aequales. Haec peccatum grave est ex genere suo: 1. Si appetatur honor, et dignitas propter se unice, et non propter Dei gloriam, vel Proximi utilitatem: 2. Si appetatur mediis graviter illicitis, vel cum gravi detrimento honoris Dei, vel utilitatis Proximi: 3. Si appetat ille, qui omni merito, titulo, vel aptitudine ad illum honorem, vel dignitatem, aut officium destitutus est: 4. Si ita appetat, vel custodiat dignitatem, honorem, potentiam, ut malit mortaliter peccare, quam eis carere. Collet, Concina t. 1. f. 409.

Vanagloria est appetitus inordinatus manifestandi propriam excellentiam sive veram, sive praesumptam ut ab aliis commendetur. D. Thomas 2. 2. quaest. 132. art. 1. Haec ex eodem D. Thoma loc. cit. art. 3. peccatum mortale est ex genere suo. Peccat proinde graviter quis 1. Si in gloria, quam appetit, ultimum finem reponat, ad gloriam captandam omnes actiones suas etiam licitas, et virtuosas dirigendo, vel ita dispositus est, ut ad gloriam, quam optat, pervenire velit etiam per peccatum grave. 2. Si gloriam quaerit ex rebus vel actionibus graviter illicitis. 3. Si gloriam quaerit ex iis, quae Dei sunt dona, et proinde tota gloria Deo tribuenda, attamen aliquam gloriam cupit sibi tribui, tamquam etiam sibi debitam. Concina, Collet, Antoine.

Vanagloria suas etiam habet filias, quas septem enumerat D. Thomas,

et sunt Inobedientia, cum scilicet ex contemptu Legis, vel Superioris violatur praeceptum: et haec est peccatum grave, nisi imperfectio actus excuset; nam contemnitur tali modo Dei auctoritas, et majestas.

Jactantia, cum scilicet quis propriam excellentiam verbis praedicat sive veram, sive praesumptam, ad acquirendam apud auditores gloriam, et tandem, vel cum gloriatur de peccato. Haec mortalis culpa est, si graviter derogat gloriae Dei quatenus fiat cum gravi scandalo, Proximi damno, contemptu, vel si sit jactantia de actione mortaliter mala, v. g. duello, contumelia etc.

Hypocrisis, cum scilicet quis simulat virtutem, et sanctitatem, quam non habet, vel majorem ea, quam habet. Quae peccatum grave est. 1. Si propter eam sanctitas, et vera virtus spernetur. 2. Si simulatur virtus, vel sanctitas, ob finem graviter illicitum. 3. Si hypocrita taliter animo sit affectus, ut malit graviter Deum offendere quam excidere bono nomine, quod per falsam virtutem sibi comparavit. Quod si hypocrisis contemptum virtutis vel damnum grave Proximi, vel honoris Dei, vel finem graviter illicitum non contineat, peccatum veniale erit D. Thomas 2. 2. q. 111. art. 4.

Contentio, et habetur, si quis indebita verborum altercatione veritati opponitur. Discordia, quae affinis est contentioni, et habetur cum quis adversatur voluntati alienae in bona, cui ex caritate tenetur consentire. Utraque culpa mortalis, vel venialis erit juxta materiae qualitatem. Hinc si veritas, vel voluntas aliena, cui injuste contradicitur fidem spectat, vel bonos mores, vel bonum grave Proximi, vel ejus pacem; contentio, et discordia grave peccatum erit.

Pertinacia, cum nempe quis adhaeret propriae sententiae plusquam oportet, atque in sua sententia obdurescit etiam post veritatem cognitam. Ita D. Thomas loc. cit. quaest. 138. art. 2. Haec grave peccatum est, quando quis, manifestata ei doctrina Fidei, vel morum, et quidem sufficienter, adhuc eidem vult resistere, et in sua sententia permanere.

Inventio novitatum, et habetur, cum quis vanae gloriae studio, nova excogitat. Haec inventio, vel inventionis usus culpa gravis, vel levis erit, prout erit materia Quare si Fidei, bonis moribus, Ecclesiae institutis, vel pudicitiae adversatur, vel occasionem peccati gravis aliis praebeat, aut grave damnum Proximo inferat, vel inferendi periculum contineat, culpa gravis erit. Antoine, Collet, Concina t. 1. f. 410. et seq.

Q. Quaenam sunt superbiae remedia?

R. Sunt plura. Inter cetera autem sunt meditatio sedula quod, quisque natus sit in peccato, et peccatis plenus, hinc innumeris miseriis obnoxius, et omnibus indigens: quod brevis sit vita praesens, et post hanc quisque pulvis, et umbra, et fumus, quoad corpus, quoad Animam vero poenis aeternis addictus, si superbiam foveat, aeternis gaudiis, si colat humilitatem. Item conversatio cum humilibus, petitio humilitatis, ac ceterarum virtutum Deo facta: relatio omnium suarum actionum eidem, a quo bona cuncta procedunt, et humilibus dat praemia: meditatio humilitatis Christi, B. Virginis, ac Sanctorum etc. Collet, Antoine, Cuniliati.

§. II. *De Avaritia*

Q. Quid est Avaritia, et quale peccatum?

R. Avaritia est inordinatus appetitus divitiarum: ita D. Thomas. Nomine divitiarum intellige pecunias, vel agros, pecora, mancipia, et alia pretio aestimabilia, etiamsi parvi valeant, dummodo nimis amentur. Collet, Cuniliati.

Avaritia est peccatum grave ex genere suo, quia opponitur caritati, et aliquando etiam justitiae, cum haec violatur, ut lucrum fiat. Hinc peccatum grave avaritiae committit qui opes per fas, et nefas acquirere, vel augere paratus est. Qui in divitiis suum ultimum finem constituit, cum scilicet animo dispositus est fallere, pejerare, decipere, vel aliud peccatum committere, vel spiritualia non curare, ut lucretur. Qui tam cupide retinet sua etiam jure acquisita, ut jacturam eorum, vel diminutionem neque pro Deo, neque pro Anima sua, neque pro spirituali proximorum salute pati velit. Qui insatiabilis est in adquirendo bona terrae. Qui emit frumentum, vel aliud ad victum Proximo necessarium, et recondit, cum desiderio, ut annona ad summum pretium perveniat, et sic ipse lucretur.

Quod si quis superflue divitias amet, non tamen praeferat earum amorem amori divino, nec propter divitias velit aliquid mali moliri contra Proximum, Avaritia erit, sed veniale peccatum non excedet. D. Thomas 2. 2. quaest. 118. art. 4. Antoine, Concina ibidem (1).

Q. Quaenam sunt remedia contra avaritiam?

R. Sunt plura, inter quae cogitatio sedula, quod omnia morte relinquenda sunt, et nescit homo, cui congregabit bona sua, quod bona terrena non possunt satiare cor hominis, sed solus Deus, ejusque gratia, quod Christus Rex regum, Dominus dominantium cum dives esset, factus fuit omnium pauperrimus, et pauperes voluit discipulos suos. Exercitatio item virtutum, et maxime liberalitatis, eleemosynae, animi distractio a rebus terrenis, Oratio, et Novissimorum meditatio. Collet.

(1) Ex S. Ligorio filiae avaritiae sunt sequentes I. Obduratio cordis (contra misericordiam) egenis, et pauperibus non compatiendo, eos objurgando, debita dure nimis exigenda quando debitor non est solvendo etc. Hac aliquando peccare potest mortaliter quando praeceptum eleemosinae, vel charitatis urget, et tamen ex tali duritia non subvenitur. *Nov. cap. 27. Fil. l. 8 c. 26.* II. Inquietudo cordis, hoc est vehemens, et inordinata applicatio mentis ad inquirendas, uel conservandas divitias cum inani, et vano timore, ne adquirantur, vel perdantur. Est mortalis quando retrahit a spiritualibus, vel aliis, ad quae ex praecepto gravi obligamur (v. g. auditione Missae) vel inducit superfluum timorem, et ex hoc diffidentiam erga Deum. Venialis est si sit de re bona, sed tempore, vel loco indebito: v. g. de familia, messe, vindemia quando quis est in Templo, vel vacandum est Deo. *S. Thom. 2. 2. q. 55. a, 6.* III. Violentia mortalis, est quando est injusta, et circa materiam gravem. IV. Fallacia, sive dolus in verbis potest esse mortalis ratione finis, vel mediorum. V. Fraus, sive dolus in facto est mortalis ex genere suo, contingitque multipliciter in contractibus, vel tam ratione materiae (v. g. si ea vitium habent, vel non sit, qualis existimatur), quam ratione pretii. *Nav. c. 23. Fil. l. 8. c. 27.* VI. Proditio, quae est deceptio contra fidem datam, aut debitam, in damnum alicujus mortalis est ex genere suo. Contigit fere tripliciter 1. Circa personas, quo modo Judas

§. III. *De Luxuria*

Q. Quid est Luxuria, et quale peccatum?

R. Luxuria est inordinatus appetitus usus venereorum, aut voluptatis venereae capiendae contra rationem. Haec, quoties adest perfecta deliberatio, est peccatum mortale, et quidem ex toto genere suo, cum materiae parvitatem non admittat, quaecumque enim delectatio venerea illicita deliberate volita etsi minima extra matrimonium graviter pugnat cum recta ratione: nam est inchoatio quaedam pollutionis, quae est rectae rationi graviter difformis. Antoine, Cuniliati, D. Thomas 2. 2. q. 173. Concina t. 4. f. 325. (1).

Q. Quotuplex est Luxuria?

R. Duplex, consumata nempe, et non consumata. Prima est illa, quae versatur in voluntaria effusione seminis destinati ad propagationem humanae speciei. Secunda est illa, in qua non intervenit effusio seminis, sed disponitur, et hujus speciei actus, vel sunt interni, uti desiderium turpe, et delectatio morosa turpis, vel sunt externi, uti tactus turpes, aspectus turpes, amplexus, oscula, turpiloquium.

Q. Quotuplex est Luxuria consumata?

R. Duplex, naturalis, et innaturalis. Prima est illa, quae in seminis effusione servat conditiones, quas exigit ordo naturalis, nempe conjunctionem

Christum, *Dalila Sampsonem* prodit. 2. Circa res vel immobiles, ut si miles manifestet hosti modum capiendi arcem, vel mobiles, ut si pecuniam, vestem etc. cujuspiam absconditam praedoni ostendas. 3. Circa secretum vel sibi commissum revelando (quod est contra fidelitatem, et justitiam, si quidem promissum fuit, quia est pactum onerosum, ut docet *Card. de Lugo lib. 24. n. 139.* et quidem mortale, si praevidere possis inde secuturum notabile aliorum damnum, vel discordiam, alias veniale) vel alienas litteras aperiendo, et legendo. Quod postremum si fiat ideo, ut scias secreta alterius, est curiositas: et si sit in re gravi, per se est mortale: quod quia communiter ante aperitionem nescitur, communiter esse mortale docent *Tol. l. 7. c. 45. Bald. l. 3. d. 11. etc*...Dixi per se esse mortale, quia per accidens potest esse veniale, vel nullum, si legitima auctoritate justa ex caussa fiat. *Theol. Mor. Lib. IV. de ratione cognoscendi peccata Dub. III. §. 69.*

(1) Ex S. Ligorio filiae luxuriae, quae eam plerumque sequantur sunt octo: quatuor ex parte intellectus, et quatuor ex parte voluntatis. I. Coecitas mentis, cum quis adeo est addictus turpitudini, ut de coelestibus non cogitet. II. Praecipitatio, qua quis ex eadem caussa sine consilio operatur. III. Inconsideratio, quando in modo delinquit, inconsiderate agens quae statum, vel personam dedecent. IV. Inconstantia quando quis ex eodem affectu voluptatum a piis propositis mox deficit. V. Amor sui, talis enim homo ob voluptates seipsum finem suarum actionum facit, non Dei. VI. Odium Dei: lascivus enim solet a rebus divinis abhorrere, immo ab ipso Deo tamquam peccatorum vindice. VII. Affectus praesentis saeculi: amor enim voluptatum carnalium ita animum efficit, ub subinde etiam beatitudini aeternae paratus esset renuntiare, si praesentibus frui semper permitteretur. VIII. Horror futuri saeculi, quando voluptatibus immersus mortem inordinate timeret, et de ea nolens cogitare vitam illicitis mediis propagare studet etc. Priores quatuor sunt mortales, quando finis ultimus in creatura proponitur, vel praeceptum aliquod Dei graviter obligans praetermittitur. Posteriores quatuor, si plenus sit voluntatis consensus per se sunt mortales: ex indeliberatione, vel alia actuum imperfectione saepe veniales. *loc. cit. Dub. III. §. 71.*

duorum ejusdem speciei, diversitatem sexus, vas aptum, et debitum concumbendi modum, talis est fornicatio, adulterium etc. Secunda est illa, quae has conditiones non servat, uti est sodomia, bestialitas etc.

Species luxuriae consummatae naturalis sunt plures, scilicet simplex Fornicatio, Stuprum, Raptus, Adulterium, Incestus, et Sacrilegium venereum.

Species luxuriae consumatae innaturalis sunt mollities, bestialitas, sodomia, et modus inordinatus concumbendi: quae peccata sunt specie diversa; nam singula habent specialem malitiam, et diversam difformitatem castitati, et proinde rectae rationi adversam. Quare Alexander VIII. hanc proscripsit propositionem: *Mollities, sodomia, et bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimae, adeoque sufficit dicere in confessione, se procurasse pollutionem.* Communiter.

Q. Quid est fornicatio simplex?

R. Est naturalis concubitus viri soluti cum foemina soluta deflorata ex mutuo consensu habitus. Dicuntur soluti, qui liberi sunt a vinculo matrimonii, voti solemnis, ordinis sacri, consanguinitatis, et affinitatis, ac proinde habiles ad contrahendum matrimonium inter se. Hinc fornicatio distinguitur ab adulterio, incestu, sacrilegio; et quatenus fornicatio committitur de consensu mulieris corruptae, distinguitur etiam a stupro. Collet, Stampò.

Q. Fornicatio estne peccatum?

R. Maxime, et est de fide. Deuteron. enim cap. 22. habetur: *Non erit Meretrix de filiabus Israel, nec scortatur de filiis Israel.* Et ad ad Corinth. 6. *Neque fornicarii, neque adulteri, neque molles regnum Dei possidebunt.* Patet etiam ex Clementina *Ad nostrum* de haereticis contra Beguardos, et Beguinos. Fornicatio itaque est intrinsece mala, et Jure naturali prohibita, quia opponitur bono prolis; ista enim cum nascatur ex patre incerto, privatur cura, educatione, et protectione patris; opponitur enim bono Reipublicae, quia fornicatio per se scandala, contentiones, ignorantiam, pravamque civium institutionem in Rempublicam infert. Recte igitur. Innoc. XI. hanc thesim n. 48. proscripsit. *Tam clarum videtur, fornicationem secundum se, nullam involvere malitiam, et solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.* Concina t. 4. f. 278. Stampò, Collet de praecept. f. 394.

Q. Quid si fidelis cum infideli fornicationem committat?

R. Committit peccatum gravius, quam si fornicaretur cum fideli, imo secundum plerosque est circumstantia mutans, nam vergit in dedecus Catholicae Religionis haec turpis commixtio, et continet periculnm non parvum, quod fidelis allectus amore fornicariae infidelis, descendat in ethnicorum mores et institutum. Hinc in sententia istorum peccat contra Castitatem, et Religionem. Antoine, Collet.

Quorundam opinio est peccatum, quod committitur cum fideli, esse detestabilius illo, quod cum infideli patratur, excepta tamen Apostasia, in quam inter carnales blanditias poterit quidam incurrere.

Q. Quid est concubinatus?

R. Est detentio mulieris in propria, vel aliena domo per modum uxoris. Concina t. 4. f. 284.

Differt concubinatus a simplici fornicatione; quia fornicatio est concubitus soluti cum soluta modo ista, modo illa. Concubinatus vero est continuatus congressus cum determinata muliere sive soluta, sive uxorata, sive alio

vinculo ligata. Sed quia plerumque in concubinatum prolabuntur soluti cum solutis, ideo sub tractatu de fornicatione apponi solet concubinatus.

Q. Quaenam conditiones requiruntur ad concubinatum?

R. Ut habeatur concubinatus juxta Jus Civile docent DD. quod requiritur 1. Ut concubina in domo concubinarii cohabitet, et alatur 2. Ut frequens sit eorum concubitus 3. Ut sint ita soluti, ut possint matrimonium contrahere, si velint 4. Ut mulier sit una, quae unum virum habeat, scilicet, et vir non habeat aliam concubinam, et mulier non habeat alium virum. Concina loc. cit.

Ut autem concubinatus constituatur Jure Canonico requiritur 1. Ut sive domi viri, sive alibi retineatur mulier, vir habeat ad eam facilem accessum 2. Ut habeatur pluralitas copularum, seu habeantur quatuor saltem copulae 3. Ut habeatur animus perseverandi in tali congressu: 4 Ut mulier non habeat cum alio viro commercium carnale.

Q. Concubinatus estne peccatum mortale?

R. Maxime, et quidem gravissimum, quia praeter crimen turpitudinis castitati oppositum, continet voluntatem perseverandi in peccato, et trascendit per omnes species luxuriae consumatae naturalis.

Q. Concubinarius estne absolvendus?

R. Minime, nisi prius cum possit concubinam dimittat, atque tollat omnem occasionem proximam peccandi cum ea. Nec sufficit, si promittat, dimissurum eam; quia concubinarius in suis promissis facile deficiet. Dixi, *si possit*, nam si accedat physica, vel moralis impotentia illam dimittendi, uti esset, si mors sit imminens, si scandalum maximum, vel infamia gravis timeatur, vel maxima bonorum jactura, etc., tunc potest absolvi, non amota concubina, sed postquam per salutaria, et congruentia remedia occasio proxima peccandi remota facta sit. Concina tom. 4: f. 289.

Q. Teneturne concubinarius dimittere concubinam, ut absolvatur, quando haec est ei necessaria vel utilis?

R. Maxime, aliter non est absolvendus: nam quaecumque utilitas, et necessitas temporalis est posthabenda, ut animae consulatur, quando utilitas vel necessitas inducit occasionem proximam peccandi, quae removeri potest Hinc rite damnata fuit ab Alexand. VII. propositio 41. *Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si haec nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii,* vulgo *regalo: dum deficiente illa, nimis aegre vitam ageret, et aliae epulae taedio magno concubinarium afficerent, et alia famula nimis difficile inveniretur.* Collet.

Q. Quaenam sunt poenae contra concubinarios?

R. Praeter poenas jure civili statutas, alias imposuit Ecclesia, et quidem 1. Excommunicatio ferendae sententiae. Et si Clericus est, et jam monitus, non ejecerit concubinam, ipso facto privatur tertia parte fructuum beneficii vel pensionis ecclesiasticae, si forte haec habeat, si perseveret in delicto, et secundo monitus est, eo ipso amittit omnes fructus beneficii, vel pensionis. Si tertio monitus obdurescat in crimine; privatur ipso beneficio, et pensione, ac indignus, et inhabilis redditur ad alia beneficia, vel pensiones in posterum obtinendos, nisi emendatus dispensationem obtineat. Trident. Sess. 24. cap. 8., et Sess. 26. cap. 14. Concina. (1)

(1) Concubinarii jure Neap: Dioecesis incidunt in casum reservatum absque ex-

Q. Quid est stuprum?

R. Est violenta virginis defloratio. Dicitur violenta defloratio, cum accedit per vim, seu coactionem physicam, vel per coactionem moralem, nempe per dolum, fraudem, blanditias nimis allicientes, munera extraordinaria metum gravem, preces nimis importunas etc. Nomine autem virginis intellige non solum foeminam, sed marem virginem, qui licet signaculum virginitatis non amittat per copulam, uti foemina virgo, amittat tamen coram Deo virginitatis lilium. Unde stupri reus est non solum ille, qui per vim sive physicam, sive moralem virginitatis florem aufert a puella, sed etiam talis delicti rea est mulier, quae a juvene virgine violenter sive physice sive moraliter extorquet copulam, ejusque virginitatem corrumpit. Collet.

Q. Quot malitias continet stuprum?

R. Plures 1. Contra castitatem 2. Contra justitiam, et quidem dupliciter, quia stuprator injuriam irrogat virgini, cui virginitatem adimit, et quam impedit a consecutione utilis matrimonii, et constituit in periculo, et in via committendi alia turpia, et forsan deformiora. Irrogat etiam injuriam parenti defloratae, vel ei sub cujus custodiam reperitur 3. Contra caritatem ratione scandali, quia stuprator virginem ad peccatum provocat per violentiam, et viam ei aperit ad alia peccata. Hinc stuprator quatuor peccata gravia committit, unum contra castitatem, duo contra justitiam, quartum contra caritatem. Antoine, Collet.

Q. Quid si puella virgo sciens volens consentiat in sui deflorationem?

R. Adhuc stuprum committitur, quia puella non habet dominium sui corporis, ut possit illo abuti vel aliis concedere licentiam abutendi, quare crimen hoc malitiam contra castitatem continet, et contra justitiam, quia laedit jus parentum, sub quorum custodia reperitur, et infert eis gravamen illam retinendi innuptam, vel dotem augendi, ut nubat. Continet denique malitiam contra pietatem parentibus debitam, quia praebet eis per suum crimen gravissimam injuriam, ac moestitiam, ac ignominiae, et infamiae molestissimam caussam. D. Thomas, Concina, Collet. Antoine.

Q. Quid si Parentes simul cum filia consentiant in ejus deflorationem?

R. Etiam stuprum habetur: nam parentes non habent jus prostituendi filiam, et verificatur, quod per deflorationem hujusmodi adimitur puellae flos virginitatis, quem tum puella, tum parentes ejus custodire tenentur, juxta illud Ecclesiast. *Filiae tibi sunt, serva corpus illarum.* Item per hanc deflorationem constituitur puella quasi per vim in proximo periculo perpatrandi deinceps alia hujusmodi scelera, et meretricandi. Collet, Stampò.

Q. Quid si virgo illicitam copulam appetat, vel de ea morose delectetur, aut non virgo virginis copulam optet?

R. Stuprum affectivum committit, nam actus internus sumit malitiam ab actu externo, suisque circumstantiis, unde sicuti copula externa ab eisdem turpiter habita stuprum externum esset, sic et desiderium, et delectatio

communicatione. *Non absolvantur concubinarii, et concubinae, etiamsi excommunicationis sententia in eos lata non fuerit, nisi, facta reali separatione et tori, et domus per duos se menses continuerint, vel nisi certo, aut valde probabiliter constet factos physice, vel moraliter impotentes ad reincidendum, aut paulo post esse inter se matrimonium contracturos.* Casus VI. in tabella. Illud heic animadvertendum quod verba *paulo post* spatium trium dierum cum dimidio designant.

morosa de illa, stupri malitiam habere dicendum est. Collet t. 1. f. 369. Concina t. 4. f. 340.

Q. Quaenam sunt stupri poenae ?

R. Jure civili est publicatio dimidiae partis bonorum, et si stuprator est abjectae conditionis fustigatio, et exilium, si virgo fuit consensiens muneribus, et verbis allecta, si autem externa violentia adjecta fuit, et poena capitis. Institut. de publica Judicis §. item lex justitiae.

Jure Canonico stuprator tenetur defloratam in uxorem ducere, vel dotare. Quod si dotationem sibi optet, et matrimonium cum deflorata respuat, cum dotatione conjungenda est poena corporalis, et excommunicatio. Si vero sit clericus stuprator tenetur virginem defloratam dotare, deponendus est, et detrudendus in monasterio ad agendam poenitentiam saltem per decennium. Cap. Praesbyter. dist. 82. Capit. *Si quis Clericus, dist.* 81. Cap. *Later*. quaest. 7. (1).

Q. Quid est Raptus?

R. Est violenta abductio personae alicujus de loco tuto in alium locum non tutum, ubi sit sub potestate raptoris, caussa explendae libidinis, vel matrimonii contrahendi. Nomine personae intellige personam sive marem, sive foeminam, sive solutam, sive uxoratam, sive virginem, sive defloratam, dummodo abducta sit invita, vel invitis parentibus, vel tutoribus, sub quorum cura, ac tutela manet.

Raptus duplicem continet malitiam, alteram contra castitatem, quia libidinem explere intendit extra matrimonium, vel in matrimonio indebite contracto; alteram contra justitiam ob injuriam illatam, vel ipsi personae abductae, vel ejus parentibus, ac tutoribus. Imo raptus aliquando alias malitias, et proinde alia peccata continere potest, ratione personae tum abducentis, tum abductae, vel ratione aliarum circumstantiarum, v. g. si raptor sit Sacerdos, vel Religiosus professus: si rapta sit monialis, vel consanguinea, uxorata, virgo etc. ad finem explendae libidinis cum ea, et postea eam occidendi, expoliandi, in servitutem redigendae. Collet. t. 1. f. 369. Antoine.

Q. Quaenam sunt poenae statutae contra Raptores ?

R. Jure Civili statuta est poena capitis. Jure Canonico excommunicatio ipso facto tam contra raptorem, quam contra mandantem, consulentem, auxilium praestantem, poena infamiae, et inhabilitas ad dignitates, poena dotandi raptam, et impedimentum dirimens matrimonium, ut suo loco dicetur. Vide Trident. de reform. sess. 24. cap. 6. Concina t. 4. f. 443. (1)

Q. Quid est adulterium, et quotuplex ?

R. Adulterium est concubitus illicitus personarum, quarum, vel alterura, vel utraque matrimonii vinculo ligata est. Quod duplex est, simplex, et duplex: simplex est, si solutus accedat ad uxoratam, vel uxoratus ad solutam. Duplex: si uxoratus uxoratam cognoscat. Collet, t. 1. f. 396. Antoine.

(1) Cod. noviss. p. II. LL. Crim. art. 333. cautum quod stuprum vi committentes inclusionis poena scelus istud admissum luant.

(2) Cod. noviss. p. II. LL. Crim. art. 336. cautum relegationis poena eum mulctandum, qui mulierem vel explendae libidinis, vel matrimonii contrahendi caussa vi abducat. Quod si rapta stuprum quoque passa fuerit, tunc hujusce criminis reus ulterioris gradus poena afficietur.

Q. Quot peccata continet adulterium ?

R. Plura, nam 1. Continet peccatum contra castitatem 2. Contra justitiam, si adulterium est simplex, quia laeditur jus alterius conjugis, quod si adulterium est duplex, duplex est peccatum contra justitiam; quia laeditur jus duorum, nempe jus propriae conjugis, et jus conjugis alterius, quorum torus polluitur per adulterium. 3. Peccatum contra Religionem, quia Sacramento, ac sanctitati matrimonii injuriam irrogant adulteri. Collet. f. 367. Concina f. 344. Stampò t. 2. f. 542. (1).

Q. Quid si quis ad uxoratam accedit, consentiente viro suo ?

R. Adulterium committit, nam semper violatur fides matrimonii, quae non dependet solum ex jure, quod habet alter conjux, sed dependet etiam, et quidem majori jure ex sanctitate, et justitia intrinseca ipsius matrimonii, cui alter conjux renuntiare non potest, licet juri suo renuntiet. Quare Innocentius XI. rite damnavit hanc propositionem; num. . . . . *Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium, adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.*

Q. Quid est incestus ?

R. Est peccatum luxuriae, cum persona sibi cognata, vel affine intra gradus prohibitos commissum. Collet. f. 397. . Dixi *peccatum luxuriae*, ut intelligas quod non solum copula, sed etiam quilibet actus turpis sive internus sive externus circa personas consanguinitate, vel affinitate, lege, vel Sacramento cognatas, participant malitiam incestus; quia tendunt ad hunc vel directe, vel indirecte, vel expresse, vel interpretative, tanquam ad actum principalem.

Dixi, *cum persona sibi cognata, vel affine*, nam quaevis cognatio sive naturalis, sive spiritualis, sive legalis, et quaevis affinitas orta sive ex copula licita, sive illicita, affert rationem incestus actibus turpibus. Dixi denique, *intra gradus prohibitos*, unde incestus malitia aderit, si copula, vel actus turpis habeatur cum persona consanguinea, vel affine ratione matrimonii validi usque ad quartum gradum inclusive, vel cum affine ex copula illicita usque ad secundum etiam inclusive Collet. t. 1. f. 397.

Q. Quae peccata continet incestus ?

R. Incestus inter consanguineos, et affines intra gradus prohibitos, et incestus inter conjunctos cognatione legali, duo peccata continet: alterum contra castitatem, alterum contra pietatem seu reverentiam debitam consanguineis, affinibus et legali adoptione conjunctis. Incestus vero spiritualis, seu copula, vel alius actus turpis inter personas, quae cognatione spirituali devinctae sunt, praeter luxuriae malitiam castitatis virtuti oppositam, et peccatum contra pietatem, seu reverentiam debitam personis spirituali vinculo conjunctis, continet etiam malitiam, seu peccatum sacrilegii, eo quod irrogatur injuria Sacramento Baptismi, vel confirmationis, unde orta est cognatio spiritualis. Antoine, Collet t. f. 397., Concina t. 4. 1. f. 350.

Q. Incestus suntne singuli ejusdem speciei, et gravitatis ?

R. Minime, quia incestus ratione consanguinitatis specie, et gravitate

(1) Cod. noviss. p. II. LL. Crim. art. 328. cautum quod vir, qui concubinam suae domi habuerit, instante ejus uxore carceris poena a secundo ad tertium gradum, caussa cognita sit mulctandus.

differt ab incestu ratione affinitatis, vel adoptionis, vel spiritualis cognationis. Item incestus inter consanguineos lineae rectae specie, et gravitate differt ab incestu inter consanguineos lineae transversalis. Similiter incestus inter consanguineos primi gradus lineae rectae specie, et gravitate differt ab incesto inter consanguineos ejusdem lineae in subsequentibus gradibus. Et idem dic de incestu inter affines. Ratio horum omnium est, quia in his incestibus habetur diversa malitia, quia diverso modo violatur pietas, non enim omnibus conjunctis eadem debetur reverentia. Hinc in confessione detegenda est species incestus, conditio personarum, gradus, etc. Stampò, Collet, Antoine, Concina.

Q. In quas poenas incidit incestuosus?

R. Omissis ceteris, quae forum externum respiciunt liquet, quod de Jure communi conjux committens incestum cum persona consanguinea alterius conjugis in primo, et secundo gradu, privatur jure petendi debitum, ita ut non potest sine peccato mortali petere debitum a conjuge innocente, usque dum non obtinuerit dispensationem a proprio Episcopo. Dixi *de jure communi*, quia de jure dioecesano attendendum est ad statuta cujusque Dioecesis. Collet. (1).

Q. Quid est sacrilegium venereum?

R. Est peccatum turpe, quo persona sacra, scilicet voto castitatis solemni, vel simplici adstricta, vel locus sacer polluitur. Nomine loci sacri intellige Ecclesiam sive consecratam, sive benedictam, coemeterium, et oratoria publica. An vero ad effectum sacrilegii veniant, nomine loci sacri, sacristia, oratorium privatum, turris pro campanis, claustra regularium, in quibus sunt sepulturae fidelium, litigium est inter DD. quod non veniant nomine loci sacri monasteriorum dormitoria, officinae, cellae, loca supra tectum Ecclesiae, vel loca subterranea Ecclesiae, in quibus non sunt sepulcra fidelium, neque sacrae reliquiae asservantur, communis est sententia, teste Concina t. 1. f. 354.

Q. Quot peccata inveniuntur in sacrilegio venereo?

R. Duo, alterum contra castitatem, alterum contra Religionem; nam per hoc sacrilegium carnalis turpitudo committitur, quae castitati opponitur, et violatur sanctitas personae Deo per votum consecratae, aut adimitur reverentia loco sacro debita; quae violatio Religioni adversatur. Antoine t. 2. f. 390.

Hinc peccato sacrilegii venerei obnoxius fit primo qui obstrictus voto solemni, aut simplici castitatis, quemcumque actum sive externum, sive internum turpem committit. 2. Qui licet votum castitatis non habeat, attamen cum persona tali voto obstricta actus turpes externos exercet, vel exercere desiderat, vel tali exercitio morose delectatur: et si utraque persona, quae turpia committit, voto castitatis teneatur, duplex committitur sacrilegium, nam utriusque personae Deo per votum dicatae violatur sanctitas, et idem

(1) Ex Jure communi: Ex Cap. *Si quis 1. De eo, qui cognovit etc.. et declarat.* Greg. XIII. Jure autem Neap. Dioecesis incestuosi incidunt in casum reservatum cum excommunicatione, ut in Cas. IX. *Incestus cum conjunctis in primo, vel secundo gradu consanguinitatis, vel affinitatis. Mulieres autem si vere sint poenitentes, a quocumque Confessario a Nobis adprobato absolvi possunt gravi tamen imposita poenitentia salutari, et dummodo occasio proxima facta sit salutaribus mediis remota.*

dic si actus turpes sunt interni. 3. Qui voto castitatis ligatus alium ad peccandum contra castitatem inducit. 4. Qui nullo castitatis voto obstrictus, actum turpem exteriorem, etiam occultum, v. g. fornicationem, tactum turpem turpiloquium etc.,vel etiam aliquem actum turpem internum, juxta probabiliorem sententiam, v. g. desiderium, vel delectationem turpem, aut conjugalem copulam etiam occultam, in loco sacro committit. Antoine t. 2. f. 390. Concina t. 4. f. 350., et 353.

Q. Regularis professus in sacris constitutus committitne duplex sacrilegium, si turpe quid committat?

R. Litigium est inter DD. Verum Salmanticenses, Suarez, Lessius, et plerique alii affirmant; nam Religiosus in sacris constitutus duplici vinculo se obstrinxit Deo, ac ei corpus suum dicavit, nimirum solemni professione, et deinde sacrorum ordinum receptione. Per primam se obligavit servare castitatem ratione solemnis voti, per quod persona sua Deo solemniter sacrata est, per secundam se obligavit etiam servare castitatem ex Ecclesiae praescripto, et per hoc persona sua etiam Deo sacrata est, et dicitur sacra; sub diverso ergo respectu se obligavit ad castitatem, et persona sua sacra denominata est, unde violando personam suam per turpia, diversam committit difformitatem contra Religionem, et proinde duplex committit sacrilegium. Ut ut sit, certum est per omnes, quod turpia a Religioso in sacris constituto commissa malitiam contineant graviorem,quam si commissa essent a simplici Religioso, Concina t. 4. f. 351.

Q. Quid si confessarius cum poenitente peccatum luxuriae committat?

R. Praeter peccatum contra castitatem, fit duplicis sacrilegii reus, quia votum solemne castitatis violat, ac infert etiam injuriam Sacramento Poenitentiae, quoniam odiosum illud reddit, et suspectum, quod, ut remedium peccatorum institutum fuit. Item committit incestum similitudinarium. Capit. *Non debet* 30. q. 1. et cap. *omnes* eodem, quia etsi proprie ex Sacramento poenitentiae non contrahatur cognatio spiritualis, ut ex Sacramento Baptismi, et Confirmationis, contrahitur tamen quoddam foedus inter Sacerdotem, et Poenitentem confitentem simile cognationi spirituali, ut tantum peccet eam carnaliter cognoscens, quantum si esset sua spiritualis filia Antoine t. 2. f. 391.

Q. Persona voto solemni castitatis ligata, si deinde votum simplex emittat abstinendi ab omnibus turpibus, committitne duplex sacrilegium, dato quod postea in aliquod turpe prolabatur?

R. Minime, sed unum tantum committit sacrilegium, quia secundum votum nullam aliam obligationem induxit, quidquid promissum fuit per illud, fortiori, et efficaciori vinculo, nempe voto solemni jam promissum erat. Concina loc. cit.

Q. Peccatne duplici Sacrilegio Sacerdos, Diaconus, qui dum defert sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, aliquod turpe peccatum committit, sive externum, sive internum?

R. Maxime, quia cum sancta sancte tractanda sint, ipse non sancte, sed turpiter tractat sanctitatis fontem; hinc duplex sacrilegium committit, alterum, quia polluit corpus suum Deo dicatum, et sacrilegium personale est, alterum reale, quia indigne tractat rem sanctissimam. Idem dic de Clerico in sacris constituto, si alba indutus impudicum quid perpatrat, quia para-

mentis benedictis injuriam infert. Collet. f. 401. An idem dicendum sit, dum gestat reliquia Sanctorum, litigium est inter DD. quod sit tamen circumstantia haec nimis aggravans in confessione aperienda, omnes fatentur. Quod si sacrae reliquiae dentur in pretium actus venerei sacrilegium certe committitur simul, et simonia. Concina loc. cit.

Q. Quid est mollities, seu pollutio, et estne peccatum?

R. Mollities est voluntaria seminis effusio sine concubitu, sive semen foras emittatur, ut accidit in maribus, sive illud in matricem diffluat, ut accidit foeminis.

Pollutio potest esse voluntaria directe, et in se, cum scilicet immediate ipsa pollutio intenditur, et procuratur. Potest et esse voluntaria indirecte, et in caussa, quando oritur pollutio a caussa quae cognoscebatur, vel cognosci poterat, productiva pollutionis, et poterat et debebat hujusmodi caussa vitari. Collet. t. 1. f. 402. Concina.

Pollutio sive directe sive indirecte voluntaria, est moraliter peccaminosa, et est de Fide; nam ex prima ad Corinth. cap. 6. habetur: *Nolite errare: neque fornicarii . . . neque molles regnum Dei possidebunt.* Idem patet ex epist. ad Ephes. 4., et ratio est, quia pollutio directe adversatur generationi, et propagationi generis humani, pro quibus semen homini datum est, ideoque est intrinsece mala. Hinc propositio 49 damnata ab Innoc. XI. *Mollities jure naturae prohibita non est: unde si Deus eam non interdixisset, saepe esset bona, et aliquando obligatoria sub mortali.* Antoine t. 2. ff. 395. Collet. 401.

Q. Pollutionis, sive mollitiei malitia potestne invincibiliter ignorari?

R. Inter Fideles difficillime ignorari potest, et si quae adducitur ignorantia, vincibilis censenda est. Quare si quis in suis confessionibus de pollutionibus non se accusavit, quia credebat non fuisse peccata, confessiones illae repetendae sunt. Collet. f. 402.

Q. Quid dicendum de distillatione seminis?

R. Si distillatio haec oriatur ex corporis debilitate, calore, vel alio vitio, et voluntati displicet, nec ulla habetur venerea delectatio, non est peccaminosa, utpote quae ex caussa naturali, et sine ulla voluntatis malitia oritur. Si vero oriatur ex caussa culpabili, v. g. turpi colloquio, conversatione valde familiari, aspectu impudico etc. est graviter peccaminosa, quia voluntaria est indirecte, et in sua caussa. D. Thomas opusc. 64. de flux. libidin. Concina ibidem fol. 360.

Q. Pollutio praeter propriam malitiam, continetne aliquando aliam?

R. Maxime, nam ei potest adjungi alia difformitas, et malitia orta ex circumstantiis, v. g. polluit se Sacerdos cogitans uxoratam mulierem sibi consanguineam in loco sacro: en malitia pollutionis, quae castitati opponitur, adjungitur sacrilegium personale, quia Sacerdos, adjungitur malitia adulterii, et incestus, qui habet pro objecto suae turpis cogitationis, et actus uxoratam sibi consanguineam, adjungitur malitia sacrilegii localis, qui polluit se in loco sacro. Antoine loc. citat.

Q. Licetne ad effectum bonum obtinendum ponere caussam ex qua praevideatur posse sequi pollutionem, vel gravem commotionem veneream?

R. Maxime, si caussa ponatur ex gravi necessitate, vel rationabili motivo, et unice effectus bonus intendatur, nec periculum adsit consentiendi

in pollutionem, aut gravem veneream commotionem, quoniam expertus est, quod pluries in tali occasione positus, numquam consenserit; et ratio est, quia pollutio, vel commotio, si forsan sequatur, neque directe voluntaria est, cum non intendatur, neque indirecte, quia quando urget gravis necessitas, vel aliud rationabile motivum, non tenetur quis omittere caussam boni effectus, quem unice intendit: et licet seqnatur pollutio, vel gravis commotio venerea; quia tamen eam non intendit, neque periculum adest consensus, videtur potius illam pati, et permittere, quam procurare.

Hinc a Sylvio excusantur a peccato 1. Confessarius, qni praeter voluntatem patitur pollutionem in audiendo confessiones 2. Ille, qui turpia ad sui, vel aliorum necessariam instructionem, legit, vel andit 3. Medicus, et Chirurgus, vel Valetudinarius, qui ex officio impudica tangere, vel intueri coguntur, aliique, qni ex honesta caussa honestum quid agunt, ex quo, praeter intentionem, et delectationem, sequitur pollutio, vel gravis venerea commotio; haec namque per accidens accidit, et praeter voluntatem, et ex miseria naturae per peccatum corruptae. Concina ibid. Collet. t. 1. f. 401.

Q. Quid si quis sine urgenti necessitate, vel rationabili motivo caussam ponit pollutionis, vel venereae commotionis quam praevidet, sed non intendit; imo expresse respuit?

R. Si canssa, quam ponit, per se, et notabiliter disponit ad pollutionem, vel commotionem veneream, uti sunt tactus obscoeni, aspectus partium pudendarum proprii, vel alieni corporis, et praesertim diversi sexus, lectio item, auditio, locutio rerum valde obscoenarum etc. qui hujusmodi caussam ponit, mortaliter peccat; quia agit contra legem naturalem, quae dum graviter prohibet pollutionem, et voluntariam veneream commotionem, tamquam proximam pollutionis caussam, obligat simul sub gravi ad vitandam, et auferendam proximam caussam earum, et licet eas non intendat, imo expresse respuat, voluntarie tamen se exponit proximo, ac probabili earum periculo. Quare si postea pollutio, vel commotio gravis ex hujusmodi caussa revera sequatur, est etiam moraliter peccaminosa, quia est voluntaria indirecte, et in sua caussa.

At si caussa leviter ad pollutionem, vel veneream commotionem disponat, et nonnisi per accidens, et remote illam inferre soleat; unde venialiter mala est, si ex rationabili motivo ponatur, nullum adest peccatum: quando non adest periculum consensus, vel delectationis. Quod si sine ulla necessitate, vel rationabili motivo ponatur, peccatum erit veniale, modo neque pollutio intendatur, modo neque venerea commotio, neque adsit periculum consensus, vel delectationis, et pollutio, si postea forte inde sequatur, peccatum veniale erit, quia sicut agens nonnisi ex levi obligatione tenebatur vitare caussam, ita pollutio inde proveniens non est voluntaria, nisi leviter, et inperfecte. Vide Antoine t. 2. f. 397. Concina t. 4. f. 363. Collet. t. 1. f. 402. (1).

(1) Quaestio hic agitur an sit mortalis pollutio praevisa, quae involuntarie sequitur ex caussis leviter ad eam influentibus? Plures diversae adsunt sententiae. I. sententia affirmat esse mortales omnes pollutiones praevisae, et non impeditae, etiamsi caussae alias sint licitae. Ita *Valer. Metin. Manuel. etc. apud Sanch. lib. 9. D. 43. num. 10.* II. sententia, quam tenet Armilla apud eumdem Sanch. n. 11. dicit quamcumque caussam, etiam venialiter illicitam, efficere pollutionem mortalem.

Q. Quid dicendum de pollutione nocturna?

R. Si complacentia absit, pollutio haec per se peccatum non est, quia, ut ait. D. Thomas 2. 2. q. l. 54. art. 5. *in dormiendo ratio non habet liberum judicium, quo possit pollutionem vitare; et ideo sublato judicio rationis tollitur fundamentum peccati; cum omne peccatum ex judicio rationis dependeat.* DD. communiter cum D. Thoma loc. cit. Concina t. 4. f. 366.

Dixi, *per se*, quia si pollutio nocturna fuerit voluntaria in caussa, peccatum mortale est, si caussa directe posita fuit ad pollutionem promovendam. At si pollutio non orta fuit ex caussa directe posita ad eam inducendam, sed ex alia caussa illicita, quae vitari debebat, et poterat, et cognoscebatur tamquam pollutionis productiva: pollutio mortaliter culpabilis est, si caussa ista fuit graviter culpabilis, quia voluntaria in sua caussa: si autem haec fuit leviter culpabilis, pollutio est etiam leviter mala. Concina t. 4 f. 368.

Q. Peccatne quis, si experrectus a somno pollutionem in somno inceptam non abrumpit, et impedit?

R. Minime, quia malitia pollutionis consistit in illius illicita procuratione. Cum ergo caussa nocturnae pollutionis inductiva, uti supponitur inculpabilis sit, inculpabilis est etiam ipsa pollutio, dummodo de ea non complaceat, neque periculum adsit complacendi, neque conatum adhibeat, ut compleatur, sed doleat, atque solummodo invitus permittat. D. Thomas in 4. sent. dist. 9. q. 1. art. 4. ad 5., Concina t. 4. f. 369.

Q. Estne licitum optare, ut in somno accidat pollutio absque sua culpa ob finem bonum, puta sanitatis recuperandae, concupiscentiae diminuendae etc.?

R. Litigium est inter DD. Aliqui affirmant cum D. Antonino 2. part. tit. 6. cap. 5. Alii probabilius negant, quia pollutio est intrinsece mala, sicut homicidium: unde sicuti homicidium in somnis committendum desiderari non potest, sic et pollutio: et ratio est, quia desideratur res intrinsece mala, si non formaliter, saltem materialiter. Concina loc. cit., Stampò, Collet. f. 402.

Q. Estne licitum gaudere de pollutione nocturna inculpabiliter secuta?

R. Si gaudet quis absolute de pollutione, prout delectationem veneream induxit, certe peccatum mortale est, quia sibi complacet de re intrinsece mala: si gaudet autem de pollutione, prout molestiae allevationem, et con-

III. sententia, quam sequuntur *Soto, Ang. Gerson, Lopez etc. apud Sanch. n. 12.* tenet omnem caussam, quae in se est peccatum mortale, constituere etiam mortalem pollutionem, quae ex illa sequitur. Et pro hac sententia videtur stare S. Th. 3. part. quaest. 80. num. 7., ubi ait: *Quandoque vero* (pollutio nocturna) *est cum peccato, puta cum provenit ex superfluitate cibi, vel potus. Et hoc etiam potest esse peccatum veniale, vel mortale.* IV. sententia communis, et probabilior docet pollutionem non esse mortalem, nisi proveniat ex caussa per se mortali in genere luxuriae. Ita *Less., Sylvius, Sporer, Sanch. Bonac. Salm.*, aliique. Ratio, cur caussa debet esse per se mortalis, est, quia cum pollutio non sit volita in se, sed tantum in caussa, eo gradu mala erit, quo mala est ipsa caussa. Ratio autem, cur debet insuper esse mortalis in eodem genere luxuriae, est, quia cum caussa leviter ad pollutionem concurrat, non est gravis obligatio caussam illam vitare ob pollutionem, quae praeter intentionem accidit. *S. Ligorius Theol. Mor. Lib. III. de Sext. Praec. Dub. IV. §. 484.*

cupiscentiae diminutionem induxit, peccatum non videtur esse saltem mortale. Vide Antoine.

Q. Quid est Bestialitas?

R. Est coitus cum bestia. Hinc crimen est ceteris hujus generis gravius; quia super cetera difforme est, et dedecet hominem ad imaginem Dei efformatum. Ad hoc crimen reducitur commercium carnale habitum cum daemone assumente formam hominis, vel bestiae sive incubo, sive succubo. Quod continet duplex peccatum, alterum contra castitatem ratione luxuriae, alterum contra Religionem, quia habet societatem cum daemone; quia ut semper, et ubique Dei contemptum, et odium in se fovet, et nutrit, ita et in ceteris idem optat, et procurat. Antoine, Concina (1):

Q. Quid est Sodomia, et quotuplex?

R. Sodomia, dicta a Sodomae civitatis incolis, qui huic nefando crimini satis superque studebant: unde igne, et sulphure in eos animadvertit Deus (*Genes. 19. 24.*). Est coitus libidinosus cum persona indebita, seu ejusdem sexus, vel cum persona debita, sed in vase indebito. Quare verae sodomiae crimen committit foemina, quae coit cum alia foemina, sive adhibendo conatum, et modum copulae, sive adhibendo aliquod instrumentum tam pro vase debito, quam pro vase indebito.

Duplex est sodomia: perfecta, et imperfecta. Prima est concubitus duorum ejusdem sexus, nempe maris cum mare, vel foeminae cum foemina, et habetur ejus malitia in quacumque hominis parte exerceatur actus luxuriae; nam affectus libidinosus ad eundem sexum quoquo modo exercitus constituit sodomiae malitiam. Secunda est commixtio viri cum muliere in vase indebito. Hinc est quod sodomia perfecta specie differt ab imperfecta; nam diverso modo opponitur rectae rationi, et proinde diversam continent malitiam. Antoine t. 2. f. 392. Collet loc. cit.

Q. Sodomia praeter propriam malitiam potestne haberi aliquam aliam adjunctam?

R. Maxime: nam potest assumere aliam difformitatem ex persona tum agentis, tum patientis, ita ut si persona est conjugata, habetur etiam malitia adulterii; imo si utraque est conjugata, malitia adulterii duplex est. Idem dicas, si personae sint voto castitatis ligatae; vel sint consanguineae, vel affines. Quapropter in confessione explicandus est personarum status, sicut et explicandum est, an in hoc crimine committendo fuerit quis agens, vel patiens, cum turpior sit et gravior malitia agentis, quam ipsius patientis. Antoine tom. 2. f. 362., Collet t. 1. f. 403.

Q. Quaenam poenae statutae sunt contra Sodomitas?

R. Si laici sint, incidunt in excommunicationem nemini reservatam, si Clerici, in poenam depositionis, et detrudendi sunt in strictius monasterium Cap. *Clerici*, de excessibus Praelatorum. Item ex Constitutione Pii V. Clerici, sive saeculares sive regulares cujuscumque ordinis, et dignitatis hoc

(1) Ex S. Ligorio *(homo apost. tract. de sexto praecepto punct. 3. §. 28.)* Coitus cum daemone succubo, vel incubo, ut communissime sentiunt *Azor. Cajet.*, *Bonac.*, *Tilles.* etc. reducitur ad peccatum bestialitatis, addita tamen malitia culpae contra Religionem, et etiam fornicationis, aut sodomiae affectivae, si daemon appareat in forma pueri, aut mulieris, et etiam adulterii, aut incestus, si quis delectetur de coitu cum daemone, tamquam cum nupta, aut conjuncta.

crimen exercentes incidunt in privationem omnis privilegii clericalis, officii dignitatis, ac beneficii Ecclesiastici sive agentes sint, sive patientes, sed post Judicis sententiam Concina t. 4. f. 379. (1).

Q. Quando habetur inordinatus coeundi modus?

R. Duplici modo haberi potest. 1. Cum masculus foeminam cognoscit in vase praepostero, etiam si sit propria uxor, et hoc crimen reducitur ad sodomiam imperfectam, et semper est peccatum gravissimum, ut dictum est. 2. Quando vir, et mulier ita copulantur, ut ex eo modo copulae semen extra vas debitum effundatur, vel periculum adsit effundendi, et hoc est etiam peccatum gravius ipsa pollutione, quia haec turpitudo non solum adversatur generationi, sed continet etiam modum coeundi contra naturae institutionem. Quod si per inordinatum hunc modum coeundi semen in vas naturale immittatur, sine ullo effusionis periculo extra vas, peccatum veniale erit, si sine necessitate fiet, sed solum ex aliquo majori commodo. Quod si vir, et mulier ita coeant ex sola, et vehementi libidine ad majorem luxuriae voluptatem capiendam, grave peccatum erit. Antoine f. 392. Stampò.

Q. Quid est desiderium turpe, et quale peccatum est?

R. Desiderium turpe, seu venereum est illud, per quod quis actum obscoenum opere externo perficere desiderat, sive deinde media ad illum complendum opportuna inquirat, sive non.

Omne desiderium turpe, sive efficax sit, sive inefficax, etsi minimum, dummodo sit desideratum, extra matrimonium peccatum mortale est, castitati oppositum, imo et continet plerumque aliam, diversamque malitiam, quae consurgit ex circumstantiis objecti, circa quod versatur desiderium. Hinc desiderium turpe circa uxoratam, vel ligatam voto castitatis, vel consanguineam, continet, praeter malitiam contra castitatem, aliam vel adulterii, vel sacrilegii, vel incestus; nam actus internus malitiam sumit et gravitatem ab objecto suis circumstantiis affecto. Antoine.

Q. Quid si quis alterius uxorem, vel monialem in matrimonium ducere concupiscat?

R. Peccat laethaliter: quia facile ex una in aliam cupiditatem nequiorem incidit, aut enim illius virum (si uxorata est) mori, aut adulterium admittere cupiet, vel si monialis est, eam violare optabit, vel ut ea a sancto foedere desciscat. Catechismus Romanus de 6. et 10. Decalogi praecepto §. 16., Collet, f. 432.

Q. Quid, et quotuplex est delectatio morosa turpis?

R. Delectatio morosa turpis, sive venerea, est complacentia, quae ex rebus obscoenis cogitatione, et imaginatione, apprehensis, cum pleno, ac deliberato voluntatis consensu percipitur, etsi nulla adsit voluntas rem turpem committendi. Dicitur *morosa*, non a mora temporis, quo durat, sed a mora voluntatis, quae post sufficientem advertentiam, libere consentit in tali complacentia permanere; unde unico temporis momento delectatio morosa committi potest.

(1) Jure Neap. Dioecesis incidunt in casum reservatum absque excommunicatione *Exercentes peccatum sodomiae, vel cum brutis coeuntes, ita tamen ut in his luxuriae casibus tantum masculi comprehendantur.* Casus II. in tabella.

Haec duplex est, *spiritualis* scilicet, et *carnalis*: prima est illa, quae in sola voluntate percipitur sine ulla actuali, et sensibili commotione in corpore. Secunda est illa, quae, praeter voluntatis complacentiam, habet sibi conjunctam actualem commotionem spirituum genitalium, et delectabilitatem circa partes venereas.

Hinc delectatio morosa turpis differt a delectatione mere sensibili, quia haec est complacentia illa, quae assumitur non ex obscoenitate rei, sed ex proportione, ac conformitate rei sensu perceptae cum organo sensus percipientis, sine ulla commotione venerea, uti est delectatio percepta ex tactu rei blandae, vel mollis, ex auditu musicae, ex visu rei pulchrae etc., quae delectatio sensibilis, si non assumatur ex re turpi, vel ad turpia inducente, sed ex re per se licita, vel indifferenti, et assumatur ex aliquo fine honesto, nullum peccatum erit. At si assumatur ex animi levitate, vel curiositate, peccatum veniale habebitur; saltem ratione otiositatis. Denique mortale erit, si cum tali delectatione sensibili periculum conjungitur transeundi ad delectationem morosam turpem, vel in desiderium, aut consensum turpem. Anacletus. f. 265. Concina t. 4. f. 316. 317. 322.

Q. Quale peccatum est delectatio morosa turpis?

R. Peccatum mortale est, etsi minima sit delectatio isthaec sive carnalis, sive spiritualis, et assumit speciem non solum a suo objecto venereo, sed etiam ab ejus circumstantiis, uti dictum est de desiderio turpi. Concina, Antoine.

Dixi, *etsi minima sit delectatio*, quia delectatio venerea morosa (idem dic de desiderio turpi) licet minima ordinatur ex natura sua, et tendit ad seminis effusionem, et est quaedam pollutionis incboatio, quare sicut voluntaria seminis effusio extra matrimonium, mortale peccatum est; ita et omnis actus venereus etiam internus, et minimus ad illam inclinans et disponens. Confer, quae dicta sunt superius art. 1. de peccatis, quae non admittunt materiae parvitatem.

Q. Quid dicendum de osculis, amplexibus, aspectibus, tactibus, etc.?

R. Oscula in facie, fronte et manu, item amplexus, contactus manuum, vel alterius partis honestae, marem inter et foeminam habita, juxta morem patriae, in mutuae benevolentiae, ac amicitiae signum, per se honesta, ac licita sunt, sive active, sive passive exerceantur; quia signa sunt honestae unionis animorum; quae per se mala non est. D. Thomas 2. 2. qu. 154. art. 4. Concina tom. 4. f. 315., Antoine tom. 4. f. 407., Collet. f. 404.

At si actus isti, sive active sive passive exerceantur extra matrimonium ob delectationem veneream, quae ex illis consurgere solet, etiamsi in istis sistatur, et non ultra progrediantur, peccata gravia sunt: quia delectationis venereae caussa sunt, et proinde sicut mortale peccatum est delectatio venerea, ita et isti actus, sive exerceantur cum persona ejusdem, sive diversi sexus, sive secummet, peccata gravia sunt. Item gravia sunt, si fiant inter personas libidinis capaces ob delectationem mere sensibilem, praesertim si morosi sunt, et repetiti: nam hi actus facillime delectationem sensibilem convertunt in libidinosam, nam excitant spiritus genitales, et commotionem venereain inducunt, et proinde periculum proximum consensus, vel delectationis morosae. Quare Alexander VIII. Hanc proscripsit thesim: *Est probabilis opinio, quae dicit, esse tantum veniale osculum habitum*

ob delectationem carnalem, et sensibilem, quae ex osculo oritur, *secluso periculo consensus ulterioris*, *et pollutionis*. Antoine t. 2. f. 407., Collet. f. 405.

Denique si isti actus ponantur, vel admittantur ex aliqua animi vanitate ex joco, petulantia etc. semper ac nullus adsit libidinis affectus, et nullum periculum peccati gravis tam in se, quam in alio, ac nullum scandalum, nullaque delectatio venerea excitetur, neque crebro repetantur, secundum aliquos venialia sunt; at quia difficile est hos actus fieri cum tanta praecisione, proinde difficiliter a peccato gravi excusantur. Antoine loc. cit. Collet f. 404.

Q. Tactus deliberati pudendarum, vel verecundarum partium alterius personae, sive ejusdem, sive diversi sexus, sunt ne semper peccatum mortale?

R. Minime, quia, si hi tactus fiant ex aliqua licita, ac rationabili caussa v. g. medicinae etc. peccatum non sunt, secluso consensu in delectationem veneream, vel in aliquod aliud illicitum. Si vero habeantur in alio, vel permittantur in se ab alio fieri sine necessitate seu rationabili medicinae causae, licet fiant sine ulla delectatione venerea, sed solum ex curiositate, joco, animi levitate, peccatum mortale sunt, nam hi tactus adversantur pudori, ac honestati naturali, atque ex sua natura commotionem carnalem, et delectationem veneream excitant, et proinde ad pollutionem tendunt. Antoine f. 405. Concina t. 4. f. 318.

Q. Quid si quis uxoratus turpiter se tangat in pudendis?

R. Si se tangit praesente uxore, ut se disponat ad actualem copulam, culpa vacat; quia isti tactus sunt media ad copulam. Si se ex libidine tangit, absente uxore: aut praesente, sed ad delectationem capiendam, et non ad copulae dispositionem, peccat mortaliter tum contra castitatem, tum contra justitiam; quia hi tactus immediate conducunt ad pollutionem, et ad delectationem veneream. Idem dic de uxore. Quod si hi tactus habeantur ex animi levitate, vel curiositate indeliberata, non autem ex libidine, neque ex impudica delectatione, venialia sunt; quia cessat periculum vehementis commotionis carnalis, ac pollutionis. At si fiant ex necessitate, vel alia rationabili caussa, culpa vacant.

Q. Quid si hi turpes tactus promiscui fiant inter virum, et uxorem?

R. Si fiant tamquam dispositiones ad copulam, vel ex aliqua alia justa, ac necessaria caussa, culpa vacant, quia non sunt rectae rationi difformes. Si fiant ex animi levitate, curiositate, joco, absque vehementi partium commotione, delectatione venerea, ac periculo pollutionis, veniales sunt; quia, cessante periculo proximo pollutionis, ac venereae delectationis, illi tactus tamquam otiosi, ac minus pudici eis imputantur. Si vero fiant ob delectationem veneream capiendam, et ex vehementi libidine, sunt graviter peccaminosi; quia continent periculum proximum delectationis venereae, ac pollutionis.

Q. Quid dicendum de aliis?

R. Si quis propria pudenda tangat ex necessitate, vel rationabili caussa, culpa vacat, excluso consensu in delectationem veneream, vel turpe desiderium, quia hi tactus in hac suppositione non sunt rectae rationi difformes. Si ex animi levitate, curiositate, inconsiderantia crassa fiant, isti tactus sunt veniales, dummodo expertes sunt omni delectatione venerea, vel turpi desi-

derio. Si denique ponantur ob delectationem veneream capiendam, laethalia peccata sunt; quia rectae rationi difformes tamquam caussa proxima pollutionis. Concina t. 4. f. 319.

Q. Quid dicendum de aspectibus turpibus?

R. Aspectus personae pulchrae etiam diversi sexus, natura sua, illicitus non est, nec turpis dici potest, sed solum periculosus ob humanam fragilitatem, vel malitiam; prasertim, si frequens sit, et diuturnus. Quod si aspectus hujusmodi habeatur directe ad libidinis finem; vel praevideatur inducere periculum commotionis venereae vehementis, vel magnae tentationis, sub gravi removendus est.

Aspectus partium verecundarum personae ejusdem sexus, vel proprii corporis, aut aspectus verendorum, vel coitus brutorum, si procedat ex aliqua justa caussa, secluso affectu luxuriae, scandalo, et periculo pollutionis, vel delectationis venereae, aut alterius rei illicitae, peccatum non est; nam hujusmodi aspectus sub his limitationibus non est contra rectam rationem, nec ad rem veneream tendit. Quod si habeatur ex curiositate, vel animi levitate aut joco, et affectus venereus, et periculum pollutionis, aut delectationis venereae, et desiderii turpis scandali, aut alterius rei illicitae deest, peccatum veniale est: quia nonnisi leviter rectae rationi, ac honestati adversatur. Denique si hujusmodi aspectus procedat ad delectationem veneream concipiendam, vel periculum contineat istius, aut pollutionis, aut turpis desiderii, aut scandali, peccatum grave est; quia directe, et graviter rectae rationi difformis est.

Quid quod, si aspiciantur partes verecundae personae alterius sexus, vel concubitus, viri cum foemina? Nisi excuset urgentissima, et rationabilis caussa, etiamsi nullus accedat luxuriae finis, sed ex sola curiositate, vel animi levitate hujusmodi aspectus fiat, peccatum grave est quia maximopere allicit ad turpia, vehementer excitat spiritus genitales, et periculum proximum pollutionis, vel saltem delectationis, ac desiderii venerei inducit; unde maxime honestati, ac rectae rationi dissonus est. Antoine ibid.

Q. Actus externi luxuriae non consumatae, nempe oscula, amplexus, tactus, aspectus impudici ob delectationem veneream assumpti, accipiuntne malitiam specie morali diversam a diversitate personarum circa quas versantur?

R. Maxime, quia cum hi actus disponant ad copulam, ac media sint ad istam conducentia, ab ista tamquam a suo fine, speciem malitiae desumunt malitia enim medii a malitia sui termini specificatur. Hinc si hujusmodi actus exerceantur, v. g. cum conjugata, malitiam continent adulterii, si cum seipso, malitiam mollitiei. Antoine f. 408.

Q. Peccatne mortaliter persona, quae, cum sine ulla rationabili caussa, vel necessitate osculum accipiat, vel in manibus, aut pedibus aliisque honestis partibus tangatur ab alia persona sive ejusdem, sive diversi sexus, sentit ipsa aliquam vel levem delectationem veneream, si non resistit deosculanti, vel tangenti, sed permissive se habet?

R. Maxime: tum quia cooperatur peccato alterius, qui forsan ex affectu libidinoso illos tactus, vel oscula habet; tum quia et agens, et patiens dissponuntur ad majorem delectationem, et ad majus periculum pollutionis :

tum quia delectatio venerea, et sensibilis deliberate assumpta, vel alteri causata, culpa gravi non vacat. A fortiori graviter peccat, si advertat, se tangi libidinose, et non resistit; quia de facto peccato mortali alterius cooperatur. Concina t. 4. f. 320. Collet fol. 404.

Q. Persona vi, vel metu adacta ad turpia committenda, potestne ad turpia descendere, permissive se habendo, ut effugiat periculum mortis, infamiae, jacturae notabilis bonorum etc., vel teneturne positive resistere cum hujusmodi periculo?

R. Tenetur positive resistere, non solum mente, sed et corpore, quantum potest, aliter mortaliter peccat: quia metus cujuslibet mali, etiam ipsius mortis, non excusat a peccato in eis, quae sunt intrinsece mala. Quando autem in hisce turpibus actionibus negative se habet, et non positive resistit, videtur in illas influere, et indirecte velle, quod intrinsece malum est. Concina t. 4. f. 333.

Q. Qui loquitur, legit, audit turpia; vel aspicit objecta turpia ficta, puta obscoenas picturas, immagines etc. peccatne?

R. Si quis haec agit ex aliqua rationabili caussa, v. g. ad docendum, erudiendum, etc. non peccat: dummodo absit delectatio venerea, vel periculum consensus in turpia; quia actus hujusmodi non sunt rationi difformes. At si hae actiones fiunt ob delectationem veneream, seu ex animo oblectandi de eis, vel ex aliqua cordis levitate, curiositate, joco etc. sed cum probabili periculo delectationis venereae, vel consensus, vel scandali, sive in se, sive in aliis, peccat graviter, qui haec agit; quia haec sunt graviter mala, utpote quae sunt media ad finem graviter illicitum. Si denique haec fiunt ex levitate animi, curiositate, ira, joco etc. sed sine ullo affectu venereo, ac periculo delectationis, consensus, scandali etc. peccat venialiter; quia rectae rationi leviter sunt difformia.

Aliter dicas de gestibus turpibus, spectaculis, comoediis, choreis, ac candilenis immodestis, aliisque similibus. Cum hae singulae actiones ex se malae sunt, et expertes non sunt periculo turpis complacentiae, desiderii, consensus, scandali, sive in ipso agente, sive in aliis, et proinde mortalia sunt (1).

Q. Quaenam sunt remedia contra luxuriam?

R. Sunt plura. Sed haec videntur efficaciora, nempe frequens, et divota meditatio passionis Christi, et dolorum B. Virginis, ac novissimorum hominis. Preces humiles, ac devotae in Deum, ac B. Virginem, et Sanctos. Ju-

(1) Sedulo hic animadvertendum quod in hac materia sexti Praecepti oportet quantum possibile est omnem adhibere severitatem, cum in re tam labili nulla cautela umquam nimia existimari debeat, et plures opiniones, quae speculative loquendo sunt probabiles in praxi improbabiles evaduot. Hinc Confessarius ubi periculum poenitentium inspicit, licet actionem, quam illi vellent perpetrare de certo peccato mortali damnare non valeat, tamen nullo modo permittat. Hoc medici animarum est, praesertim respectu eorum, qui in vitio turpi habitum in praeterito habuerunt: his enim non solum proximas occasiones vitare, sed etiam remotas opus erit, alias ob fragilitatem contractam semper in idem recident, cum in hac materia, ad quam homines naturaliter sunt proni, de facili a minoribus ad ulteriora mala ipsi progrediuntur. *S. Ligorius (homo apost. Tract. IX. de Sexto Praec. Punct. III. §. 34. in fin.*

gis recordatio, quod Deus praesens est, ac omnia scrutatur. Mortificatio corporis per jejunia, et alias asperitates; custodia sensuum, fuga occasionum; et otii, et familiaritatis cum alieno sexu, profunda humilitas, frequentia Sacramentorum; eleemosyna, et tentationum subita repulsa etc. Antoine. Collet (1).

§. IV. *De Ira*

Q. Quid est Ira?

R. Ira generice sumpta, est appetitus vindictae, qui potest esse bonus, vel malus, prout vindicta justa erit, vel injusta.

Ira autem specifice sumpta, seu prout est peccatum capitale, de qua hic loquimur, est inordinata vindictae, vel quasi vindictae cupiditas. Haec autem inordinata erit: 1. ex parte objecti, quando scilicet optatur vindicta ei, qui non meretur aut totam aut tantam aut optatur inferri ab eo, qui auctoritatem non habet inferendi, aut optatus vindicta non ex zelo justitiae, et boni communis, sed ex affectu privato satisfaciendi cordi suo nequam, et ex bono particulari 2. inordinata erit ex parte modi, cum quis licet juste irascatur, ultra tamen modum irascitur, sive interius, sive exterius.

Dixi supra, *vindictae*, vel *quasi vindictae*: quia ira esse potest vel contra personam, vel contra rem. Unde si est contra personam, dicitur vindicta, si est contra rem; uti si artifex ex ira perrumpat, vel destruat artefactum, vel instrumentum projiciat, dicitur quasi vindicta (2).

Q. Quale peccatum est Ira?

R. Ira inordinata ex parte objecti est peccatum ex genere suo grave. Patet ex Matth. 5. *Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicii.* Hoc peccatum opponitur caritati, et aliquando justitiae, quando scilicet damnum

(1) Verba obscoena non sunt mortalia si proferantur ex ira, aut joco, prout solent Messores, Vindemiatores, et Muliones. Secus si verba sunt nimis lasciva, aut si proferantur cum ipsarum rerum turpium delectatione, vel cum audientium scandalo quod ut plurimum adest, si hujusmodi verba dicuntur coram puellis, aut pueris, et maxime si quis se jactat de aliquo peccato turpi, in quo se jactans tripliciter ordinem peccat 1. quia gloriatur de re mala. 2. quia magnum praebet scandalum 3. quia de facili se complacet de peccato patrato. Insuper hic sedulo notandum cum *Salm.* et *Ronc.* ex *D. Thoma* non esse sine gravi periculo diuturnum colloquium cum puella inordinate dilecta. Audientes autem verba turpia, aut turpes comoedias tantum ob curiositatem, aut ob vanum solatium, possunt aliquando excusari a mortali: nisi adsit delectatio turpis, vel illius periculum quod facile fere semper aderit in adolescentibus, vel aliis parum timoratae conscientiae. Aut nisi adsit scandalum, et ideo merito docet Benedictus XIV. (*de Synodo l. II. cap. 12.* Clericos, et Religiosos non posse comoediis turpibus interesse sine scandalo gravi. Et etiam merito *Holzman* et *La-Croix* propter scandalum aliorum damnant de mortali eos, qui pecunia, aut plausu cooperantur ad hujusmodi comoedias notabiliter turpes, eosque qui eas impedire tenentur, aut commode possunt, et non impediunt, ac fortius, qui illas repraesentant. Gravissime quoque peccant qui libros componunt invitantes ad turpia, vel ad inhonestos amores. *S. Ligorius. hom. Apost. De sexto Praecep. Punct. 1. §. 9. et 10.*

(2) Ex S. Ligorio filiae irae partim sunt ex corde, ut indignatio, et tumor mentis; partim ex ore, ut clamor, blasphemia. contumelia, maledictio; partim ex opere, ut rixa, pugnae, seditiones, vulnera. *loc. cit. Dub. VI. §. 79.*

vel injuriam alteri injuste inferat. Quod peccatum grave poterit esse leve, aut ratione parvitatis materiae, aut ratione imperfectionis actus. Ira autem inordinata ex parte modi non est, nisi veniale peccatum ex genere suo, ut docet D. Thomas 2. 2. q. 158. Potest vero esse grave ratione circumstantiarum, v. g. blasphemiae, conviciorum, maledictionum, scandali, damni, quod aliis infertur etc. Collet f. 216.

Q. Quaenam sunt irae remedia ?

R. Sunt plura, sed haec aptiora, nempe petitio frequens facta Deo, ac B. Virgini pro impetranda mansuetudine, et caritate erga proximum, patientia, humilitate. Meditatio patientiae, et mansuetudinis Christi in sufferendo tot aerumnas ac dolores pro nobis. Praeparatio animi ad tolerantiam rerum adversarum, quando accidunt. Consideratio pravorum effectuum, quos gignit ira; nempe rixarum, seditionum, damnorum etc. Cunctanter procedere tempore irae, et silere etc.

§. V. *De Gula*

Q. Quid est Gula ?

R. Est inordinata appetitio, aut inordinatus usus cibi, et potus. Unde gulosus dicitur, qui cibo utitur, et potu, non ut necessitati satisfaciat, sed ut serviat voluptati. Gula autem si versetur circa immoderatum cibi, et potus usum, dici solet Commessatio, et Crapula: si vero versetur circa immoderatum potus usum, usque ad violentam rationis privationem, dicitur ebrietas Collet (1)

Q. Quibus modis committitur peccatum gulae ?

R. Quinque modis, hoc versu contentis :

Praepropere, laute, nimis, ardenter, studiose :

Praepropere, si sine necessitate, et solum ex nimio studio manducandi tempus comestionis quis notabiliter praeveniet, quod si fiat die jejunii, grave peccatum est.

Laute, cum quis cibos delicatos, et vina famosa, ultra suam conditionem et citra necessitatem, studiose nimis quaerit ad delectationem. Cibus enim et potus debent esse accomodata statui, et conditioni personae, facultati, et necessitati, loco, et tempori.

Nimis: quando cibus, et potus excedit mensuram moderatae refectionis. *Ardenter*, cum quis nimia aviditate, et studio ad cibum, et potum sumendum fertur. *Studiose* denique cum quis vel pluribus cibi, et potus generi-

(1) Ex S. Ligorio filiae gulae dicuntur, nimirum ex parte Animae I. hebetudo mentis, seu stupiditas nata ex crapula. v. g. ut non possit orare etc. quae fit mortalis, quando quis inordinate bibendo, vel comedendo, voluntarie fit ineptus ad intelligenda, vel praestanda ea, quae ad salutem illi sunt necessaria, vel ad ea, quae ex officio, aut alias sub gravi peccato tenetur. *Bald. d. 29. l. 3. n. 15.* II. Inepta laetitia, per quam intelligitur non quaevis inordinata, quae omne peccatum sequitur, sed quae movet ad cautiones obscoenas, actus turpes; saltus, vel choreas inhonestas etc. fitque mortalis quando est inductiva alterius ad consensum, vel delectationem, vel ad eam ordinatur. *Ibid.* III. Multiloquium. IV. Scurrilitas ... Ex parte corporis immunditia, vomitus, et seminis effusio. Quae ultima si voluntaria sit, mortale erit. *loc. cit. dub. V. §. 74.*

bus, vel studiosa eorum praeparatione aviditatem comedendi, et bibendi in se procurat excitare. Collet f. 213. Antoine.

Q. Quale peccatum est gula ?

R. Est peccatum ex genere suo mortale, oppositum sobrietati, sive temperantiae, quia continet gravem deordinationem contra rectam rationem, et a fine ultimo divertit, ut patet ex Apost. ad Galat. 5. ; et ex Luc. 21.

Hinc gula est peccatum grave. 1. Si quis in gula finem suum ultimum constituit, seu quando quis, propter ventrem, omnia facit in cibo, et potu delicias suas quaerens, et propter ventrem, non veretur peccatum aliquod committere, unde de se verificatur illud Apostoli ad Philipp. 3. *quorum venter Deus est.*

2. Si quis ut gulae inserviat, furatur; debita, quibus non erit solvenda, contrahit, familiam ad egestatem, vel ad peccata committenda adigit, valetudini suae nocet, scandalum alteri praebet, ineptum muneri suo adimplendo se praebet.

3. Si praevideat, vel praevidere possit, gulam fore sibi occasionem pollutionis, fornicationis, blasphemiae, omissionis sui muneris etc. licet post gulae peccatum, culpa praevisa non sequatur.

4. Si ad vomitum usque crapulae indulgeat, vel post commessationem ad vomitum se provocet, ut denuo commessationi vacet, et voluptatem capiat, etiam secluso scandalo. Hinc Innoc. XI. hanc proscripsit thesim n. 8. *Comedere, et libere usque ad saturitatem, ob solam voluptatem, non est peccatum; modo non obstet valetudini.*

5. Si extra necessitatem vere extremam, vel extra usum, necessarii medicaminis, carne hominis defuncti vescatur.

Extra hos casus, gulam peccatum esse veniale, docet D. Thomas 2. 2. q. 148. art. 2. quia in aliis, extra hos levis deordinatio contra rectam rationem reperitur. Antoine f. 318., Collet f. 212., Concina t. 10. f. 418.

Q. Quid est ebrietas ?

R. Est vini, vel alterius liquoris sumptio usque ad violentam privationem rationis, ejusque proximi, ac integri usus.

Signa ebrietatis sunt plerumque 1. Si quis post potum non valet discernere quid licitum, et quid illicitum sit 2. Si post potum impos factus es ad exequenda solita hominis officia. 3. Si experrectus ab ebrietate, non recordetur quid fecerit, quid dixerit 4. Si post potum ea facit, quae non solet integra mente facere 5. Si post potum pes vacillet, oculi obfuscantur, lingua titubat, vomitus succedit etc.

Q. Ebrietas quale peccatum est ?

R. Ebrietas directe, vel indirecte voluntaria, mortale peccatum est; et patet ex Isaiae 4. : *Vae qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam.* Et ex 1. Ad Corinth. 6. *Neque ebriosi regnum Dei possidebunt.* Et ratio est, qui, cum ebrius sibi usum rationis adimere procurat, et impos ad communia officia exercenda se praebet, graviter rectae rationi opponitur. Concina, Collet, Antoine.

Hinc mortaliter peccat non solum ille, qui copiose vinum ebibit, aliumve liquorem ideo, ut se inebriet, sed etiam, qui caussam ebrietatis sive sibi, sive aliis tribuit, praevidens, vel praevidere potens, ebrietatem ex tali potatione secuturam. Item qui bibit ad satietatem, et ultra, non curans ,

quod posssit inebriari. Item, qui pulverem, vel pharmacum sumit, ut non inebrietur, cum immoderate bibit. Qui epotat etiam usque ad mentis perturbationem, licet non totalem. Peccat etiam graviter qui ex amicitia, vel urbanitate alium invitat ad frequenter bibendum, et ipse etiam bibit, praevidens, vel praevidere potens, aut dubitans, quod vel ipse, vel ille possit inebriari. Similiter qui ebrioso, vel ebrietati proximo vinum subministrat; et qui non impedit, cum commode impedire possit, ne alius inebrietur. Collet f. 414. Antoine Concina.

Q. Estne aliquando licita ebrietas?

R. Minime, etiam si procuretur ad vitandam mortem, vel aliud gravissimum malum, quia est intrinsece mala, et natura sua peccatum grave: quare sicut nemo, ex quacumque caussa uti potest fornicatione, quia est intrinsece mala, ita et ebrietate. D. Augustinus serm. 132., Concina t. 10. f. 140; Collet loc. cit.

Q. Mala ex ebrietate culpabili orta, uti verba turpia, blasphemiae, actus turpes, rixae etc. imputanturne ebrioso ab culpam?

R. Si praevisa fuerunt, vel potuerunt praevideri, imputantur quidem ad culpam, quia sunt indirecte voluntaria in sua caussa. Imo imputantur ad culpam, si fuerunt praevisa, licet postea non fuerunt secuta; quia per accidens est, quod revera non contigerunt, cum tamen ebriosus ea volebat. Antoine f. 384.

Q. Quaenam sunt guloso praescribenda remedia?

R. Recordatio frequens periculorum, et damnorum, quae affert gula tum Animae, tum corpori, fuga eorum, qui crapulis inclinant, praefixa mensura, ac qualitas cibi, et potus, meditatio mortificationum, quas Christus sustinere pro nobis voluit; item aeternae, ac insatiabilis famis, ac sitis, quas acerbissime patiuntur in Inferno gulosi, precatio ad Deum et B. Virginem pro impetranda sobrietate. Collet.

§. V. *De Invidia*

Q. Quid est Invidia?

R. Est tristitia de bono alterius, proinde ac si malum proprium esset; quatenus quis conspicit, bonum alterius esse diminutivum propriae gloriae, vel alterius bono gloriam suam aequari (1).

Hinc invidia differt ab aemulatione, quae est moeror assumptus ex alieno bono, quo caremus, et quo potiri optamus absque eo, quod alteri desit: quae aemulatio non est culpabilis, si de licitis sit.

Differt ab indignatione, quae est animi displicentia, cum bona quaedam videmus ab indigno possideri; quae culpa mortalis est, si concipiatur cum quodam contemptu Divinae Providentiae, quatenus bona largitur indignis.

Differt a timore, qui est animi tristitia de bono alterius, quatenus ex il-

(1) Ex S. Ligorio filiae invidiae ex genere suo mortales sunt, et numerantur hae. I. Odium. II. Detrectatio. III. Gaudium in malis proximi. IV. Susurratio, quae est oblocutio mala de proximo ad tollendam amicitiam ipsius cum aliis: quam proinde susurro restituere tenetur, et iterum reconciliare, non secus ac detractor famam. *loc. cit. Dub. IV. §. 72.*

lo aliquod malum timemus nobis vel nostris. Qui licitus est, si timeatur malum certo injuste infligendum; aliter illicitus est. D. Thomas 2. 2. qu. 36. art. 2. Antoine f. 417., Collet 214., Concina t. 10. f. 417.

Q. Quale peccatum est Invidia ?

R. Est ex genere suo peccatum mortale; nam D. Paulus invidiam refert inter peccata, quae nos excludunt a Regno Dei ad Galat. 5. Hinc D. Chrysostomus homil. 41. in Matth, ait: *Certe tale male malum est invidia, quae ita grassatur in Animas, ut omnem malignitatem praetergrediatur.*

Q. Quaenam sunt remedia contra Invidiam ?

R. Potest esse meditatio, quod nos debemus diligere Proximum, sicut nosmetipsos, unde gaudere de bonis ejus debemus, sicut de bonis nostris: quod invidia reddit invidum diabolo similem : nam Sapient. 1. habetur ; quod ex *invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum, imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius :* quod invidia noceat soli invido, ut etiam ipsi poetae testantur: quod bona hujus saeculi tamquam fumus evanescunt etc. Antoine loc. cit. Collet f. 215.

§. VII. *Acedia*

Q. Quid est Acedia ?

R. Acedia, sive desidia late sumpta est taedium, seu animi remissio in exercitio virtutum, quatenus hoc exercitium laboriosum est, et corpori molestum. Et Acedia sic accepta est vitium generale oppositum illi virtuti cujus exercitium refugimus, et est peccatum grave, vel leve, prout ad illud exercitium nos tenemur. Acedia stricte sumpta, est tristitia de bono divino, non quocumque, sed de bono divino nobis imperato, et ad salutem nostram necessario. Vel est animi taedium de divina amicitia, apprehensa uti mala, et onerosa propter adjunctam difficultatem obtinendi, vel conservandi illam per laboriosum virtutis exercitium, et voluptatum terrenarum abdicationem. D. Thomas 2. 2. q. 35. art. 2. et 3. Concina loc. cit. (1).

Acedia stricte sumpta, est per se peccatum mortale, et directe adversatur charitati Dei, qui super omnia diligendus est, et in quo gaudere, et exultare debemus. D. Thomas 2. 2. q. 35. art. 2. et 3. Concina loc. cit.

Q. Quaenam sunt Acediae remedia ?

R. Plurima sunt: inter quae meditatio laborum, et passionis Christi, meditatio vitae aeternae, pro qua obtinenda non sunt condigni labores, et pas-

(1) Ex S. Ligorio filiae acediae sunt. I. Malitia, qua quis odio habet bona spiritualia, et vellet ea non esse, aut qua ipsum poenitet bene fecisse, vel implevisse id, ad quod tenebatur, aut qua contemnit Dei beneficium: v. g. desiderando non fuisse natum, aut non agnovisse Christum etc. est autem ex genere suo mortale. II. Pusillanimitas, et desperatio de salute quae mortale quoque est. III. Rancor, quo ii sunt fastidio qui ad spiritualia inducunt. IV. Torpor cum bona fiunt, non cum debito fervore. V. Evagatio mentis, qua quis in exercitio spiritualium evagatur circa illicita sive per cogitationem, et dicitur curiositas, sive per locutionem, et dicitur verbositas, sive per inquietudinem, et dicitur inquietudo: quae communiter sunt venialia Vide D. Thom. q. 35. Culpabilis autem evagatio mortalis erit, quando notabilis est, et attentio requiritur ad implendum praeceptum obligans sub mortali: v. g. in recitandis Horis Canonicis, celebranda, vel audienda Missa. *loc. cit. Dub. VII. § 84.*

siones hujus temporalis vitae: damnationis aeternae timor, quam nos fugare possumus, si pro Anima nostra agonizamus: preces ad Deum, et B. Virginem ad salutis nostrae, ac gloriae Dei verum zelum impetrandum: frequentia Sacramentorum: lectio librorum spiritualium; auditio verbi Dei, ac ceterarum virtutum exercitium. Antoine, Collet. Et haec satis de Peccatis.

APPENDIX I.

DE ECCLESIIS RECEPTITIIS

Nimirum hoc illud fuit, quod Ecclesiae Pastores magis olim habebant in votis, ut Clerici omnes suis Titulis adscriberentur, in quibus muneribus fungerentur suis, et unde alimenta perciperent. Quamobrem Summus Pontifex Pius VII. maximo Ecclesiae bono natus Conciliorum sanctionibus, atque ejus Praedecessorum decretis inhaerens, Litteris Apostolicis, quae incipiunt *Impensa* sub die XIX. Aug. an. 1818. de Ecclesiis Receptitiis in Ditionibus citra Pharum extantibus nonnulla sanxit, quae heic conjicere e re nostra duximus (1).

Jamvero iisdem Litteris cautum quod hisce Ecclesiis *numeratis, et innumeratis* illi dumtaxat adscribantur, qui moribus praefulgeant, et praevio examine coram Dioeceseos Episcopis, vel eorum Vicariis Generalibus, et tribus ex Synodalibus Examinatoribus ad sacra munia obeunda magis idonei existimentur.

His adde plerasque instructiones, quas Episcoporum Commisio ad rem delegata emisit, Regio quoque Rescripto sub die XVIII. Novemb. an. 1822. confirmatas.

Et 1. Ecclesiae omnes Receptitiae cujusvis naturae sint in limine fundationis, licet etiam Cathedralibus, aut Collegialibus Titulis fuerint adnexae, Clerum numeratum habeant: quem nimirum Episcopi, inspectis locorum circumstantiis, fidelium numero, redditunmque copia designabunt.

2. Clerici, qui praevio examine in Litteris *Impensa* praescripto praefinitae redditnum partis jure gaudent ad Sacros Ordines promoveri possunt, quippe quod isthaec addictio ut ecclesiasticus titulus agnoscitur. Excipiuntur vero Presbyteri, quibus hujusmodi tituli etiam conferri possunt.

3. Episcopi in partitione reddituum onera dumtaxat illis inhaerentia detrahant, non vero praestationes annuas, quae ad Procuratores, Exactores, aliosque spectant: isthaec enim officia ab Ecclesiae Titularibus exerceri debent, ac proinde Dioecesani Antistites, coacto Presbyterio, statuta conficiant, ut ea vel vicissim Titulares ipsi peragant.

5. Missarum legata Ecclesiae praediis adnexa minime detrahantur, quippe quod Titulares illis satisfacere debent. Si vero ingens sit earum numerus, tunc Episcopi, venia a Sede Apostolica impetrata, juxta pontificium rescriptum illum minuant.

5. Qui ecclesiasticis functionibus non intersit, distributiones ab Episcopo

(1) De hisce Titulis plurima in nostris additionibus ad Tractatum de beneficiis Caroli Gagliardi diximus *Lib. I. Cap. II. pag. 33.*

praefinitas, illisque adnexas non lucretur, quibus dumtaxat praesentes fruantur.

6. Paroeciis, quae sufficientem Congruam non habent, dos ex Ecclesiae Receptitiae redditibus, servata forma art. VII. Concordati, constituetur, quae saltem tertia parte major ceteris portionibus esse debet: redditus vero extantes Presbyteris, quos elegerit Episcopus Parochi Coadjutores, conferantur.

Si vero Ecclesiarum redditus sint magni momenti, tunc ii in *majores*, et *minores* portiones distinguantur, quarum illae Presbyteris de Ecclesia optime meritis, hae vero ceteris locorum Ministris conferantur. Isthaec autem divisio omittatur in Receptitiis, quae Cathedralibus, et Collegialibus Ecclesiis sunt adnexae, eo quod possunt Episcopi dignioribus canonicalem praebendam conferre.

7. Titulares omnes residentiae lege teneri constituitur, adeo ut ultra tres menses sine justa caussa a propria Ecclesia abesse nequeunt: in transgressores autem Episcopus poenas a Tridentina Synodo latas irroget. Adhaec si beneficium incompatibile vel in eadem Receptitia, vel alia Ecclesia ii adipiscantur, horum portio ipso jure vacabit.

8. Distributiones, quas Clerici non receperint, quippe qui sacris officiis non interfuerint, inter Ecclesiae Titulares, Parocho non excepto, singulis annis dividantur.

9. Ecclesiae redditus si augeantur, aut aliqua portio vacaverit, tunc incrementum, et vacantis tituli fructus Titularibus cedant.

10. Jura adventitia Titulis Curatis adnexa pro medietate ad Parochum pertineut: altera vero medietas inter Titulares subdividatur.

11. Parochus, qui personaliter, vel per alium in ducendo funere, et justis, ac parentalibus absolvendis Clericis praesit, ex fidelium oblationibus duplicem portionem recipiat.

12. Tandem curent Episcopi laudabilem consuetudinem, quae in quibusdam Receptitiis extat persolvendi officia in choro sartam, tectamque servare: in aliis vero ad eam promovendam sedulo incumbant.

Praeterea eadem Commissio processu temporis nonnulla statuit, quae vel Regiis Rescriptis sunt confirmata.

Et 1. Oeconomus Curatus Paroecialis Ecclesiae viduatae Pastore, quae duobus hominum millibus non constat, singulis annis ex ejusdem Ecclesiae Congrua 60. ducatos percipiat: si vero illi praesit, quae numerum quinque millium Animarum continet, 80: in ceteris tandem, quae majorem fidelium numerum retinent, 100. habeat: reliqui autem Congruae redditus aequis partibus inter Titulares dividantur, Oeconomo non excepto, vel Parocho etiam, si Titulus ob ipsius suspensionem vacaverit.

Isthaec dispositio illas quoque Ecclesias respiciat, in quibus redditum portiones majores sint ducatis 60., quippe quod Animarum cura Oeconomo commissa Titulo vacante, novum officium ei impositum censetur.

Oeconomus vacantis Tituli Curati Canonicatui adnexi ex ejus praebenda annualem portionem recipiat relate ad duplicem quintam reddituum portionem. In ducendo vero funere omnes Oeconomi duplicem portionem ex fidelium oblationibus, ut Parochi recipiant. Reg. Rescr. sub die XXII. Januar. 1825.

2. Tempore elapso sex mensium si titularis ad Subdiaconatus Ordinem minime sit promotus, vacantis portionis jus praevio concursu digniori conferatur: facultas tamen Episcopis inest tempus prorogandi, ut ille Sacerdotio dedicaretur.

Si examen instituatur, Clerici etiam, qui suae aetatis annum XIX. jam expleverint, et in Seminariis, vel Lyceis doctrina, morumque honestate praestiterint, dummodo alii aetate provectiores non extiterint, admittantur. R. Rescr. sub die XXIX. Maj. 1830.

3. Si Ecclesiarum redditus ob diversas temporum vicissitudines diminutionem patiantur, Dioecesani Episcopi Congruam Parochis detrahant, inspecto fidelium numero juxta taxam in novissima Conventione praefinitam: reliqui redditus si extent, ut quaedam pars beneficii inspiciantur, ac proinde detractioni subjacent, ut ceterae Titularium portiones. Quod si isthaec diminutio sit magni momenti, et perpetua, tunc Episcopi novas constitutiones pro hisce Ecclesiis exhibeant, quae juris ordine servato revideantur, et confirmentur.

Si vero fidelium liberalitate Receptitiis Ecclesiis praedia largiantur, ac proinde earum redditus reale recipiant incrementum, Episcopis facultas inest vel alios Titulos pro Clericis ad sacros Ordines promovendis constabilire, vel inspecto fidelium numero, incrementum inter Titulares extantes dividere, eorumque portionibus addicere. Reg. Rescr. sub die XVI. Jul. an. 1831.

4. Parochi, qui ex Ecclesiae redditibus Congrua dumtaxat in Novissima Concordatorum Lege praefinita fruuntur, Missarum oneribus, quae Ecclesiae praediis sunt adnexa, satisfacere non tenentur, sed tantummodo diebus festis juxta Canones Missas pro populo celebrent. Quod si illorum Congrua taxam exuperet, tunc agnoscitur incrementum ut species portionis Curato Titulo adnexae, ac proinde Missarum legatis vel ipse satisfaciat. Reg. Rescr. sub die XXVIII. Septembris an. 1831.

5. Vicarii Capitulares Sede vacante Receptitiae titulos juxta specialem Constitutionem *Impensa* conferre possunt, immo majorem portionem minoribus Titularibus concedere. Reg. Rescr. sub die XXVIII. Septembris 1831.

6. Episcopi Dioecesani pro ecclesiastica Juventute in re sacra erudienda Titulares in suis Seminariis eligere possunt, quo temporis intervallo residentiae legi ii minime sunt obnoxii.

Parochis, qui ecclesiasticis functionibus in Receptitiis non intersint indulgere potest Episcopus quoad distributiones illis adnexas ob Animarum curam, cui sedulo incumbant.

Receptitiis Ecclesiis Presbyteros quoque addicere possunt Episcopi ad tutulum sacri patrimonii, et absque concursu. Reg. Rescr. sub die XXIV. Martii 1829.

Titularis Archipresbyter Curatus, qui ut prima dignitas praebendam titulo adnexam habet, et ex Receptitiae redditibus ut Curatus, Congrua perfruitur, necnon distributiones quotidianas recipit, is Missarum oneribus Ecclesiae adnexis satisfacere debet.

Omnes Titulares, qui ex decreto Dioecesanae Curiae ante promulgationem Constitutionis *Impensa* lato aliqua portione gaudent, absque examine ad majores gradus, veteri optione penitus abrogata, admitti possunt.

APPENDIX II.

DE REGULIS JURIS CANONICI

Quae extant in V. et VI. Lib. Decretalium
In V. Lib.

CAP. I. Omnis res per quascumque caussas nascitur, per easdem dissolvitur.

II. Facta, quae dubium est quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur.

III. Utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur.

IV. Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum.

V. Quod latenter, aut per vim, vel alias illicite introductum est nulla debet stabilitate subsistere.

VI. In ipso caussae initio non est a quaestionibus inchoandum.

VII. Quidquid in sacratis Deo rebus, et Episcopis injuste agitur pro sacrilegio reputatur, quia sacra sunt, et a quoquam violari non debent.

VIII. Qui faciat praeceptum aliter, quam debeat, facere non dicitur.

IX. Defleat peccator quia offendens in uno factus est omnium reus.

X. Non potest esse Pastoris excusatio, si lupus oves comedit, et Pastor nescit.

XI. Indignum est, ut pro spiritualibus facere quis homagium compellatur.

Regulae Juris, quas exhibet
Lib. VI. Decretalium

REG. I. Beneficium Ecclesiasticum non potest licite sine institutione canonica obtineri.

II. Possessor malae fidei ullo tempore non praescribit.

III. Sine possessione praescriptio non procedit.

IV. Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.

V. Peccati venia non datur nisi correcto.

VI. Nemo potest ad impossibile obligari.

VII. Privilegium personale personam sequitur, et extinguitur cum persona.

VIII. Semel malus, semper praesumitur esse malus.

IX. Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum.

X. Ratihabitionem retrotrahi, et mandato non est dubium comparari.

XI. Cum sint partium jura obscura, reo favendum est potius, quam actori.

XII. In judiciis non est acceptio personarum habenda.

XIII. Ignorantia facti non juris excusat.

XIV. Cum quis in jus succedit alterius, justam ignorantiae caussam censetur habere.

XV. Odia restringi, et favores convenit ampliari.

XVI. Decet concessum a Principe beneficium esse mansurum.

XVII. Indultum a jure beneficium non est alicui auferendum.

XVIII. Non firmatur tractu temporis, quo de jure ab initio non subsistit.
XIX. Non est sine culpa qui rei quae ad eum non pertinet, se immiscet.
XX. Nullus pluribus uti defensionibus prohibetur.
XXI. Quod semel placuit, amplius displicere non potest.
XXII. Non debet aliquis alterius odio praegravari.
XXIII. Sine culpa, nisi subsit caussa, non est aliquis puniendus.
XXIV. Quod quis mandato facit Judicis, dolo facere non videtur: cum habeat parere necesse.
XXV. Mora sua cuilibet est nociva.
XXVI. Ea, quae fiunt a Judice, si ad ejus non spectant officium, viribus non subsistunt.
XXVII. Scienti, et consentienti non fit injuria, neque dolus.
XXVIII. Quae a jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda.
XXIX. Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.
XXX. In obscuris minimum est, sequendum.
XXXI. Eum qui certus est, certiorari ulterius non oportet.
XXXII. Non licet actori, quod reo licitum non existit.
XXXIII. Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum.
XXXIV. Generi per speciem derogatur.
XXXV. Plus semper in se continet, quod est minus.
XXXVI. Pro possessore habetur, qui dolo desiit possidere.
XXXVII. Utile non debet per inutile vitiari.
XXXVIII. Ex eo non debet quis fructum consequi, quod nisus extitit impugnare.
XXXIX. Cum quid prohibetur, prohibentur omnia, quae sequuntur ex illo.
XL. Pluralis locutio quorum numero est contenta.
XLI. Imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum.
XLII. Accessorium naturam sequi congruit principalis.
XLIII. Qui tacet, consentire videtur.
XLIV. Is, qui tacet, non fatetur: sed nec utique negare videtur.
XLV. Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit.
XLVI. Is, qui in jus succedit alterius, eo jure quo ille uti debebit.
XLVII. Praesumitur ignorantia, ubi scientia non probatur.
XLVIII. Locupletari non debet aliquis, cum alterius injuria vel jactura.
XLIX. In poenis benignior est interpretatio facienda.
L. Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem.
LI. Semel Deo dicatum, non est ad usus humanos ulterius transferendum.
LII. Non praestat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum.
LIII. Cui licet quod est plus, licite itique quod est minus.
LIV. Qui prior est tempore, potior est jure.
LV. Qui sentit onus, sentire debet commoda, et e contra.
LVI. In re communi potior est conditio prohibentis.
LVII. Contra eum, qui legem dicere potuit apertius est interpretatio facienda.

LVIII. Non est obligatorium contra bonos mores praestitum juramentum.

LIX. Dolo facit, qui petit, quod restituere oportet eumdem.

LX. Non est in mora, qui potest exceptione legitima se tueri.

LXI. Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.

LXII. Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur.

LXIII. Exceptionem objiciens, non videtur de inteutione adversarii confiteri.

LXIV. Quae contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.

LXV. In pari delicto vel caussa, potior est conditio possidentis.

LXVI. Cum non stat per eum ad quem pertinet,, quo minus conditio impleatur, haberi debet perinde, ac si impleta fuisset.

LXVII. Quod alicui suo non licet nomine, nec alieno licebit.

LXVIII. Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum.

LXIX. In malis promissis fidem non expedit observari.

LXX. In alternativis electoris est electio, et sufficit alterum adimpleri.

LXXI. Qui ad agendum admittitur, est ad excipiendum multo magis admittendus.

LXXII. Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per seipsum.

LXXIII. Factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, a quo non potuit inchoari.

LXXIV. Quod alicui gratiose conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum.

LXXV. Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem a se praestitam servare recusat.

LXXVI. Delictum personae, non debet in detrimentum Ecclesiae redundare.

LXXVII. Rationi congruit, ut succedat in onere, qui substituitur in honore.

LXXVIII. In argumentum trahi nequeunt, quae propter necessitatem aliquando sunt concessa.

LXXIX. Nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur.

LXXX. In toto partem non est dubium contineri.

LXXXI. In generali concessione non veniunt ea, quae quis non esset verisimiliter in specie concessurus.

LXXXII. Qui contra jura mercatur, bonam fidem praesumitur non habere.

LXXXIII. Bona fides non patitur, ut semel exactum iterum exigatur.

LXXXIV. Cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti.

LXXXV. Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur.

LXXXVI. Damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis imputare.

LXXXVII. Infamibus portae non pateant dignitatum.

LXXXVIII. Certum est, quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem.

FINIS PRIMI TOMI.



INDEX

TRACTATUUM, CAPITUM, ET ADDITIONUM

QUAE IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR

—

TRACTATUS I.

De Actibus humanis

TRACTATUS II.

De Conscientia

ADDITAMENTA EX S. LIGORIO

MORALE SYSTEMA

ADDITAMENTA EX S. LIGORIO

TRACTATUS III.

De Legibus

ADDITAMENTA EX S. LIGORIO

TRACTATUS IV.

De peccatis in genere, et in specie

APPENDIX I.

APPENDIX II.